This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

1817
ARTES VERITAS SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUÆRIS PENINSULAM AMŒNAM
CIRCUMSPICE

AC
13
.M67
v. 9-1[illegible]

Quis ille, qui Ovidii metamorph. ad
Christum applicuit, cuius fit mentio
IX. 128. indicat Neumannus Poec
I. 230.

MISCELLANEA LIPSIENSIA,

AD INCREMENTUM REI LITTERARIÆ

EDITA.

TOMUS IX.

LIPSIÆ,

Sumpt. HERÆDUM LANCKISIANORUM.

MDCC XX.

Compl. Sets
Hiersemann
3-5-29
17800.-

Magnifico h. t. Rectori Acad. Lipſienſis,
Dn. ULRICO JUNIO,
Sacræ Regiæ Maj. Polon. & Elect. Sax. Mathematico Regio, Mathematum Profeſſori Publico ordinario, Collegii Maj. Principp. Collegiato, & Facult. Philoſ. Aſſeſſori celeberrimo.

Viro Illuſtri & Magnifico,
Dn. D. GODOFR. LANGIO,
Sacræ Regiæ Maj. Polon. & Elect. Sax. ab Aulæ & Juſtitiæ Conſiliis, Supr. Curiæ Provinc. Conſiſtorii, & Scabinatus Aſſeſſori, Reipublicæ Lipſienſis Conſuli, Collegii Maj. Principp. Collegiato, & ad D. Thomæ Ædem Antiſtiti extantiſſimo.

Viro Prænobiliſſimo & Conſultiſſimo,
Dn. GODOFREDO CONRADO LEHMANNO,
Senatori atque Ædili, nec non Scholæ Thomanæ Antiſtiti graviſſimo.

Viro Nobiliſſimo atque Ampliſſimo,
Dn. THEOD. OERTELIO,
Senatori apud Lipſienſes meritiſſimo.

Patronis meis,
quovis obſequii atque honoris cultu ſuſpiciendis,
Tomum IX. Miſcellaneorum Lipſienſium Sacrum eſſe vult
PEZOLDUS.

Patroni,

Patroni,

Qvibus Tomum hunc IX. Miscellaneorum Lipsiensium, per aliquot annos, non tamen mea culpa, interceptum, conſecrarem, non ego dubius hærere, aut circumſpicere diu poteram, dum benevolentiſſimus VESTER in me meosque affectus me non latebat, & dum obſervantia in VOS mea id ipſum ſuo jure poſtulabat.

Maxime vero ingentia Veſtra in Rempublicam & rem litterariam merita, quæ quivis merito admiratur, me impellebant, ut publicum aliquod illorum perhibere teſtimonium non abs re ducerem.

Equidem in laudes Veſtras ire, PATRONI certissimi, atque curas veſtras, immortalitate dignas,

&

& pro LIPSIÆ noſtræ ſalute hactenus ſuſceptas, prædicare, atque encomiis extollere, in præſenti animus non eſt; in primis cum & INSIGNIS VESTRA MODESTIA me ſilere jubeat: illud tamen ſilentio præterire, & ingratus oblivisci nequeo, a Vobis, PATRONI OPTIMI, me meosque humaniter adhuc exceptos, & benigne fotos, ac ſalutari ſæpe conſilio recreatos eſſe, unde nullum eſſe poteſt dubium, quin Vos, EVERGETÆ HONORATISSIMI, in poſterum quoque mei curam habituri, de feliciori rerum mearum ſtatu proſpecturi, & PATROCINIO VESTRO me porro dignaturi ſitis.

Neque eſt, quod de propenſa MAGNIFICI mei JUNII voluntate, de gratioſo ILLUSTRIS LANGII affectu, de benevolo CONSULTISSIMI LEHMANNI favore, atque de

Infucato PRUDENTISSIMI OERTELII amore unquam dubitem, cum tot tantaque ſingularis in me meosque benevolentiæ ſummæ documenta extent, ut verbis ea eloqui par non ſim.

Deus Vos, PATRONI GRAVISSIMI, ſervet ac tueatur, conſiliisque Veſtris, in ampliſſima ACADEMIÆ & CIVITATIS NOSTRÆ commoda vergentibus, ſemper adſit, ut cum SPLENDIDISSIMIS VESTRIS FAMILIIS diutiſſime ſoſpites vivatis, floreatis. Dabam Lipſiæ IV. Iduum Octobr. A. R. S. cIↄ Iↄcc xx.

Lé-

Lectori Benevolo
M. CAROLUS FRIDERICUS PEZOLDUS,
Facult. Philoſ. in Acad. Lipſ. Aſſeſſ. & Scholæ Thom. Collega III.

S. D. P.

Diu ſatis querelæ & ſolicitudines Virorum cordatorum atque eruditorum mihi auditæ & lectæ ſunt, *ne utile quoddam inſtitutum langueſcere aut emori plane paterer*, ſed ut ruptis tandem repagulis & remotis omnibus remoris exſplendeſcere illud rurſus ſinerem, priſtinoque vigori & valori reſtituerem.

Verum enim vero tantum abfuit, ut Viris mihi chariſſimis ſatisfacere, eorumque ſat honeſtum deſiderium implere, & remedium huic malo invenire potuerim, ut *in ſpe & ſilentio* vivendum mihi potius, & Bibliopolæ meo ſoli totum negotium committendum fuerit, cujus ſumptibus *Miſcellanea hæc* hactenus prodierunt.

Non enim vel morbus, non quidem raro me adhuc affligens, vel concatenatæ occupationes aliæ, me ab ſuaviſſimo hoc procurandorum *Miſcellaneorum Lipſienſium* labore abſtrahere, aut languentem ac oſcitantem me reddere potuiſſent, niſi graviora fuiſſent, & a me nullo modo ſuperabilia impedimenta: in primis cum Bibliopolæ noſtro nimii ſumptus in edendis maximæ molis libris fuerint impendendi.

Cum igitur ab ejus ferme arbitrio negotium omne pendere videatur, *duos quotannis* Tomos ſingulis *vernalibus & autumnalibus nundinis Lipſienſibus* protrudere conſtitutum eſt, dum omnino ferendum, quod mutari nequit.

Interim nos & promiſſis ſtare non poſſe, & miſſas dudum a Viris doctiſſimis obſervationes tardius paululum inſerere cogi, dolemus. Hic etiam illud ſermone tritum valebit, *quod differetur, non auferetur.*

Vale B. L. & fave.

IN-

INDEX OBSERVATIONUM,

Quarum CENTUM & OCTOGINTA *Tomis octo prioribus* occurrunt.

Obſervatio CLXXXI. de Loco Gen. XLIX, v.10. de inter pedes ejus, *Dn. Erdvvini Hermanni Polemanni*, Athenæi Regii Bremenſis, Scholæque Rectoris, p. 1. ad p. 11.

CLXXXII. in qua proponuntur dubia: cur Q. Curtius Rufus adoleſcentibus ad imitandum non proponendus ſit? *Dn. M. Jacobi Bruckeri*, p. 12. ad p. 24.

CLXXXIII. de Vario Haſtæ apud veteres uſu, *Dn. M. Gideonis Gellii*, Con-Rectoris Dresdenſis. p. 25. ad p. 41.

CLXXXIV. de juſto pretio, elegantioribus litteris & Philoſophiæ ſtatuendo, *Dn. Laurentii Reinhardi*, p. 41. ad p. 58.

CLXXXV. de Sceptrorum Academicorum, eorumque Rectoralium formali & materiali origine, *Dn. Caroli Arndii, D. P. P. O. Acad. Roſtochienſis*, p. 59. ad p. 75.

CLXXXVI.

CLXXXVI. qua Comparatio Poeſeos Germanorum cum illa Ebræorum veteri inſtituitur, *Dn. M. Johann. Michael Weinrichii*, Illuſtr. Lyc. Meinung. Inſpect. & Rectoris, p. 76. ad p. 89.

CLXXXVII. de L. Annæo Seneca in religionem chriſtianam injurioſo, *Dn. M. Tobiæ Eckhardi*, Quedlimburg. Gymn. Rectoris, p. 90. ad p. 106.

CLXXXVIII. qua ſiſtitur Comparatio inter defenſorem bonæ cauſæ malum, & malæ cauſæ bonum, *Dn. Martini Adelti*, Scholæ Smiglenſis in Maj. Pol. Rectoris, p. 107. ad p. 122.

CLXXXIX. de inepta fabularum poeticarum ad ſanctæ religionis myſteria applicatione, *Dn. Joh. Henrici Foppii*, Athenæi Carol. Bremenſis Sub-R. jam Con-R. Hervordienſis, p. 122. ad p. 131. *Figuram*, huc ſpectantem, *in Frontiſpicio bujus* Tomi *IX*. vide, æri inciſam, *Fig. III.*

CXC. qua Theologi ex jure conſultis in Eccleſia Apoſtolica recenſentur, *Dn. M. Chriſtiani Heinrici Bræmelii*, Paſtoris Marlishuſani, p. 132. ad p. 157.

CXCI. de Euridice Plutarchi, *Dn. Chriſtophori Auguſti Heumanni*, Gymnaſii

Goetting.

Goetting. Inſpect. & SS. Theol. Prof. p. 157. ad p. 163.
CXCII. de affectata Arianorum pietate, *Dn. M. Henrici Scharbau*, Eccleſiaſt. Lubecenſis ad Templum arcis, p. 163. ad p. 175.
CXCIII. qua nova LOLLI, Franconiæ Deaſtri, explicatio ſiſtitur, *Dn. D. Daniel. Guilielmi Trilleri*, Medici Martisburgenſis, p. 175. ad p. 181.
CXCIV. de Johanne Zechendorffio, Rectore olim Cygneo, *Dn. Jacobi Foertſchii*, Con-Rect. Haynenſis, p. 182. ad p. 193.
CXCV. de Prædeſtinatione, occaſione Loci Exod. XXXIII, 19. coll. Rom. IX, 15. *Dn. M. Henr. Gottlieb Reime*, Facult. Philoſoph. Jenenſis Adjuncti, p. 194. ad p. 213.
CXCVI. qua Diſcuſſio ſententiæ *Cl. Dn. M. Reime*, de ſignificatione vocis סלחו ſiſtitur, & genuina dictæ vocis explicatio annectitur, *Dn.* M. *Henrici Joannis Bytemeiſteri*, p. 214. ad p. 220.
CXCVII. Explicatio numiſmatis de Filio anonymo Domitiani, *Dn. D. Jo. Jacobi Scheuchzeri*, Prof. Tigurini, dicata *Illuſt. Dn. Formond de la Tour*, p. 221. ad p. 232.

CXCVIII.

CXCVIII. Mantiſſa ad dubia Cl. Viro *Dn. Jo. Aug. Egenolfo*, circa hiſtoriam linguæ Germanicæ, olim mota, *Dn. Polycarpi Lyſeri*, Prof. Helmſt. p. 232. ad p. 238.

CXCIX. Reſponſio ad Mantiſſam hanc Lyſerianam, qua 1) confirmatur, Germanos ab antiquisſimis temporibus proprias ſuas litteras habuiſſe; 2) oſtenditur, Nummos Runicos & ſimilia monumenta Gothica hodienum ſupereſſe, *Dn. M. Johannis Auguſtini Egenolfi*, Gymn. illuſtr. Grimm. Coll. Tert. p. 239. ad p. 270. Pertinet huc partim SCUTUM *in Frontiſpicio* hujus *Tomi IX. Fig. I.* & p. 253. expreſſum, partim Nummus itidem in Frontiſpicio Figura II. propoſitus, p. 260.

CC. de Loco vexato Ælii Lampridii: *Sanctum nomen in penetrale Dei ſui* tranſtulit, *Dn. M. Jo. Laurentii Mosheim*, p. 271. ad p. 282.

CCI. de Dilecto, cujus eſt vinea, & in cujus honorem cecinit Propheta Canticum amati ſui, ex Jeſai. V, 1. *Dn. Petri Sigimundi Papenii*, Reg. Soc. Scient. Pruſſ Memb. & ad D. Petri Coloniæ ad Spream V. D. M.

Obſerva-

Obſervatio CLXXXI.

ERDWINI HERMANNI POLEMANNI,

Athenæi Regii Bremenſis, Scholæque Rectoris,

de

Loco Gen. XLIX. 10. de inter pedes ejus.

§. 1.

DE claſſico loco, Gen. XLIX. 10. quædam producturo, ne tamen iliada, ut dicitur, poſt Homerum ſcribere videar, (ſiquidem multi, de re chriſtiana, æque ac litteraria præclariſſime meriti, cogitationes ſuas ad hujus loci illuſtrationem contulere) ſpicilegi-

um aliquod inſtituere licebit. In præſens vero mihi duntaxat curæ erit, expedire ſtrictim, & velut in compendio hæc Prophetæ verba, מבין רגליו *de inter pedes ejus*, in quibus vel explicandis, vel detorquendis, miſere ſeſe exercuerunt Doctores, ac diverſas diverſi attulerunt rationes.

§. 2. Tres vero potiſſimum de hiſce circumferri ſententias, conſtat ſic ſatis inter omnes, qui vel minimam his ſtudiis dederunt operam. Una eſt viri celeberrimi, & qui ejus inſiſtunt veſtigiis, autumantes, unius litteræ mutatione, ד nimirum pro ר, legendum eſſe, non רגליו, ſed דגליו, non *pedes*, ſed *vexilla ejus*. Verum tamen, cum res periculi plena ſit, vel litteram in ſacris pro lubitu, & ex falſo concepta licentia, mutare, quo Scripturæ ἀσφάλεια præſentiſſimo exponitur periculo; nec ullus codex antiquus probatus, qui illam lectionem probet, adferri poſſit; quin e contrario convenientes dentur explicationes, temere Scripturæ verba immutari, judicamus. Novitati quidem, ſi non excogitata ſine judicio, ſuus debetur honos, aſt tum veritate convenire debet, alias facile in ſcyllam incidunt, charybdim evitaturi, vid. Dn. D. JOANNIS DIECMANNI, *Theologi, ac Polyhiſtoris ſummi*, Philologema S. in h. l.

§. 3. Alii hæc ad generationem referentes, de genitalibus, atque hinc egreſſa prole, & fœtu

fœtu in lucem edito, explicant, quos inter præter cæteros doct. D. GUSSETIUM, & acutiſſimum D. HONERTIUM in de genealogia Meſſiæ p. 461. eſſe, nuperrime vidi. At enim vero, etiamſi ea erudita, & auctoribus ſuis non indigna, nobis tamen coacta, nec conſentiente Scripturæ *parallelismo*, forte etiam minus accommodam, & contra mentem ſancti vatis, totiusque vaticinii cohærentiam eſſe videntur, propter longos videlicet metonymiæ, non unius, *ſed* multiplices, & tædioſos quodammodo, & infinitos anfractus. Etenim, ſi de poſteritate Judæ ſermo foret, & filiis ejus, primo, notante Dn. D. ZELTNERO, affirmandum, locum nativitatis, ſive excluſi fœtus per ſynecdochen partis pro utero materno, atque hinc porro per metonymiam duriorem, locum prolis natæ pro fœtu ipſo, hunc denique pro tota poſterorum turba, & multitudine per mille diſcrimina rerum intelligenda eſſe, quæ quam intricata ſint, cuivis advertenti patebit. Præterea, cum רגל improprie hic ſumatur pro utero, genitalibus, & fœtu in lucem edito, denturque aliarum rerum nomina propria, recta ratio non ſinit, τὸ רגל pro utero, genitalibus, & prole ſumi, niſi addatur aliquod, quo ſenſus ille inferatur. Nec locus a D. HONERTIO Deut. XXVIII, 57. in eam ſententiam adductus id probare videtur, ſiquidem manifeſtum eſt, non

fœtum per genitalia editum, ſed ſecundinas & quidem phraſi clariſſima, plenaque היוצאת בשליתה, a noſtra hac, ubi tantum nudum מבין רגלין occurrit, multum diſtincta, haud quaquam cum noſtra ῥήσει confundenda, intelligi.

§. 4. Hinc tertia eſt eorum, qui, grandævum Vatem ad ſeſſionem ſcholaſticam habuiſſe reſpectum, contendunt, moremque diſcipulorum, qui, doctore in altiori loco ſedente, ad pedes ipſius proſtrati, ſedent, adducentes Act. XXII, 3. ubi Apoſtolus legitur ἀνατεθραμμένος παρὰ τοὺς πόδας Γαμαλιήλ, *nutritius ad pedes Gamalielis.* Aſt quanta inter doctos & de hoc ritu vigeat controverſia, in illorum ſcriptis videre eſt. Nec ſententiam doct. PETITI omnino improbandam, puto, qui hæc, *nutritus ad pedes Gamalielis*, non tam ad animi cultum pertinere, quam ad contubernium cum eo, apud quem fuerit educatus, quo cum, pedibus ejus aſſidens, quotidie cibum ceperit, non inepte judicavit. Quam nec b. D. JO. TOB. MAJORI, Theologo & Philologo eximio, diſpliciuſſe video, eo quod cultura ingenii verbis ſequentibus intimetur, quibus πεπαιδευμένος κατ' ἀκρίβειαν τοῦ πατρῴου νόμου, *quam accuratiſſime inſtitutus*, legitur, *in legibus patriis, & eccleſiaſticis*; niſi quis inanem repetitionem, quam tamen DEI verbum reſpuit, ſtatuere velit. Et

licet

licet D. WITSIUS hanc rejiciat ſententiam, negationis tamen ſuæ nullas adfert rationes idoneas. Præterea ſedebant diſcipuli non inter pedes ſuperiorum, ſed infra eos. Ut taceam, quæ contra ELIAM BENOIST erudite diſputat citatus *modo* HONERTIUS, Paulum Tarſi non *ſolum* natum, ſed & in litterarum ſtudia *incubuiſſe*, demonſtrans. Nec ingratum quoque *futurum* ſpero, ſi quis ea, quæ Celeb. Dn. D. *DEYLINGIUS* in doctiſſ. obſerv. P. II. *Obſ. VIII.* de hoc Geneſeos loco dilucide ex*plicuit*, ſedulo evolverit.

§. 5. Ut igitur ſcopulos, quantum pote, evitemus omnes, agedum, mittamus cum D. ZELTNERO ſynecdochas, metonymias, & neſcio quas amplius figuras, ſine neceſſitate complicatas, quæ omnia ſedulo Scripturæ interpreti, quantum fieri poteſt, accurate eſſe cavenda, alibi diximus, pleniusque V. D. exſequemur. Atque ſimplicem verborum ſenſum, procul hujusmodi ambagibus, contemplemur, eum nimirum, quo ad locum, ſive ſedem habitationis τῷ מחקק reſpectum habere Jacobum, exiſtimamus.

§. 6. In hiſce cogitationibus defixo multa, ac varia in mentem venerunt. Non fugit ſedulos *Scripturæ* lectores, quod Prophetæ in Theologia hieroglyphica animalibus regna mundi *ſæpiſſime* figuraverint, ſub imagine cor-

corporis organici ea delinearint, atque urbibus, ac regionibus, nomina, a membris corporis organici deſumta, impoſuerint. In primis Eccleſiam Dei in ſpeciem hominis repræſentare, imo quasvis hominum ſocietates, filiorum nomine, ac filiarum, inſignire ſolent. De Juditha, & Bethulia affirmat cum b. CELLARIO Not. Orb. antiq. T. 2. doctiſſ. ABEL Hiſtor. Monarch., eas nunquam exſtitiſſe, ſed remp. repræſentaſſe Judaicam. Tribum Benjaminæam pedis humani formam cum ſura, tibia, coxendiceque, exprimere, oſtendit in Topotheſia terræ ſanctæ JO. BISSELIUS. Sic regnum illud magnum, evecto ad imperium homine peccati, meretrix in ſacris dicitur, ſua habens membra.

§. 7. Atque ita ſacer Codex longitudinem alicujus regionis deſcripturus, per manuum expanſionem explicare ſolet. Jud. XVIII, 10. terra dicitur רחבת ידים *læta manibus*, quod JUNIUS reddidit, *ampla ſpatiis*. Pſal. CIV, 25. mare רחב ידים *latum manibus* i. e. ſpatioſum, v. b. NOLDII Concor. p. 968. B. SALOM. GLASSIUS, apud profanos Scriptores obſervavit, medium regionis locum umbilici voce denotari, haud aliter atque in homine, in quo, brachiis ſurſum porrectis, medius eſt locus umbilicus, Jud. IX, 37. Ezech. XXXVIII, 12. Sacri Scriptores linguam maris dicunt pro ſinu

ad

ad inſtar linguæ exſertæ Joſ. XV, 2. Eſ. XI, 15. THOM. GATAKERUS, Opp. Crit. P. 1. p. 304. lectorem ad Euſtathium amittit, qui ad Homeri Iliad. β. quam plurima recenſet vocabula, de montibus, terris, fluminibus, uſurpata, quæ ab animalium membris traducta ſunt. JULIUS item POLLUX in Onomaſt. L. II. editionis ſuperæ de humanis agens membris, idem hinc inde docet.

§. 8. Vox שפה, ut primo notat paſſim labium oris, ita deinde omnes alicujus rei, partulæ in primis, margines, velut ripas fluminum, littora maris, & alveorum, Gen. XXII, 17. Ebr. XI, 12. Superior pars petræ dens quandoque dicitur, propter eminentiam ejus ad inſtar dentis, Job. XXXIX. 31. 1. Sam. XIV, 4. Ita quoque nomen ירך præter alias, quas ſuſtinet notiones, plagam, ſive extremitatem alicujus regionis notat, Geneſ. XLIX, 13. Jud. XV, 8. Eſaias c. XI, 14. oſtenſurus, quo modo Evangelium ad proxime vicinos populos ſint propagaturi Doctores, eleganter ſcribit ועפו בכתף פלשתים, involabunt in humerum Philiſtæorum. Quam prophetiam h. SEB. SCHMIDIUS ad prima N. T. tempora referens, elegans, ait, eſt epitheton Philiſtæorum, quod humerus ipſis tribuitur, nam eſt regio illa extremitas terræ Canaan, quæ quidam humerus. צלע quamvis in ſtructura corporis

humani coſtam, in diſciplina architectonica, ædificii, aut ſtructuræ, latus, Ex. XXVI, 26. 35. ita in regnis inſignem eorum partem ſignificat. Sic Dan. VII, 5. legitur animal ſecundum ſimile urſo tres habuiſſe coſtas in ore ſuo. Per animal hoc intelligit JOANNES COCCEJUS regnum Gothorum, arrianæ hæreſi addictorum, ut & Vandalorum & Longobardorum. Per tres vero coſtas, quas devoravit, tres præcipue terras, Italiam, Galliam & Hiſpaniam, quæ jure cum coſtis conferri poſſunt, cum fuerint inſignes Romani imperii partes, illi robur non minus addentes, quam coſtæ corpori. Ita quoque ad Habac. III, 13. docet P. HAMERUS, qua ratione Hiſpania conjuncta cum Portugallia, dici poſſit humerus meretricis myſticæ.

§. 9. Jeremias ex urbe Hieroſolyma egreſſus, cap. XXXVII, 13. ſteriſſe legitur in porta Benjamin, quæ ita dicta, quia tribus Benjamin immediate contingebat tribum Judæ. Scilicet Hieroſolyma, ſedes templi, & cultus publici, in quo מקדשים vel maxime rem ſuam habebant, ſita erat, partim in tribu Juda, ad extremitatem videlicet illius tribus, i. e. ad *pedes ejus*, quia pes ima corporis pars eſt (ſicuti & pes veli eſt funiculus, quo angulus veli religatur, ut D. PITISCUS in Lexic. antiq. Rom. & illiteratorum Monachorum interpres eruditiſſimus in Gloſſ. mediæ, & infimæ latinitatis.

A oſten-

oſtendunt) partim in Benjamin, in confinio nempe ejus, ad initium capitis, quaſi inter humeros ejus. Unde factum eſt, ut urbs jam videatur attribui filiis Judæ Joſ. XV, 63. Jud. I, 5; rurſus eadem iisdem fere verbis adſcribitur filiis Benjamin Joſ. XVIII, 20. cap. XXI, 28. utrisque vero ſimul Nehem. XI, 4. Judæi tradunt, in *portione* Judæ fuiſſe montem templi, paſtophoria, & atria. In portione Benjaminis, *pronaon*, & templum, & ſanctum ſanctorum. Diviſa eſt urbs, ita JOANNES HENRICUS OTHO, in tribum Judæ, & Benjaminis, proceſſitque linea diſterminans per ipſum atrium templi, confer ſis JO. LIGHTFOOTI Cent. chorogr. Matth. præmiſſ. c. 21. JAC. CRAMERI de ara exter. c. 4. item D. RELANDI Antiq. hebr. P. I. c. 2. ejusdemque Palæſtinam, & alios. Unde & Auctores Bibl. myſtic. verba Prophetæ noſtri מבין רגליו reddiderunt, von ſeinem beſtändigen Ort. Q. E. D.

§. 10. Et hoc quoque eſt, quod Spiritus S. per Moſen innuere voluit, de Benjamine Deut. XXXIII, 12. *Dilectus Jehovæ habitabit ſecure apud ipſum, obteget eum omni die, & inter humeros ejus erit habitans.* Comparat tribum Benjamin, ita b. RAUPIUS, corpori humano, & Hieroſolymam metropolin ejus capiti, quod humeris impoſitum eſt, quaſi inter humeros ſitum.

tum. Per dilectum Jehovæ intelligitur, conſentientibus ſummis Doctoribus, Meſſias, dilectus ille Patris Eſ. V, 1. c. XLVIII, 14. Jer. XI, 15. Matth. III, 17. Col. I, 13. Hic habitaturus ſuo tempore ſuper Benjamin, non ſolum, ut rex in Jeſchurun Deut. XXXIII, 5. ſed & inter illos, ut Doctor Deut. XVIII, 18. Joan. II, 17. ac in medio eorum, ut ſanctificator Ex. XXXI, 13. Lev. XI, 44. 45. Unde & locus ille terra Immanuelis Jeſ. VIII, 8. Zeph. III, 1--4. dicitur, & Hieroſolyma in emphaſi urbe magni regis Matth. V, 35. Pſal. XLVIII, 3. Eſ. XXXVII, 16. Vid. b. GLASSIUS & GISSENIUS in h. l. item GEIERUS in Pſ. XLV. pluresque alii.

§. 11. Sunt ex Judæis inſuper multi, quos ex Chriſtianis non pauci ſequuntur, ut Scriptor rei architectonicæ peritiſſimus, qui CUNÆI remp. Ebræorum continuavit P. III. pag. 29, hi benedictionem Benjamino dictam Gen. XLIX, 27. eo referunt. *Benjamin lupus rapax. Mane comedet prædam, & veſperi diſtribuet ſpolia.* Explicant hæc de altari, quod fuit in tribu Benjaminis, ubi ſacerdotes mane victimas obtulerunt, vel veſperi oblata a populo inter ſe diviſerunt. Altare lupum vocari, quia ignis altaris abſumebat oblationes quotidianas, tam matutino, quam veſpertino tempore. Verum, quoniam hæc nimis remota, & diſtra-

op-

oppido dura ſunt, & nihil aliud, dicente D. HEIDEGGERO h. l. quam ex quolibet facere quidlibet; iccirco alii Patrum ſententiam a JO. COCCEJO modificatam amplectuntur; Jacobum ſc. diſtinguere regni tempus in auroram, & occaſum, & indicare, quod Benjamin in utroque foret inſignis, in aurora per Saulem, primum *Iſraëlitarum* regem, qui ex tribu fuit *Benjamin*, in occaſu per Paulum, quem ex tribu *Benjamin* fuiſſe, ex Phil. III, 5. conſtat, ſpo*lia* ex Judæis, & gentibus Satanæ erepta feliciter dividentem. Quæ omnia prolixe ex rationibus hermeneuticis more ſuo demonſtravit D. SAL. TILLIUS, & ante eum acutiſſimus DN. D. DANNHAUERUS; *Paulus in eo ſtatu converſus eſt, in quo fuit dirum, & execrandum βδέλυγμα coram oculis divinis. Facta reſpexit Paulus ad tribus ſuæ ſortem Benjamin, ut illius in ſe benedictionem converteret, quæ exſtat* Gen. XLIX, 27, *magno Patrum conſenſu, ogganniat licet Calvinus*, conf. Pſ. LXVIII, 28. *Ita Benjamino ſimilis fuit in fatis, minimus ille inter Patriarchas, ita Paulus inter Apoſtolos noviſſimus.*

Raptim

Bremæ A. 1718. d. 1. Febr.

Ob-

Obſervatio CLXXXII.

M. JACOBI BRUCKERI,

Auguſtâ-Vindelici,

In qua proponuntur dubia:

cur Q. Curtius Rufus adoleſcentibus ad imitandum non proponendus ſit.

Inter Scriptores, quos ad imitandum proponunt adoleſcentibus caſtioris Romanæ dictionis magiſtri, non extremum plerumque locum occupat *Q. Curtius Rufus*. Nam ut multa taceam, quæ in eo commendari ſolent, vel ſolus Latini ſermonis nitor & nativa quædam ſuavitas effecit, ut ei pulcherrimæ elogiorum ſuſpenderentur tabulæ, quas commendationes multo labore collegit Vir Eruditiſſimus, & de Q. Curtio omnium optime meritus, *Johannes Freinshemius*. [a] Cauſa hæc fuit, quæ perſuaſit Cel. *Chriſtophero Cellario*, [b] ut ejus ſtilum ævo

a, *initio Commentar. in Curtium.*
b *prolegom. cur poſterior. p. 20.*

ævo Auguſteo non inferiorem cenſeret; cujus viri ſententiæ eo major habenda eſt ratio, quo accuratiorem cum in his eruditionis partibus fuiſſe omnes norunt. Quin ipſe *Johannes Clericus*, [c] Vir Clariſſimus, in Curtium multis licet viſus iniquior, eum tamen inter primos refert, quos ad formandam ſtili latini puritatem & elegantiam juventuti commendandos putat. Subſcripſi hactenus Virorum Eruditiſſimorum ſententiæ, ſed cum altius rem rimarer, haud exigua oriebantur dubia, quæ referre, rationemque exponere, *cur Curtius adoleſcentum ſtudiis commendandus haud videatur*, eo magis erit licitum, quo juſtior in hac parte ſentiendi eſt libertas. Quod ſi enim *Johanni Bodino*, [d] & *Danieli Guilielmo Mollero*, [e] ea conceſſa fuit libertas, ut Curtium ex Scriptorum Latinorum numero excluderent, & ad recentiora tempora referrent, nobis ſane nemo vitio

c *Art. Crit. p. 1. c. 2. §. 8. p. 46. P. III. S. 3. c. 1. p. 401. c. 9. p. 494. Ed. Bat. 1712.*

d *in Method. Hiſtoriar. c. 10.*

e *in Diſſ. de Curtio, Altdorfii 1683. habita, cui alii am oppoſuit* Magnus Daniel Omeis.

tio vertere poterit, ſi mentem circa hanc rem aperiamus, niſi cui, miſſis reliquis autoribus, ſolus valet Curtius Soſpitator, quod de Alphonſo, cui Sapientis cognomen fuit, refert *Antonius Panormitanus*. f

Duplex vero ratio commendare ſolet Scriptorem adoleſcentum labori atque ſtudio; vel enim *dictionis nitor atque puritas* ex eo diſcenda, vel *rerum*, quas proponit, accurata adquirenda *cognitio*. Quod ſi vero oſtenſum fuerit, in utroque Curtium exiguam præſtare juvenibus operam, multum noſtræ ſententiæ accedere robur quilibet concedet. Et quod ad primum quidem attinet, inficias quidem neutiquam ibo, vivaciſſimæ dictionis & elegantiſſimi ſermonis ſcriptorem eſſe Curtium: Hoc enim negare, eſſet altam profiteri ſtili elegantioris ignorantiam. Tantum tamen hoc non eſt, ut adoleſcentibus propterea commendandus videatur Curtius. Cujus aſſerti ratio ut accuratior conſtet, ipſa ſtili Curtiani indoles penitius paulo conſideranda &

ex-

f *In facetiis Alphonſi exſcribente* J. Freinshem. *proleg. in Comment. Curt. conf.* Eric. Putean. *orat.* 19.

expendenda eſt. Quintum certe Curtium, hominem Rhetorem Alexandri M. hiſtoriam eo tantum fine ſelegiſſe, ut pro rei illuſtris amplitudine artis oratoriæ vela, quam maxime poſſet, panderet, ipſa Curtiani commentarii lectio abunde ſuadet. Actum hoc à Curtio quam maxima ingenii vi & imaginationis fortioris opera. Hinc videas deſcriptiones frequentiſſimas, ſtilo florentiſſimo delineatas, quibus loca ignota, flumina remota, & inacceſſos terrarum tractus, Alexandri item Orationes in caſtris atque præliis magnifica oratione ita depingit, acſi oculis auribusque omnia ea ipſe uſurpaſſet. Quod profecto neglexiſſet Curtius, ſi memorem tenuiſſet animum ejus, quod *Lucianus* g monet: Σωφρονητέον ἐν ταῖς τῶν ὀρῶν ἢ τειχῶν, ἢ ποταμῶν ἑρμηνέαις, ὡς μὴ δύναμιν λόγων ἀπειροκάλως παρεπιδείκνυσθαι δοκοίη. Quibus verbis ſcriptor graviſſimus bene monet, *fluviorum atque locorum nimiis deſcriptionibus imperitam artis dicendi oſtentationem manifeſtari.* Non narrabo tot orationes ad panegyricarum morem compoſitas, ſed in ipſis relationibus

g *de conſcribenda hiſtoria.*

bus artem declamatoriam inepte oſtendentem vel uno exemplo producam Curtium.[h] Poſtquam enim Alexandriam ab Alexandro conditam narraſſet, *Memnonis*, addit, *Tithonique regiam cognoſcendæ vetuſtatis avidum traxiſſe pæne extra ſolis terminos.* Quaſi id extra ſolis terminos eſſet, quod ad illam Zonam ſitum eſt, quæ

- - - - *coruſco*
Semper ſole rubens, & torrida ſemper ab igni eſt.

Plura proferenda eſſe exempla neceſſum non puto, cum ubique in Curtio ea ſint obvia. Tantum vero abeſt, ut hoc de Curtio negare ſuſtinuerint Viri Eruditiſſimi, ut potius ipſi Curtii adoratores ſtilum declamatorium & panegyricam affectationem in eo reprehenderint. *Michael* ſane *Tellie-*

h *L.IV. c.8. §.3. plura hyperbolarum plus quam Poeticarum exempla vid. l. III. c. 2. §. 9. l. IV. c.10. §. 20. l. IV. c. 2. ſq. coll. cum* arriani *l. II. conf.* Clericus *Art. Critic. P. III. Sect. 3. c. 8. p. 475. contra experientiam id negante* Guil. Budæo *in praef. Curtii ab* Antonio Candido *editi Lugd. 1591. vid.* Freinshem. *prolegom. Comment. Curt.*

Tellierius, [i] ex Jeſuitarum Societate Vir Clariſſimus, *Curtium ſententiarum aculeos affectaſſe pluſculum, & deſcriptionibus quandoque poeticos flores, orationibus declamatorium ſtilum adſperſiſſe*, ingenue fatetur. *Gaſpar* vero *Barthius* [k] ei *declamatorium acumen ad panegyriſtarum affectationes inclinatum* objicit. Nihil in præſentia de iis vocibus dicam, quibus admodum improprie luſit Curtius, & quibus teneras & accuratiori ſermoni aſſuetas aures læſiſſe viſus eſt. [l] Facilis jam, quid de ſtilo tali judicandum ſit, conſideratio eſt. Impotentis enim imaginationis fræna laxaſſe Curtium, & tantum judicio derogare, qvantum valet ingenio, quiilbet videt. Hinc nihil aliud, niſi per fortiorem imaginationem corrumpendum tandem juvenum ingenium expectandum eſt, dum intimius ſtilum Curtii imitari preſſoque pede ſequi ſtudent. Quod quam facile fieri poſſit, quantumque hoc

i *in præfat. Curtii a ſe editi in uſum Delphini Pariſ. 1678. 4.*

k *ad Claudiani L. I. in Ruſin. v. 275.*

l *conf.* Clerici *ars Critica P. III. S. 3. c. 3. §. 9. ſq. p. 484. ſq.*

veritatis ſtudio impedimentum afferat, illi ſibi facili negotio perſuadebunt, qui communicationem fortioris imaginationis intelligunt, & rationem norunt, cur homines ejusmodi alios vivaciſſima ſua dictione ab accurata rei conſideratione abducant, & auditorum vel lectorum judicium miſere corrumpant: quod argumentum luculenter excuſſit, & *Senecæ*, *Tertulliani*, atque *Michaelis Montani* exemplo illuſtravit acutiſſimus Gallorum Philoſophus *Nicolaus Malebranchius*, m & Summe Rev. *Jo. Fr. Buddeus*. n Stili certe magnificentia a rerum meditatione & examine ipſum abduxiſſe Curtium ingenue fatetur *Joh. Clericus*, o quando, *rerum geſtarum*, inquit, de ſe ipſo, *quas deſcribit Curtium magnitudine animus perculſus, & ſtili ſuavitate delinitus aliud nihil præter fortitudinem, audaciam, & felicitatem Alexandri videbat, aliud nihil præter ſublimia verba facundiſſimi ſcriptoris audiebat*.

m *de la recherche de la verité l. II. p. III. p. m. 236. Ed. Gall.*

n *Theolog. Moral. P. I. c. I. S. 5. §. 11. p. m. 172. ſ.*

o *Art. Crit. P. III. S. 3. c. 1. p. 397.*

bus. Accedit huic argumento, ſtilum Curtii, qualem deſcripſimus, talem eſſe, quem, ſi rite expreſſeris, vix unquam in Societatis civilis ſtatu adhibere poteris. Pauciſſimis enim datur in *panegyricis* orationibus ſermonis magnifici tumorem oſtendendi occaſio. Cur itaque talis formanda conſuleretur *juvenibus* dictio? cum eo maxime eorum tendere debent ſtudia, ut ſocietatis, in *qua* victuri ſunt, habeant rationem, & *foro ſe* parent. Neque tandem ullam video Curtii adoleſcentibus commendandi neceſſitatem. Ex *Cicerone* enim, *Cornelio Nepote*, *Julio Cæſare*, atque *Terentio* caſtigatiſſimum ſermonem imitando diſci poſſe apud omnes in confeſſo eſt. Sed non ibi judicii corrumpendi metus, non affectatæ panegyres, non declamatorius & vix unquam uſurpandus ſtilus, ſed probus & elegans ſermo eſt. Quod ubi curate examinabitur, magnum addet robur huic ſententiæ, quæ Curtium adoleſcentibus propter ſtilum commendandum non eſſe ſtatuit. Ubi tamen id monendum, Curtii lectionem non plane rejici; Illi enim, qui ſubacta judicant judicii vi, & ſobriam dictionis

rationem tenent, cum delectatione & emolumento legent Curtium, tumorem ejus judicio & mentis potentia moderaturi.

Quod ſi propter ſermonis elegantiam Curtius adoleſcentibus dandus non eſt, multo minus ob rerum, quas tradit, ex eo haurienda cognitione commendari poterit. Cum enim quod jam oſtendimus, thematis alicujus oratorii loco Hiſtoriam Alexandri ſelegerit Curtius, in qua oſtenderet, quid artis ſuæ vires poſſint, fidem hiſtoricam, Geographiam, Chronologiam aliasque Hiſtorici virtutes lædere neceſſe habebat. Polixior eſſem, quam ferri poſſet, ſi pro rei conditione id oſtenderem. Licet enim *Juſtus Lipſius* p *Q. Curtium probum & legitimum hiſtoricum, ſi quis unquam fuerit*, appellet, confutando tamen judicio huic temere profectó concepto eo minus opera impendenda eſt, quo luculentius contrarium ex ipſa Curtii lectione adparet. Otium in hac parte mihi fecere, in Geographicis quidem *Chriſtophorus Cellarius*, q in omnibus vero nævis Curtii accurate examimi-

p *in notis ad l. I. Politicor.*
q *in notis ad Curtium a ſe editum 1696. 12.*

minandis *Joh. Clericus* [r]. Viri celeberrimi. Cui poſteriori licet acerbam litem ſuper hanc rem moverit *Jacobus Perizonius* [s] a cujus tamen parte ſtet veritas, cuilibet, niſi præjudiciis & ſcriptoris nimio amore occæcato facile ex Scriptorum, quæ invicem ſibi oppoſuere, collatione patebit. Nos pro inſtituti modulo pauca tantum attingemus. Qua fide & veritate hiſtoriam recenſeat vel uno ſpecimine videri poteſt, ex narratione prælii ad Iſſum, [t] cum Dario commiſſi, ubi poſtquam ſtrenuam & difficilem ex utraque parte aciem narraverat, ſubdit, *Perſarum peditum centum millia cæſa eſſe, decem vero millia interfecta equitum. Ex parte Alexandri, quatuor & quingentos duntaxat ſaucios fuiſſe, triginta & duo omnino*

r *Art. Crit. P. III. S. 3. per tot.*

s *initio in notis ad Æliani varia p. 728. Reſpondit ei* Clericus *ſub* Theodori Goralli *nomine in præf. ad Ped. albinov. conſ. Biblioth. choiſ. T. I. art. I. p. 256. ſq. Regeſſit ad ea* Perizonius *in Q. Curtio reſtituto in integrum & vindicato Lugd. Bat. 1703. 8. Recenſuit librum & reſpondit* Clericus *dans la Biblioth. choiſie T. III. p. 171.*

t *l. III. c. 11. § 27.*

ex peditibus deſideratos, equitum centum quinquaginta interfectos. Manibus palpari poſſunt, quæ egregie nugatur Curtius. Ligneos certe fuiſſe Perſarum gladios, & immobilia Macedonum ictibus expoſita eorum pectora neceſſe eſt, ſi hæc ullo modo vera ſunt, cujus tamen rei contrarium multa verborum φαυλασίᾳ ipſe Curtius prius ediſſeruerat. Crux hæc fuit, quæ torſit miſere Criticos, locum ob incredibilem relationem corruptum eſſe ſuſpicantes, [u] ſed ſine ullo, quo valido nitantur fundamento. Pugnas vero in ſacris paginis recenſitas, objicere, quod *Clerico* fecit *Perizonius* [x] infeliciter eſt a miraculoſis Dei bellis ad latrocinia Alexandri concludere. In Geographicis quam turpiter confudit [y] Pontum Euxinum cum mari Caſpio, Caucaſum cum Parapamiſo, [z] & alia, quæ noſſe probe potuiſſet, ſi hujus rei accuratam curam egiſſet ?

u *vid.* Freinshem. *adt. III. c. 11. §. 27.*
x *in Q. Curt. vindicato conf.* Cleric. *Biblioth. choiſie P. III. art. 3. §. 11. p. 219.*
y *vid.* Cellar. *ad. l. VI. c. 4. §. 18. p. 285.*
z *conf.* Cleric. *art. Crit. l. c. c. 2. §. 14. ſq. p. 417. ſq.*

ſet? Aſtronomiæ ignorantiam prodit mala menſium Indorum deſcriptio, [aa] luna à Sole premi dicta, [bb] & quæ ſunt hujus generis alia. Chronologiam ubique fruſtra quæſiveris. Quin, quod maximum, non ſolum peſſima Philoſophiæ Stoicæ præcepta offert, & dulce propinat venenum, ſed & Alexandrum peſſimum vitiorum exemplum viva deſcriptione commendat Curtius. Alexandrum enim quascunque etiam mentitus fuerit caſtitatis, juſtitiæ, ſobrietatis, clementiæ, virtutisque perſonas, omnibus tamen vitiorum generibus fuiſſe inquinatum & falſa virtutis ſpecie decepiſſe evincunt ea, quæ a Scriptoribus hiſtoriæ Alexandrinæ fuſe narrantur, [cc] & *Seneca* [dd] pariter atque *Lucanus* [ee] notaverunt. Quid quæſo exempli capient juvenes animi, ex hu-

aa *l. IIX. c. 9. conf.* Scaliger *de emend. tempor. l. II. p. 118* Cellar. *ad h. l.* Clericus *l. c. p. 409.*
bb *l. IV. c. 10. §. 5.*
cc *conf.* Cellar. *diſſ. de virt. & vitiis Alexandri M. præmiſſam Curtio.*
dd *de Benef. l. II. c. 16. l. I. c. 13. l. VII. c. 13. Ep. LXXXIII. QQ. natur. l. VI. c. 23.*
ee *l. X. v. 20. ſq.*

hujusmodi ſcriptore, apud quos exempla plus valent legibus, & ad vitium facilius longe quam ad virtutem flectitur cerea indoles, imprimis ubi ſub virtutis larva illud appareat? Scilicet in laudes Alexandri debaccharit, ff Curtio ea fuere facilia, & condonanda forte, adoleſcentibus proponenda non item. Quis v. ingenuus fatum Stoicum inevitabile & neceſſarium, nefandum illud idolum, quod Deum impio conatu tollit, gg adoleſcentibus commendari a Curtio patietur? Sed prolixiora hæc ſunt, quam quæ pagella capiat. Sufficiat oſtendiſſe dubia, *cur Curtius adoleſcentibus commendandus haud videatur.* Jam telum abrumpendum & colligendæ ſarcinæ. Dubia propoſita ſunt, quæ rite ſoluta libenter mittam. καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.

ff *negante id contra experientiam & oculorum fidem* Erico Puteano *in præfat ad Curtium.*

gg *vid.* Jac. Thomaſ. *de exuſt. mundi Stoica diſſ.* 13. *p.* 166. *ſq.* Budd. *analect. hiſtor. philoſ. p.* 178.

hh *l. IV. c.* 6. §. 17. *l. V. c.* 11. §. 10. *&c.*

Obſer-

Obſervatio CLXXXIII.

M. JO. GIDEONIS GELLII,

Con-Rectoris Dresdenſis,

de

Vario Haſtæ apud veteres uſu.

I. *In Bello, armorum loco apud Hebræos*, §. 1. *Perſas, Græcos, Romanos, Germanos*, §. 2. *Belli indicendi ſignum*, §. 3. *præmium & pœna*, § 4. *Haſta cruenta, ignominioſa* §. 5.

II. *In Pace Sceptri loco*, §. 6. *Prætoris inſigne*, §. 7. *Religioſe culta*, §. 8. *Publica auctionum*, §. 9. *Locationum*, §. 10. *Salutis*, §. 11. *Cælibaris*, §. 12. *Non pro calamo*, §. 13. *Haſtici ludi*, §. 14.

§. 1.

Inter antiquiſſima haud dubie arma, cominus pariter ac eminus propellendis hoſtibus adhibita, Haſtæ fuere: quanquam apud Hebræos Num. XXV, 7. demum earum in S. Codice fiat mentio, Ubi vox רמח quodvis alias ſpiculum, quo transfigi quis queat, denotans non incommode per haſtam συνεκδοχικῶς converti poteſt. Ea-

demque prope ſignificatione Judic. V, 8. uſurpari videas. Nec multum abire inde vocem כידון frequentius in ſacris literis, ac de Goliathi cumprimis raræ magnitudinis haſta de qua I. Sam. XVII, 6. occurrentem, credibile eſt, cujus in caſtris præcipuus fuiſſe uſus, vel ipſa ejus Radice ſic ſuadente, videtur; quæ tamen Criticis dijudicanda merito relinquimus.

§. 2. In Perſarum etiam exercitu *Dorymphori* memorantur Curtio, (a) quos ex Immortalium numero corporis regii cuſtodes fuiſſe, & in aula excubaſſe, Μηλοφόρας etiam, quod aurea mala haſtis præfixa ferrent, dictos, obſervat BRISSONIUS de Regno Perſarum, (b) eorundemque Satellitio poſt Darium victum Alexandrum M. uſum, ex Æliano docet. (c) Diverſi ab his Ἀιχμοφόροι Græcis, quod pariter haſtati eſſent, appellati eidem fuiſſe videntur. (d) Non mirum igitur, & Græcos haſtis cominus, pariter atque eminus pugnaſſe; quod præter alios quam plurimos, JOH. PHILIPPO

(a) *Lib. III. cap. 3. §. 15.* (b) *Lib. I. §. CXCIV. ſq.*
(c) §. *CXCVII.* (d) §. *CXCVIII. ſq.*

LIPPO PFEIFFERO (e) citati plus ſatis evincunt, ubi & haſtæ partes ſingulæ ſeorſim deſcribuntur. Ut jaci longius poſſent, amento h. e. loro ſeu ligamine mediæ religabantur, *amentatæ* inde Ciceroni (f) dictæ. Macedonas iisdem uſos, vel illud evincit, quod Aſſacenos ſive Maſſacenos Indiæ populos, excuſſæ tormentis prægraves haſtæ mortalibus eas convenire haud credentes, ad deditionem compuliſſe apud Curtium (g) legantur, quodque Clitum percuſſurus Alexander, vigili excubanti haſtam abſtuliſſe eidem (h) tradatur. Inter arma Romanorum haſtæ quoque *velitares* erant, leviores ceteris, & ad eminus proinde jaculandum aptiores, Livio (i) cumprimis ac Turnebo (k) deſcriptæ. Ceterum nec graviores eis defuiſſe eſt credibile.

Haſtatos certè hinc inde nominant Scriptores veteres, cum quibus Vegetio non con-

(e) *Antiquit. Graec. Lib. III. cap. 22.* (f) *de Oratore l. 57. & de Claris Orator. cap. 78.* (g) *Lib. IIX. cap. 10. §. 32.* (h) *ibid. cap. 1. §. 49.* (i) *Hiſt. Lib. XXVI. cap. 4.* (k) *Adverſar. Lib. XIV. cap. 11.*

convenire monet *Godeſc.* STEWECHIUS, (l) quod illi haſtatos in prima acie collocent, hic triarios, qui tamen non, niſi rebus propemodum deſperatis, ad pugnam venerint. Denique & Germanos haſtas in præliis uſurpaſſe, nemo facile negaverit, qui præter Tacito (m) de iis memorata, vocem antiquam Hellebarte, quæ *Bipennis* reddi Latine ſolet, paullo attentius conſideraverit. Ac de etymologia quidem vocis non una omnium eſt ſententia, cum JONAS RAMUS in *Norvegia antiquâ* (n) eam ab *hell* i. e. morte, & *barde*, cædere ſeu ferire, alii aliunde deducant, quorum ſententias præcipuas collegit JOH. CHRISTIAN. LEONHARDI *Diſſert. de Armatura & Apparatu hodiernæ militiæ*, *Lipſ.* 1711. *edita.*

§. 3. Ne prolixiores ſimus, nihil nunc de haſtis junctis, valli vicem ſuſtinentibus, quali Macedones non leve damnum intuliſſe Romanis apud Livium (o) leguntur, dicemus, cum & *in bello indicendo*, præcipuum

(l) *Comment. ad Veget. Lib. I. cap. 20. & Lib. III. cap. 14.* (m) *German. cap. 6. §. 2.* (n) *cap. 5.* (o) *Lib. XXXVI. cap. 18.*

num Haſtas uſum præſtitiſſe inveniamus. Alexandrum Macedonem Helleſponto trajecto in continentem delatum, primum jaculum (p) velut in hoſtilem terram jeciſſe refert Juſtinus. (q) Et inter bellicas ab Anco Marcio Rege inſtitutas ceremonias, a Livio (r) proditas, haſtam ferratam, aut ſangvineam præuſtam in fines eorum, quibus *bellum* indicturus erat, fecialis emittebat. Atque *tum* demum, ut cum Virgilio (s) loquamur: his ſolennibus peractis, *certare odiis, tum res rapuiſſe licebat.* Eundem haſtam ſanguine infectam in agrum hoſtilem injiciendi ritum apud Perſas quoque obtinuiſſe, ex Ammiano Marcellino (t) diſcimus. Quanquam poſteriore ſeculo morem hunc mutatum, & pro haſta, gallum, pugnax animal, Joh. Tzetzes (u) apud LINDENBROGIUM, (x) tandem canem etiam aut enſem evaginatum objectum, aut literas ad teli amentum de-

(p) *Haſtam Diodorus vacat, teſte Bongarſio ad h. l.* (q) *Hiſt. Lib. XI. cap. 5.* §. *10.* (r) *Lib. I. cap. 32.* (s) *Aeneid. X. 14.* (t) *Lib. XIX. cap. 2.* (u) *Hiſt. Chiliad. V. cap. 15.* (x) *ad Ammian. l. c.*

deligatas fuiſſe miſſas, ANT. MATTHÆUS (y) teſtetur.

§. 4. Sed & poſt victoriam non minor haſtæ uſus. Quemadmodum enim refractariis, & qui parum ſtrenue officium feciſſent, pœnæ pro ratione delicti ſolebant imponi; ſic & legitime pugnantibus, præmia fuere conſtituta, quibus virtutis cauſa donarentur. De ſingulis Antiquitatum ſcriptores conſulendi. Inter præmia hæc militaria, præter coronas varii generis, phaleras, armillas, torques, aliaque, Haſta etiam occurrit, qua Romani fortes viros donarunt. *Pura* ea vocabatur, quod, ut Alexander ab Alexandro ait, (z) nullo ferro munita foret: aliis *præpilata* dicta, quod, quæ LUDOV. COELII RHODIGINI (α) eſt ſententia, ferro carens in mucronem tamen eſſet exacuta. Tali Poſiden libertum Britannico triumpho donaſſe Claudius Cæſar ſcribitur apud Suetonium; (β) at majori longe fortitudinis laude C. Sicinnius Den-

(y) *Not. ad Anonym. de Bellis campeſtr. p. 198. ſ.*
(z) *Genial. Dier. Lib. IV. cap. 18.* (α) *Lection. antiqu. Lib. XXI. cap. 16.* (β) *Claud. cap. 28.*

Dentatus inſignis fuerit oportet, qui præter alia munera haſtis duodeviginti, Plinio (γ) narrante, donatus eſt. Id ideo inſtitutum, vel Sextus Pompejus, ut eſt apud Cœlium Rhodiginum (δ) vel Feſtus, uti DALECHAMPIUS (ε) opinatur, refert, quia haſta ſumma armorum & imperii erat. Quibus uti amplius non inhæremus, ita *in pœnis* quoque *irrogandis* locum habuiſſe haſtam, omnino veriſimile. Nota heic cumprimis eruditis *Cenſio haſtaria*, qua propter ignaviæ & luxuriæ probra haſta militibus adimebatur, ut, ſpem ſimul merendi ſtipendia in poſterum ademptam illis fore, ſignificarent. De quo Feſtus, aut qui, ſuppreſſo licet Feſti nomine, eadem deſcripſit ALEXANDER ab ALEXANDRO (ζ) conſulendus.

§. 5. Idem (η) alium quoque morem veterum militarem profert, nec tamen, unde hauſerit, indicat. Nempe ſi qua civitas vi ſubacta ac hoſtili incurſu fuiſſet, a Duce exercitus edito in loco haſta ponebatur,

(γ) *Hiſt. Nat. VII. 28.* (δ) *l. c.* (ε) *ad Plin. l. c.* (ζ) *l. c. Lib. II. cap. 13.* (η) *c. l. Lib. III. cap. 16.*

ex peditibus deſideratos, equitum centum quinquaginta interfectos. Manibus palpari poſſunt, quæ egregie nugatur Curtius. Ligneos certe fuiſſe Perſarum gladios, & immobilia Macedonum ictibus expoſita eorum pectora neceſſe eſt, ſi hæc ullo modo vera ſunt, cujus tamen rei contrarium multa verborum φλυαρίᾳ ipſe Curtius prius ediſſeruerat. Crux hæc fuit, quæ torſit miſere Criticos, locum ob incredibilem relationem corruptum eſſe ſuſpicantes, [u] ſed ſine ullo, quo valido nitantur fundamento. Pugnas vero in ſacris paginis recenſitas, objicere, quod *Clerico* fecit *Perizonius* [x] infeliciter eſt a miraculoſis Dei bellis ad latrocinia Alexandri concludere. In Geographicis quam turpiter confudit [y] Pontum Euxinum cum mari Caſpio, Caucaſum cum Parapamiſo, [z] & alia, quæ noſſe probe potuiſſet, ſi hujus rei accuratam curam egiſſet?

u *vid.* Freinshem. *adl. III. c. 11.* §. 27.
x *in Q. Curt. vindicato conf.* Cleric. *Biblioth. choiſie P. III. art. 3.* §. *11. p. 219.*
y *vid.* Cellar. *ad. l. VI. c. 4.* §. *18. p. 285.*
z *conf.* Cleric. *art. Crit. l. c. c. 2.* §. *14. ſq. p. 417. ſq.*

ſet? Aſtronomiæ ignorantiam prodit mala menſium Indorum deſcriptio, [aa] luna a Sole premi dicta, [bb] & quæ ſunt hujus generis alia. Chronologiam ubique fruſtra quæſiveris. Quin, quod maximum, non ſolum peſſima Philoſophiæ Stoicæ præcepta offert, & dulce propinat venenum, ſed & Alexandrum peſſimum vitiorum exemplum viva deſcriptione commendat Curtius. Alexandrum enim quaſcunque etiam mentitus fuerit caſtitatis, juſtitiæ, ſobrietatis, clementiæ, virtutisque perſonas, omnibus tamen vitiorum generibus fuiſſe inquinatum & falſa virtutis ſpecie decepiſſe evincunt ea, quæ a Scriptoribus hiſtoriæ Alexandrinæ fuſe narrantur, [cc] & *Seneca* [dd] pariter atque *Lucanus* [ee] notaverunt. Quid quæſo exempli capient juvenes animi, ex

aa *l. IIX. c. 9. conf.* Scaliger *de emend. tempor. l. II. p. 118* Cellar. *ad h. l.* Clericus *l. c. p. 409.*
bb *l IV. c. 10. §. 5.*
cc *conf.* Cellar. *diſſ. de virt. & vitiis Alexandri M. præmiſſam Curtio.*
dd *de Benef. l. II. c. 16. l. I. c. 13. l. VII. c. 13. Ep. LXXXIII. QQ. natur. l. VI. c. 23.*
ee *l. X. v. 20. ſq.*

quidpiam etiamnum ævo, ÆNEA SYLVIO (π) teſte, apud Bohemos obtinuit. Cum enim anno 1079. Henricus IV. Imp. contra Rudolphum Sueviæ Ducem egregia ad Fladenheimium, Uladislao Bohemiæ Duce ſuppetias ferente, potitus eſſet victoria, inque ea pugna Bohemiæ Dux regiam Rudolphi haſtam nactus eſſet, a Cæſare hæc ipſi ob res præclare geſtas donata, inpoſterum Bohemorum Regibus inſigne imperii ſolenne facta. Aliarum gentium exempla ROESERUS (ρ) collegit. Inveſtituris denique haſtas adhibitas THOM. REINESIUS (σ) obſervavit.

§. 7. In foro porro aliisque locis, ubi judicia habebantur, inter Prætorum inſignia, *jurisdictionis Symbolum* haſta exiſtimabatur. Meminerunt ejus Seneca *de Brevitate Vitæ* (τ) & Svetonius, (υ) *Centumviralem haſtam ut Decemviri cogerent*, Auguſtum ſanxiſſe ſcribens: nempe quod judicia in cauſis grauioribus, quæ, ex ſingulis tribubus lecta, totius populi conſeſſum quodam-

(π) *de Bohemia cap.* 22. (ρ) *l. c. §.* 4. (σ) *Epiſt. XXIII. ad Rupertum p.* 78. (τ) *cap. XI.* (υ) *Auguſt. cap.* 36.

dammodo repræſentabant; & a quibus proinde nulla erat provocatio, a Decemviris in poſterum breviori curriculo, ne-ctam longo circuitu cauſis definiendis administrari vellet. Eadem judicia & Veſpaſianus poſtmodum, ubi in abuſum res degeneraſſet, per certos ſorte lectos ad breviſſimum, iterum Svetonio tradente, (φ) numerum redegit. Domitianus decimum, ut eſt apud Alexandrum ab Alexandro (χ) Centumviralia decreta & conſtituta, velut ambitioſe edita, reſcidiſſe fertur. Hunc haſtæ in judiciis ferendæ morem in memoriam Romuli, quem aſſidue haſta, unde & *Quirinus* appellatus, uſum ferunt, irrepſiſſe l. c. credit Rœſerus.

§. 8. Atque hæc ut non adeo a ſana ratione abſona ſunt cenſenda; ita minime ferenda, quæ de *cultu* Haſtarum *religioſo* Juſtinus (ψ) ſcripta reliquit, quamvis *ab origine rerum* ea jam fuiſſe facta tradat. Neque eſt negandum, ſimile quidpiam de Chæronenſibus & Pauſaniam in Bœoticis (ω) narraſſe. Hos tamen

(φ) *Veſpaſ. cap.* 10. (χ) *l. c. Lib. III. cap.* 16. (ψ) *l. c.* (ω) *cap. XL.*

men eo cumprimis nomine excuſat GERH. JOH. VOSSIUS, (aa) quod pro ſymbolo Deorum vel Regum haſtas coluerint, quorum ſimulacris eas additas, paullo ante (bb) probatum dedimus. Quid vero de Cæneo, Lapitharum Rege, dicemus, quem ad ipſum accedentes, per haſtam ſuam jurare coegiſſe, Apollonii Rhodii Scholiaſtes, itemque Euſtathius in Homerum tradunt, quorum verba nunc repeteremus, niſi pridem ea Eraſmus in Adagiis, (cc) Caelius Rhodiginus, (dd) Roeſerus (ee) aliique adduxiſſent? Sane mitiorem heic cum Voſſio (ff) ſententiam eligere proclive foret, quaſi per ſymbolum imperii ac potentiæ bellicæ id fuiſſet factitatum, niſi ſuperbum eum, Deorumque contemptorem, ideoque merita a Jove poena affectum Euſtathius ſimul prodidiſſet, tum & alios ejusdem prope dementiæ reos factos fuiſſe conſtaret. Nam quæ de Turno apud Virgilium (gg) haſtam invocante, aut Achille, apud Valer. Flaccum (hh) per ean-

(aa) *Theol. Gentil Lib. IX. cap. 5.* (bb) §. 6. (cc) *p. 63.* (dd) *l. c.* (ee) *l. c.* (ff) *l. c.* (gg) *Aeneid. XII. 95.* (hh) *Argonaut. L. III. 707. ſ.*

tandem jurante, leguntur, Poëticæ forſan elocutioni, figuras ejusmodi cumprimis amanti, tribui poſſint, aut Græcorum imitationi. Manifeſtam enim certe impietatem ſapit, *ubi* Alexander, primus Pheræorum *tyrannis* immaniſſimus, haſtæ, qua Polyphr*onem* interemerat, conſecratæ tanquam *Deo* ſacra feciſſe apud Plutarchum in *Vita Pelopidæ* (ii) memoratur.

§. 9. Nos miſſis hiſce ad alia nunc properamus. Haſta quæ *publica* adpellari ſuevit, in foro poſita civium proſcriptorum bona per præconem publice diſtracta, plurimoque licentibus fuiſſe addicta, notius eſt, quam ut multis opus ſit probari. Quod ſi quis tamen teſtimonia deſiderat, præter alios Antiquitatum Scriptores, jam ubique pervulgatos, Alexandrum ab Alexandro, (kk) &, qui varias Latinorum ſimul loquendi formulas inde natas explicandas ſibi ſumſit, CæliumRhodiginum (ll) adeat. Mos hic utrum a conſvetudine bona Porſenæ Regis vendendi, cujus origi-

 nem

(ii) *Tom. I. Oper. p. 293. edit. Paris.* (kk) *l. c.*
(ll) *l. c. cap. 17.*

nem-Livius (mm) docuit, fuerit natus, alii inquirant.

§. 10. Erat & *locationis* ſignum haſta, quando vectigalia populi Romani publica, poſita in foro præconis haſta, in auctione emenda conducendave Conſules proponebant. Novos enim Conſules Equitibus, vectigalium conductoribus, pretium aliis alio majus deferentibus, Senatus nomine ea locare ſolitos, Ovidii, (nn) Appiani Alexandrini, (oo) tum & Svetonii (pp) teſtimoniis patet, ſimulque illud inſuper, proprio auſu Jul. Cæſarem abſque Senatus auctoritate publicanis petentibus tertiam tributorum partem remiſiſſe. Plura de his, Ciceroni toties laudatis, ſuppeditabunt Coelius Rhodiginus l. c. itemque CONR. SAM. SCHURZFLEISCH. *Diſſert. de Ordine Publicanorum Wittenberg. An. 1689. edita.*

§. 11. Denique nec *haſta ſalutis* Quintiliano dicta hoc loco prætermittenda, ubi in ſumma inopia ad levandam famem haſta po-

(mm) *Lib. II. c. 14.* (nn) *de Ponto Lib. IV. Epiſt. V. 19.* (oo) *de Bell. Civil. Lib. II.* (pp) *Cæſar. cap. 20.*

poſita publice frumentum venale proſtare ſignificabatur. Vid. Alexander ab Alexandro, & Cælius Rhodiginus *ll. cc.*

§. 12. Idem Rhodiginus, (qq) ubi ab hujusmodi haſtæ latione, quæ lingua Sabina Curis diceretur, Junonem *Curitin* dictam tradidit, a priſcis inde inſtitutum addit, ut nubentium caput haſta comeretur, quam *cælibarem* nuncupabant, quod in Junonis *tutela* matronæ eſſent conſtitutæ. Hanc Ovidio (rr) *recurvam* appellari, ſecus atque alii, qui calamiſtrum interpretantur, cenſet Antonius Conſtantinus, Fanenſis, (ss) præter jam dicta his de cauſis id factum contendens, *ut ſic uxor conjuncta cum viro eſſet, ut haſta cum gladiatoris corpore:* ea quippe haſta, quæ ſtetiſſet in corpore gladiatoris occiſi, ſolebat adhiberi: *vel ut omen fieret virorum fortium gignendorum: vel, quod nuptiali jure imperio viri nubens ſubjicitur: vel, quia prima connubia violenta fuerunt: vel, ut diſcerent uxores ſeverum & minime effæminatum ornatum probare: vel, quod ſolo ferro nuptiæ ſint dirimendæ.*

 §. 13.

(qq) l. c. cap. 16. (rr) *Faſtor. II. 560.* (ss) *Comment. ad h. l. p. 104.*

§. 13. Riſu, non refutatione dignus, qui ex Virgilii Æneid. I. (tt) loco, ubi Troilus impar Achilli congreſſus, & ab eodem interfectus, curru reſupinus inani hærens, lora tamen tenens cervice comaque per terram tractus, verſaque ejus haſta pulvis inſcriptus memoratur, concluderet, haſtam calami aliquando vicem præſtitiſſe, quod nonnemini in mentem venerat: cum vel ipſa Virgilii ſuperficiaria inſpectio, per terram dependentem eam tractam ſulcum veluti duxiſſe, plus ſatis oſtendat.

§. 14. Illud de cetero vel tantillum in lectione veterum verſatis occurret, *haſticos* etiam *ludos*, Latinis non adeo fuiſſe incognitos. *Xyſticos* hos Græcis appellatos, & gladiatores quoque, quod haſtili corneo prælongo, quod ξυςὸν Græci vocant, uterentur, *Xyſticorum* inde nomen traxiſſe contendit Cœlius Rhodiginus. (uu) Sunt, qui apud Svetonium (xx) Caligulam eosdem edidiſſe credant; nec negandum in quibusdam Svetonii editionibus ita legi. Enimvero cum *Atticos* alii, alii *Aſtycos* aut

Aſti-

(tt) v. 482. (uu) l. 6. cap. 18. (xx) Caligul. cap. 20.

Aſticos, *Selaſticos*, ſive, uti Plinio efferuntur, *Iſelaſticos* GRÆVIUS (yy) legendum cenſeat, nihil certi definimus. Hoc certum interim, *haſtiludia* hæc ſequiori ævo nominata, *Torneamentorum* dehinc nomen tuliſſe, *ubi* vel equites vel pedites concurrentes *haſtas* frangebant. De quorum origine, *ritibus*, legibus, aliisque ſolennibus CAROLUS DU FRESNE *in Gloſſar. Latin.* Auctor anonymus des Edelmanns, aliique, qui peculiaribus ſcriptis de iis egere, conſulendi.

(yy) *ad Sveton. l. c.*

Obſervatio CLXXXIV.

LAURENTII REINHARDI,

de

Juſto pretio, elegantioribus litteris & Philoſophiæ ſtatuendo.

§. I.

Elegantiorum litterarum culturam cum philoſophiæ ſtudio neceſſario con-

 jun-

jungendam eſſe, nemo, ſi accuratius pauL-lo rem conſiderat, ibit inficias. Juſtum etiam hiſce diſciplinis, ſcilicet & humanioribus litteris & doctrinis philoſophicis, ſtatuendum eſt pretium: quod profecto pauci immo pauciſſimi agunt, dum quidam de iis ſtudiis, quæ ab humanitate nomen adepta ſunt, nimis abjecte & contemtim ſentiunt, eaque deſpicatui habent; alii exadverſo ſummis laudibus eadem extollunt, atque in iis ſolis veram eruditionem conſiſtere temere exiſtimant. Pari modo cum philoſophia res ſeſe habet: Sunt enim, qui ſanioris philoſophiæ ſtudium negligunt plane atque contemnunt, cum tamen illa inſignem prorſus utilitatem in reliquis eruditionis partibus præbeat; quidam e contrario nimis magnum pretium diſciplinis philoſophicis ponere conſveverunt. Peccatur ab utraque parte. Operæ igitur pretium me facturum eſſe arbitror, ſi *de juſto pretio elegantioribus litteris & philoſophiæ ſtatuendo* paucis ediſſeram. In eam quoque ingredior ſpem, fore, ut candidi Lectores, quorum intellectui præſumtæ opiniones non offundunt tenebras, mihi adſentiantur.

§. 2.

§. 2.

Lingua Latina, ab hac enim exordiendum eſſe non ſine cauſa autumo, omnibus, qui felices in litterarum ſtudiis progreſſus facere optant, non tantum utilis eſt, verum etiam maxime neceſſaria. (a) Plurimi *libri*, ex quibus eruditionem haurire poſſumus, ſermone Romano ſunt conſcripti; quis autem ex hisce doctrinas ſibi neceſſarias poterit addiſcere, ſi linguæ Romanæ fuerit ignarus? Quod ad cultores Theologiæ attinet, eos in ſtudio hoc ſacro, ſine ſolida linguæ Latialis cognitione, haud felici pede progredi, tam certum eſt, quam quod maxime; cum optimi plerumq; libri Theologici & eruditiſſimæ diſſertationes Theologicæ eleganti admodum ſtilo ſint conſignatæ. Præcipue ex Theologorum, quos noſtra fert ætas, ordine haud pauci ſunt, qui ipſi Lactantio, non ſunt poſtponendi: ex quibus GOTTLIEB WERNSDORFFIUM, JOH. FRANCISCUM BUDDEUM, JUST. CHRISTOPHORUM BOEHMERUM, SALOMONEM DEYLINGIUM & JOH. ALBERTUM FABRICIUM nominaſſe ſufficiat; reliquos, quorum haud exiguus eſt nu-

numerus, ſtudio brevitatis inpræſentiarum omitto.

(a) *add.* Commentatio *mea* Epiſtolica *ad Clariſſimum* JACOBUM BURCKHARDUM, de ratione docendæ diſcendæque linguæ Latinæ.

§. 3.

Studioſis Juris linguæ Latinæ neglectus ideo videtur noxius, quod Pandectas, in quibus elegans dicendi genus deprehenditur, ſine illa minus bene intelligere poſſint: accedit, quod, cognita Romani ſermonis indole, antiquitates Romanas, ſine quibus Jus Romanum ipſis erit obſcurum, eo facilius explicare queant. Qui arti ſalutari operantur, iis non minus opus eſt Latialis linguæ notitia, cum, ſi ultra circulatorum dignitatem velint adſcendere, etiam veterum Phyſicorum ac Medicorum libros pervolvere, eorumque ſententias ſcrutari debeant, inter quos Plinius & Cornelius Celſus, qui ſat puro dicendi genere uſi ſunt, merito ſuo primum locum obtinent: quemadmodum etiam his recentiores quidam Medici ſtili Latini ſuore ac ubertate haud temere cedunt.

§. 4.

§. 4.

Interim tamen Latina Lingua non eſt fundamentum veræ eruditionis, nec ſua natura ad eam quidquam confert, ſed manet inſtrumentum inſignis utilitatis; &, cum excolenda ſit, ita debet excoli, ut ad nativam ejus elegantiam, ac caſtitatem perveniamus, plurimum autem temporis ſcientiis gravioribus & magis neceſſariis conſecremus.

§. 5.

Pergo ad linguam Græcam, quæ in omni doctrinarum genere eximiam adfert utilitatem. Primum enim ſi diſciplinam verum de Deo rebusque divinis ſenſum tradentem cogitemus, dici vix poteſt, quid in illa præſtet Græcam linguam accuratius didiciſſe. Novum Salvatoris noſtri Teſtamentum ſacrorum myſteriorum interpretibus erit obſcurum, ſi Græcæ linguæ notitia pectus ſuum non impleverint: accedit, quod in explicando novi fœderis codice Græca LXX. Interpretum verſio non contemnendum præſtet uſum; id quod doctiſſimus vir, GEORGIUS JOH. HENCKIUS, peculiari Diſſertatione, ſub præſidio

ſidio Clariſsimi D. JOH. HENR. MI-CHAELIS Halæ 1709. habita, aperte maxime comprobavit.

§. 6.

In Juris ſtudio, quatenus illud forum tantum ſpectat, non adeo magnus eſt Græcæ linguæ uſus, quod vel ex eo liquet, quod multi celeberrimi Juriſconſulti & feliciſſimi cauſarum patroni eam ignoraverint. Et licet quis objiciat: Novellas Græco ſermone eſſe conſcriptas; fateatur tamen, neceſſe eſt, illos non audiri, ſed potius derideri, qui in judiciis, teſtimonii loco, ad cauſam, quam agunt, defendendam, Novellas ſolent allegare. (b)

(b) *vid. Cl.* JOH. WOLFFGANGI TRIERII *Diſſ.* de uſu linguæ Græcæ, *quæ Lipſiæ an. 1706. prodiit*, §. XI.

§. 7.

Multo autem aliter ſeſe res habet cum Medicis: Hi enim, ſi Hippocratem aliosque legere velint, accuratiſſime Græci ſermonis indolem cognitam habere debent atque perſpectam: Innumeræ etiam voces, res Medicas exprimentes, exigunt, ut haud exiguus labor huic lingvæ impendatur. Quod denique ad Philoſophos attinet,

fiet, ſi ſimul hiſtoriæ Philoſophicæ operam navare velint, Græcæ lingvæ omnino debent eſſe periti, utpote quæ ad Ariſtotelis ceterorumque veterum Philoſophorum intelligentiam multum profecto confert.

§. 8.

Ex his ergo elucet: litterarum humaniorum, id eſt, Græci & Romani ſermonis, culturam non tantum eſſe utilem, verum etiam neceſſariam. Qui enim veteris *Latii & Græciæ lingvam* colunt, partem earum litterarum colunt, quæ ſvaviſſimum illud ab humanitate nomen proprie trahunt; ceterum autem partim *Philologia*, Grammaticam, Rhetoricam, Poëſin, artem Criticam, & Philologiam ſtrictiori ſenſu acceptam complectens, partim *Hiſtoriarum & antiquitatum ſtudia* huc pertinent, & ſub humanitatis ſtudiis comprehenduntur. Qui vero ſub *elegantiorum litterarum* voce *philoſophicas* quoque *diſciplinas* contineri arbitrantur, illi nimis amplos fines humanioribus ſtudiis conſtituere mihi videntur.

§. 9.

Veruntamen litteras humaniores veræ

eruditionis partibus non eſſe adnumerandas, non ſine graviſſimis rationibus exiſtimo. Vera enim eruditio felicitatem hominum auget atque conſervat: hæc autem ſtudiis elegantioribus nec acquiritur, nec fit major. Eruditio eſt vel naturalis, vel poſitiva, uti in philoſophorum ſcholis loqui conſvevimus. Illa ex lumine rationis, hæc ex revelatione addiſcitur. Eruditio naturalis vel reſpicit felicitatem corporis, uti *Medicina*; vel felicitatem hominis in genere, tam ratione animæ, quam corporis, uti *Philoſophia*. Eruditio poſitiva nititur vel revelatione divina, & reſpicit felicitatem æternam, uti *Theologia*: vel nititur revelatione humana, & reſpicit felicitatem temporariam, uti *Juriſprudentia civilis*. Unde in quatuor ordines eruditio vulgo dividitur, quos barbaro vocabulo *facultates* appellamus.

§. 10.

Corpus, quod morbis laborat, humanioribus ſtudiis ſanitati reſtitui poſſe, nemo eſt, qui adfirmet: Nec intellectus neque voluntas per elegantiorum litterarum culturam emendantur; quod tamen ad

ve-

veram & ſolidam eruditionem neceſſario requiritur. Quantumvis enim ad artem criticam excolendam acerrimo opus eſt judicio, per eam tamen judicium nequaquam excolitur, neque ſenſus veri & falſi acquiritur: Et licet ex hiſtoriis capi poſſint virtutum vitiorumque exempla, hoc tamen beneficium non tam ex hiſtoriis ipſis, quam ex ſaniori philoſophia, cumprimis rationali, morali, atque civili, derivandum eſſe videtur.

§. II.

Ut paucis multa dicam: Humanitatis ſtudia ſunt inſtrumenta eruditionis, adeoque non omne vitæ tempus in hoc doctrinarum cultu conſumendum, neque major cura ac opera ſuſcipienda, quam natura & cultura earum exigit. Circa ejusmodi enim res verſantur, quæ diſciplinis ſpecialioribus certo reſpectu ſunt utiles, certa ratione neceſſariæ. Cognitio lingvarum nec non Hiſtoriarum eſt neceſſaria: Theologus hiſtoria ſacra carere non poteſt; ſicuti etiam hiſtoria civilis cultoribus Juris tam eſt neceſſaria, quam quod maxime. Qui vero majus humanioribus litteris pre-

tium ſtatuunt, (e) errare mihi videntur: Occupati enim ſunt in verbis, & negligunt res ipſas, quibus verba ſervire debent: neglecto nucleo, inhærent cortici.

(e) *conf. Cl.* JOH. GEORGII WALCHII *Diſſ.* de litteris humanioribus, *Lipſiæ 1715. habita, & Hiſtoriæ Criticæ Latinæ linguæ 1716. adjecta.*

§. 17.

Ad *Philoſophiam* progredior, cujus utilitas in reliquas eruditionis partes largiſſime ſeſe diffundit, quæque omni jure *eruditio generalis* nuncupatur. Ad ſtudium Theologicum quod attinet, quin Philoſophia eximium in eo uſum præſtet, nemo eſt, qui dubitat: Utendum enim eſt ratione, fida in omni vita duce; neutiquam vero magnificentius juſto de ea ſentiendum eſt, ſed potius magnis eam contineri anguſtiis, ſi cum divina comparetur ſapientia, ingenue confitendum. Equidem recte colligere mihi videor, ſi Chriſtianæ religionis veritatem rationis ope comprobari, reliquarum vero religionum ſectarumve fundamenta everti poſſe cenſeo: id quod Grotius aliique, quos jam adducere

nihil

nihil attinet, luculentiſſime commonſtrarunt.

§. 13.

Logica, ut ad ſpecialia deſcendam, iis ſumme neceſſaria eſt, qui ſacro Thologi ſtudio ſuam conſecrarunt operam. Theologia verſatur circa veritates ſpeciales, has vero nemo intelliget, niſi ex Philoſophia rationali, quid generatim verum aut falſum, certum aut veriſimile ſit, didicerit. *Hermeneuticam*, præcipuam Logices partem, quæ rationem ex aliorum ſcriptis veritatem eruendi tradit, quæ monſtrat criteria veri & genuini ſermonis ſenſus, quæ denique oſtendit, qua ratione cuilibet obſcuritati obviam ſit eundum, inſignem præſtare in Theologia Exegetica uſum, neminem, niſi omnium rerum ignarum, inficias iturum arbitror.

§. 14.

Metaphyſica, quæ, ſi proprie accipiatur, alio nomine *Theologia naturalis* vocatur, Theologus prorſus carere nequit: hæc enim DEum exiſtere ac providam rerum creatarum curam agere firmiſſimis probat rationibus, atheorum ſtultitiam

coercet, ſuperſtitionis abſurditatem commonſtrat, veritatem religionis Chriſtianæ confirmat, & ad Theologiam revelatam manu quaſi ducit, & denique θεοπνευςίαν Scripturæ Sacræ haud parum demonſtrat. *Ontologia*, quæ vulgo, ſed perperam, *Metaphyſices* titulo inſigniri ſolet, in perlegendis veterum Theologorum ſcriptis præſtat uſum non contemnendum. Ingenue tamen ac libere profiteor, illam tanta laude, quanta ei a nonnullis impertitur, mihi haud dignam videri: quemadmodum etiam illud clarum eſt, ex ontologia minus recte intellecta atheos arma deſumere poſſe, quibus impietati ſuæ ſpeciem concilient, quod vel ex Benedicti, ſeu potius Maledicti, Spinozæ exemplo apparet; immo doctrina de *univerſalibus* Scholaſticis quibusdam, cumprimis Scotiſtis, atheiſmi argumentum præbuit, uti exiſtimat celeberrimus D. BUDDEUS. (d)

(d) *Theſ. Theol.* de Atheiſmo & Superſtitione *pag.* 107. 108.

§. 15.

Phyſica, ſeu rerum naturalium ſcientia, ſuppeditat argumenta ad coercendam athe-

theorum ſtultitiam longe pulcherrima id quod a clariſſimis viris, FRIDERICO HOFFMANNO, qui ex artificioſa corporis humani machina; CHRISTIANO DONATI, qui ex manus ſtructura; JOH. CHRIST. STURMIO, qui ex ſtructura oculi; J. A. SCHMIDIO, qui ex auris ſtructura; G. A. HAMBERGERO, qui ex cordis ſtructura; & JOH. FRIDERICO WUCHERERO, qui ex ſtructura ἐγκεφάλου, exiſtentiam Dei probarunt, ſatis ſuperque oſtenſum eſt. Accedit, quod doctrina de miraculis, quæ argumentis, quibus athei refutantur, magnum ſuperaddit pondus, & Scripturæ Sacræ auctoritatem divinam egregie confirmat, non niſi ex Phyſica hauriri poſſit. Etiam *Matheſis* ſacrarum litterarum cultori non negligendum ſubminiſtrat uſum, prout a celebr. Altdorfinæ academiæ Theologo, JOH. GUIL. BAJERO, in erudita *de aſteriſmis Scripturæ S.* diſſertatione, pluribus eſt commonſtratum.

§. 16.

Philoſophia Moralis tantum in Theologia adfert uſum, ut verbis ille exprimi

 non

non queat. Prudens enim rerum divinarum diſpenſator, qui in emendandis, convertendis, ſolatio erigendis, confirmandisque hominum animis occupatus, eſt, non ignoret, quæ ſit indoles hominis voluptatibus dediti, ambitionis œſtro perciti, aut divitiis inhiantis, quanta in his omnibus ſit temperamenti vis, quæ argumenta (e) in vitiis convincendis inprimis ſint uſurpanda, ut homo ad meliorem ſeſe recipiat frugem. Hujus vero rei is plane ignatus erit, niſi ex Philoſophiæ Moralis præſcripto diverſam hominum indolem, characteres animorum, rationemque pro diverſitate propenſionum quemlibet tractandi, fuerit edoctus. Accedit, quod ſine ſolida Philoſophiæ Moralis notitia *diſcrimen naturæ & gratiæ* minus recte poſſit cognoſci.

(e) *alia enim præſcribenda ſunt vitæ morumque regulæ avaris; aliæ iis, qui voluptatibus diffluunt; aliæ illis, quos vana vexat ambitio. Exemplo hac in re ipſe Chriſtus nobis fuit.*

§. 17.

Jurisprudentiæ Naturalis in Theologia

uſum

uſum nemo negabit, qui rem omnem accuratius paullo perpendit. Commonſtravit illum luculentiſſime ſumme reverendus J. F. BUDDEUS in P. II. Inſtit. Theol. Moralis. Etiam ſtudium Hiſtoriæ Philoſophicæ haud ſpernendas Theologico ſtudio adfert *utilitates*. Primum enim præcipuumque Theologi officium eſſe arbitror, *homines* ad agnoſcendam ſacrarum litterarum divinitatem adducere: qua in re qui recte procedere voluerit, illi elaborandum erit, ut oſtendat, ſapientiam humanam cum divina collatam ignorantiam eſſe, porro monſtret rationis tenebras atque errores, Philoſophos barbatos, Græcos & Romanos adducat, eorumque ignorantiam, in rebus præſertim divinis, oſtendat; cujusmodi cognitio ad ſolidam, quæ divinis litteris traditur, perducet ſenſim eruditionem. (f) Cognoſcet etiam, qui veterum Philoſophorum doctrinas probe inſpexerit, horum ſplendidam magis quam ſolidam exſtitiſſe doctrinam moralem: (g) nec difficulter inde de Ethicæ Chriſtianæ perfectione judicare poterit. Denique ad hiſtoriam Eccleſiaſticam ex-

actius excolendam maxime utilis eſt hiſtoriæ Philoſophicæ cognitio: plurimos enim errores Theologicos ex philoſophia Platonica & Stoica ſuum traxiſſe originem, cognitum atque perſpectum eſt iis, qui hiſtoriæ eccleſiaſticæ non ſunt expertes.

(f) *conf. celeb.* D. EPHRAIMI GERHARDI *Introd.* ad Hiſtoriam Philoſophicam.

(g) *vid. clariſſimi* D. MEDERI *Diſſ. qua probatur*, ſplendidam magis, quam ſolidam eſſe gentilium Philoſophorum doctrinam moralem.

§. 18.

Qui Jurisprudentiæ Civili operantur, eos non ignaros eſſe oportet diſciplinarum philoſophicarum: hæ enim viam ad ſolidam Juris cognitionem ſternunt tutiſſimam. Jureconſulti verſantur in interpretatione legum; quis autem interpretem cogitet ſine philoſophiæ ſubſidiis? Rationalem itaque philoſophiam curæ cordique habere debet futurus Jurium interpres: De morali atque civili etiam nihil attinet dicere, cum unicuique, citra præceps mentis judicium rem intuenti, facile

appa-

appareat, haſce doctrinas continere pri-mas atque præcipuas legum rationes. Juris cultor, qui Juriſprudentiæ Naturalis notitia non eſt imbutus, evadet Rabula aut Legulejus, inutile terræ pondus, dedecus patriæ & pernicies reipublicæ. (h) Ex quibus omnibus haud obſcure intelligitur, quam neceſſaria ſit philoſophiæ ſanioris, cum ſtudio Juris conjunctio.

(h) *add. Conſultiſſimi* D. GERHARDI *Prolegomena* Delineationi Juris Naturalis *præmiſſa, quem Virum præmatura morte extinctum merito dolemus.*

§. 19.

Studioſi Medicinæ per rerum naturalium ſcientiam, quam Phyſicam vocamus, ad ipſas artis Medicæ partes rectius addiſcendas apti redduntur; Phyſica autem magis nititur veriſimilitudine quam demonſtrationibus; ex quo adparet, philoſophiam rationalem cultoribus Medicinæ eſſe neceſſariam. Accedat porro, neceſſe eſt, Philoſophiæ Moralis notitia: morbi enim, qui ex pravis animi adfectibus oriuntur, felicius haud raro curantur præ-

ceptis moralibus, quam medicamentis.

§. 20.

Ex iis itaque, quæ hactenus a me dicta ſunt, luculentiſſime conſpicitur, *philoſophiam* ſuo merito ac omni jure vocari *eruditionem generalem*, eamque aditum ad nobiliores diſciplinas, Theologiam, Jurisprudentiam ac Medicinam, aperire. Ex quo ſimul elucet, eos, qui nihil aut præſidii aut ornamenti ex omnibus philoſophiæ partibus ſublimiores ſcientias capere exiſtimant, in manifeſto verſari errore: Sicut e contrario illi, qui magnificentius juſto de iis ſentiunt, easque ultra, quam decet, evehunt atque prædicant, non minus in eas iniqui ſunt, quam qui easdem ſupprimunt atque contemnunt.

Obſer-

Obſervatio CLXXXV.

CAROLI ARNDII,

D.P.P.O. Acad.Roſtochienſis,

de

Sceptrorum Academicorum, eorumque Rectoralium, formali & materiali origine.

§. I.

Sceptrorum Academicorum eorumque Rectoralium & Jurisdictionem inſolentium

Splendidiſſimo illi, Civitatum Academicarum, tam numeroſo florentium Civium cœtu inſignium, inſtituto, quo Regendi adminiſtrandique poteſtas ab uno in alium devolvitur, Sceptrisque Majeſtaticis, cætera inter Inſignia Regalia, conſpicuum maxime redditur, ſimile quid animadvertere hactenus non licuit in omnibus retro Seculis, apud omnes Gentes & populos, ne apud HEBRÆOS quidem, apud quos tamen alias, tanquam Eruditionis tum Æſtimatores tum Cultores Maximos, in reliquis rebus & juribus Academicis, etiam quoad

ipſum

ipſum Academiæ Caput, nude & in ſe, absque ſceptrigera jurisdictione ſpectatum, documenta ſane occurrunt, hodiernis noſtris moribus atque inſtitutis, iisque Academicis, haud abſimilia. Vid. CONRINGIUS *Antiqu. Acad. Diſſert. 17. p. m. 139. 140.* Etiam multa præclara inſtitutorum genera, ab Ægyptiis, Chaldæis, Perſis, Græcis, Romanis, Arabibus, aliisque Gentibus, in literarias Scholas, easque maximas, collata eſſe ſummo ſtudio, in Antiquitatibus earundem obſervamus; ſed quod comparari mereatur cum juris illa dicundi poteſtate & Sceptrorum Majeſtatica dignitate, qua nunc, Academiæ quæ vocantur, imprimis gaudent, vel hac una certe feliciori Docentium æque ac diſcentium conditione, quam illa antiqua, ſcrinia Antiquitatis illarum Gentium ſedulo excutientes, non deprehendimus, tametſi magno in pretio fuerint apud omnes illas & ſingulas Nationes Viri literati ac præcipue melioris doctrinæ Magiſtri. Si forſan cuidam, in medio hoc veritatis Antiquariæ meridie, Sol hicce Hiſtorici luminis illuſtriſſimus non fulgide ſatis

Nullus fundus in Academiis Hebræorum.

tis alluceat, is ante omnia in memoriam ſibi ut revocet, neceſſe habet, quod in nullis monumentis antiquis, ſive Hebraicis, ſive aliis, unquam inveniamus aut legamus, animadvertendi in Iuvenes, ſtudiis litterariis deditos, eosque fontes, ſeu limites honeſtatis excedentes, vim poteſtatemque ſeorſim aliis, quam qui Civili Magiſtratu functi ſint, conceſſam fuiſſe, quodve ex *uno* ſit eorum, quæ impoſſibilia habentur, quod iſtiusmodi inſtituti memoria, inter tot Doctorum Scripta & ſimilia documenta, ad Nos non pervenerit, ſi illa usquam in aliqua Gentium recenſitarum Academia, pro iſto tempore ita dicta, locum quendam obtinuiſſet.

§. II.

Inter Monumenta reliqua Academica; Et quidem Separatam Iurisdictionem inferentium.

Cogitet ulterius & penſitationibus attentis ſecum accuratius revolvat, argumenti hujus Inveſtigator curioſus, apud HEBRÆOS, evidentiſſimos alias Inſtitutionum noſtrarum in plerisque rebus & actibus Academicis Præluſores, Juventutem Academicam, pro illius temporis ratione ita appellatam, in de-

lictis

lictis quibusvis gravioribus, poenisque omnigenis iisdem irrogatis, directioni ſubſuiſſe illius Magiſtratus, qui, quoad Jurisdictionem poenalem & in Sacris & in Eccleſiaſticis (ad quæ pertinebant Academica) & in Politicis, tam Civilibus ſive forenſibus, quam Criminalibus & Capitalibus, iſto tempore Summus, nempe SYNEDRII MAGNI ejusque PRINCIPIS, NASI dicti, juxta RELANDUM *Comp. Antiqu. Jud. p. m.* 220. ſeculis tantum ſerioribus, Academiæ ſimul Illuſtris Rectoris, juxta ALTINGIUM vero de *Rep. Hebr. Scholaſt. p. m.* 102. 103. & SCHERTZERUM *in Progr.am. & Orat. Acad. p. m.* 414. 415. ſeculis etiam prioribus, idque ſecundum luculentiſſima Doctorum Judaicorum teſtimonia, a diligentiſſimis Antiquitatum Hebraicarum, & in iis Academicarum Conſtipatoribus, diſertiſſimis verbis in medium producta. *Vid. alios inter* URSINUS *in Antiqu. Hebr. Scholaſt. Acad. Cap. III. p. m.* 69. 70. 71.

Nullus fundus in Academiis Græcorum & Romanorum. Perpendat ſecum præterea in animo ſuo, & ex Antiquitatibus Græcorum pariter ac Romanorum (ut cultiſſimas tantum inſinuem

ſiuem nationes) exactius paulo perveſtigatis, penſiculate conſideret, ipſas Romanas Leges, quæ tamen Salaria & immunitates Magiſtris decreverint, ſecus quam factum fuerat a Græcis, cum aliorum Magiſtratuum, tum Decurionum judiciis ipſosmet Doctores ſubjeciſſe: ipſis in Athenis Atticis Pro-Conſuli paruiſſe Profeſſores omnes, & quæ ad ipſorum Cathedram pertinent, animadverſionem quoque Scholaſticæ Juventutis, unius fuiſſe Pro-Conſularis Juris, idque conſtare vel ex tumultu per Studioſos quosdam excitato, & ſuper illa re inſtituto a Pro-Conſule judicio publico, quinimo in Academia Conſtantinopolitana Studioſam Juventutem ſub jurisdictione Præfecti Urbis & in Academia Berytenſi ſub imperio Præſidis Phoenicia Maritimæ, idque ipſomet Juſtiniano Imperatore approbante, fuiſſe comprehenſam.

§. III.

Adeſt fundus in Conſtitutionibus Principum Chriſtianorum. Friderici I. Imper. Sec. XII. A.C. 1158.

Cum igitur deducta hactenus ratione nullam in Conſtitutionibus Regum & Principum Orbis Terrarum habitabilis populorum eminentium, eorumque tam Hebræorum, quam

quam Græcorum & Romanorum, inveniamus Originem Sceptrorum Academicorum Jurisdictionem Academicam præ ſe ferentium & involventium; originem eorundem quæramus in Conſtitutionibus Imperatorum Chriſtianorum, & reperiemus eandem feliciter in Seculo poſt Chriſtum natum duodecimo, & quidem Conſtitutione prudentiſſimi fortiſſimique Germanicorum Cæſarum, FRIDERICI PRIMI, vulgo BARBAROSSÆ dicti, quippe qui habita, ſuper meliori Scholaſticorum conditione, diligenti inquiſitione & examinatione, Epiſcoporum, Abbatum, Ducum, & aliorum Procerum Sacri Palatii Authenticam condidit illam, quæ inſcribitur, *Habita*, quæque Cæſare ita volente Codicis Juſtinianei tutulo, *Ne Filius pro Patre*, annexa eſt. In hac Authentica, etſi alia nonnulla conceſſa ſunt literatis, qui ſtudiorum gratia peregrinantur, tum illud inprimis iisdem collatum eſt, quod erepti indoctorum hominum foro, optione data, vel Epiſcoporum vel Dominorum loci, vel Magiſtrorum Jurisdictioni ſubjicere ſeſe iſto tempore potuerint, & quidem verbis

bis, quæ audiantur & expendantur accuratius, longe dignissimis ſequentem in modum conceptis: *Si litem quisquam Studioſis ſuper aliquo negotio movere voluerit, hujus rei optione data Scholaribus, eos coram Domino, vel Magiſtro ſuo, vel ipſius Civitatis Epiſcopo, quibus hanc jurisdictionem dedimus, conveniat, qui vero ad alium Judicem trahere eos tentaverit, etiamſi cauſa juſtiſſima fuerit, à tali conamine cadat.* Vid. CONRINGIUS *in Antiqu. Acad. p. m. 140. ſq.* Fundamento huic Sceptrorum Academicorum, Rectori Academiæ competentium, ad exemplum Conſtitutionis FRIDERICIANÆ, jamjam inſinuatæ, ab Academicis illius Seculi, Neapolitanis inter alios, Salernitanis & Pariſienſibus, egregia & Studioſis utili ratione adaptato, firmamentum neceſſarium æque ac ſalutare acceſſit in Seculis ſubſequentibus, decimo tertio & decimo quarto, quippe in quibus, cum raræ eſſent Scholæ Academicæ, ingensque adeo Juvenum multitudo literis operam navans, paucis his & raris in locis, multorum ſoepius millium numero,

Adeſt etiaſi formalis in Regimine Rectorali ſtabilita Sec. XIII. XIV.

in *iſta* autem numeroſiſſima multitudine plurimi extarent petulantiſſimi, Civiliumque turbarum duces & Autores improbiſſimi, in certas tum nationes, quas dixerunt, diviſa fuit Studioſorum immanis multitudo, quarum ſingulis præeſſet Unus, qui porro Communem aliquem Rectorem eligeret, apud quem omnis omnino Juriſdictio Academica reſideret. Vid. CONRINGIUS *l. c. p. m.* 152--164. Atque ſic ab hoc firmamento, ſpecialioris quidem temporis & loci deſignatione incerto, derivatur jure meritoque recentius pariter ac hodiernum, *Sceptrigeræ Academiarum Juriſdictionis, in omni ſua Juriſdictionis & Politica forma conſideratum Regimen*, circa finem demum Seculi XIV. & medium circiter Seculi XV. in eandem redactum, quod in omnes Academias, quæ & illo, quo conſolidatum eſt, Seculo & Seculis ſubſequentibus, ad hodiernum usque diem, aut erectæ ſunt de novo, aut legibus arctius conſtrictæ, accreſcentibus paulatim ſolemnibus, & circumſtantiis hinc inde variantibus, Cæſarum, Regum, Principum, Pontificum, Clementiſſimis bene-

beneficiis eſt introductum atque, Gratioſiſſimis horum ipſorum privilegiis, incerto quamvis temporis ſingularioris articulo, Habitu purpureo, Sceptrisque Regibus debitis, glorioſiſſima quadam ratione eſt exornatum.

§. IV.

Adeſt occaſio Materialis in Antiquitatibus Hebræorum.

Quamvis autem omnia illa, quæ hactenus ſunt expoſita, revera ita ſeſe habeant, Sceptrorumque Rectori Academico commiſſorum, illuſtris Autoritas, in omni ſua Jurisdictionis & Politica forma ſpectata, non poſſit extendi quoad originem ſuam & occaſionem, ultra ſeculum decimum tertium & quartum poſt Chriſtum Natum; omnia tamen illa haudquaquam nobis obſtant aut obſtare videntur, quo minus *Sceptrorum Academicorum, Rectoris fidei traditorum, Magnificam conditionem, in prima ſua h. e. præcipua eaque Symbolica materia, ſive in præcipuo ſuo, eoque Symbolico argumento conſideratam*, Regia ſcil. ac Principali dignitate, Symbolico ipſorum ſignificatui inſita atque innexa, ad ultimum extendere poſſimus Antiquitatum Hebrai-

carum terminum, atque primam, hoc reſpectu, occaſionem, primam, hoc ſenſu, originem, ſicut reliqua Academiarum ritualia, ab uſurpationibus HEBRÆORUM tam Ecelesiaſticis quam Politicis, ad Græcos & Romanos transplantatis, bona fide, repetere. Leg. JAC. MASENIUS *in Seculo Imaginum veritatis occultæ Cap. XXXVIII. n. XXII. p. 383.* & THEOD. HOEPINGK *Tr. de Inſignibus Cap. II. Sect. 17. membr. 4. §. 555. ſq. p. 108. ſq.* Si enim antiquiſſima ſimul ac veriſſima Antiquitatum Hebraicarum conferimus momenta, quæ Sacra ſunt & divinitus inſpirata, non ſine magna animi colligimus voluptate, Sceptrum, frequentiſſime inibi occurrens, non tantum ſignificare Summum Imperium unius, Regibus hoc ſenſu attributum, ut Ahasvero, Sceptro itidem Meſſiæ Sacris in paginis ſoepius ingeminato, ſed & imperium plurium, qui non tantum ſumma & abſoluta gaudent poteſtate, ſed & Superiorem agnoſcunt, a quo conceſſam habent poteſtatem Imperii, quam exercent, in locis

Nempe in Sceptris Poteſtatem Summam & ſubordinatam denotantibus.

nempe

nempe illis, inter alia manifeſtis, Jud. V. 14. de *Trahentibus Sceptro Scribæ* i. e. Literatis Regnantibus, vid. JOH. MICH. LANGII *Diſp. pecul. ad h. l. Decat. II. Exercit. Theol. Exeget. Pract. Altorff. ed. in 4. Exerc. V.* 2. Sam. VII, 7. 1. Paral. XVII. 6. iisdemque parallelis, quorum uno qui dicuntur, *Judices Iſraelis*, altero ſalutantur *Sceptra Iſraelis*, non Tribus Iſraelis, prout Septuaginta tranſtulerunt Interpretes, & cum iis etiam B. Lutherus, quippe quæ translatio adverſatur partim collationi Loci Paralleli, partim additæ deſcriptioni, qua determinantur juſſi eſſe *paſcere populum* Iſraelis. Vid. NIC. KOEPPEN *Diſſ. Gryphiſvv. hab. 1705. ad Geneſ. XLIX. 10. §. VI. p. 9. 10.* Quemadmodum autem τὸ paſcere Virga ſeu Sceptro ex Virga ſolida atque robuſta configurato (Ezech. XIX, 11. 14.) & de Davide & de Meſſia ſoepius uſurpatum in Sacris, Supremum & Regium inſinuat Rerumpublicarum moderamen, ita τὸ extendere Virgam ſeu Sceptrum ex ea configuratum, ſubordinatum ſubinfert & delegatum Rerumpublicarum Regimen, nominatim in Hiſtoria Sacra

Jonathanis, (1. Sam. XIV, 27.) Principis Juventutis, qui Patris auſpiciis Regiis militaſſe fertur, & in prælio cum Philiſtæis, prout Septuaginta verterunt Interpretes, Sceptrum geſſiſſe in manibus, quod qui magis Ruſticum baculum, ſive Pedum Paſtorale, quam inſigne Ducale, habere velit, & in ſignum poteſtatis atque Imperii geſtatum, præfracte negare, næ is declaraverit, ſe parum ſcire, quam Sceptra diſtent Ligonibus, parumque intelligere, non aliud quid latere hic cauſæ, quod populus nudas manus ad Mel non extendiſſe, ſolus JONATHAN Scipione (Sceptro) uſus legatur, niſi quod Scipionem (Sceptrum) ſolus prætulerit. Omnium clariſſime Sceptra & ſummam denotaſſe apud Hebræos & ſubordinatam poteſtatem, colligimus ex Oraculo Geneſ. XLIX, 10. ex Illuſtriſſimis Sacrorum uno, quod vaticinatur, *non ablatum iri Imperium rerum, licet non Summum ſemper, a Poſteris Judæ, ſeu Tribu ab eo deſcendente, neque adminiſtrantem illud Imperium, naturali generatione e Juda exeuntem, ſive Regem, ſive Principem, ſive Collegium, ſive utrosque Operam conjungentes,*

tes, donec veniat Meſſias, Tranquillator ille Orbis intenſiſſimis votis expetitus; quodque adeo promittit Sceptrum ordinarie adminiſtratum, ante Reges, a Synedrio, cum quo coepit, tempore Regum a Regibus & Synedrio, & poſt Reges, per Synedrium, ad finem usque Politiæ continuatum, Sceptrum tempore Salvatoris, nati & in his terris verſantis, valde quidem acciſum & diminutum, nequaquam tamen penitus ablatum, aut funditus præciſum, tandem cum ipſa Urbe, in qua florebat, Hieroſolymitana, miſerrime deflagrante, Synedrioque ejusdem, quo vigebat, auguſto, nefarie diſſoluto, ex complemento vaticinii divini omni ex parte remotum.

§. V.

Tranſeuntibus ad Græcos in Sceptris Regibus ſuis & Magiſtratibus attributis.

Tranſiit hoc Sceptrum Regum, Ducum, Præſidis Synedrii ejusque Aſſeſſorum Majeſtaticum & Symbolicum, Hebraicis in monumentis, tam Sacris quam Eccleſiaſticis, toties decantatum, ab Antiquiſſimo Dei populo, nempe, HEBRÆO, ad reliquos vetuſtiſſimarum ætatum populos, & ad excellentiſſimos ex aliis

GRÆCOS, vid. MATTH. BERNEGGERI *Decad. Orat. Acad. Orat. VI. p. 186. ſq.* MART. DE ROA *in Singularibus Scripturæ. S. Part. I. Lib. II. Cap. V. p. 124. ſqq.* JOH. PHIL. PFEIFFERUS *Antiqu. Græc. Lib. II. cap. VIII. p. 195. 196.* implevitque & illorum monumenta, quæ nobis hodie ſuperſunt, Profanorum Claſſibus adſcripta, Heſychii, Suidæ, Varini, Euſtathii, & aliorum unanimi quippe conſenſu atteſtantium, Sceptrum proprie dici omnem Virgam ſive baculum, ab eo, quod eſt, inniti, quia eodem innitamur, & Regum Summarumque Poteſtatum Auguſtum extitiſſe Inſigne, qui ideo cætera inter Illuſtria Nomina & appellentur σκηπτῦχοι h. e. *Sceptrigeri*, idemque σκηπτοφόροι *Sceptriferi*; nec ſolum Regium fuiſſe Inſigne, ſed & reliquorum Magiſtratuum & imprimis Δικασπόλων i. e. Judicum ſive delegatarum poteſtatum, vel juxta apertiſſimum teſtimonium HOMERI, de Sceptro, per quod Achillem jurantem introduxerat, ex verſione latina dicentis: *In manibus geſtant* (illud Sceptrum) *Judices, quique leges a Jove cuſtodiunt.* Nec implevit Sceptrum

hoc

hoc Symbolicum & Politicum Græcorum tantum monumenta, quoad *formam*, communi conſenſu Regibus & Magiſtratibus reliquis, hoc ipſo inſigni attributam, Majeſtatem nempe ſive dignitatem Auguſtam, ſed & quoad *materiam*, ex qua attributum *hoc* Magiſtratui & ſuperiori & inferiori inſigne fuerit conformatum, quippe *quam* communi relatione ita deſcribunt, ut dicant, fuiſſe gladio decorticatum, quod folia amplius non foveret, ac, proinde fuiſſe Ligneum, figuræ inſuper oblongæ inſtar haſtarum, quibus Reges & Duces, quandoque, Etymo vocis completo, quietis gratia innixi, nominatim Agamemnon apud Homerum, figuræ ſcil. optime adumbrantis Regum & Magiſtratuum officium, quod Paſtorum inſtar debeat geri, nomenque & Regibus & Magiſtratibus aſſignantis, quo communi ſalutatione a Subditis ſuis appellati ποιμένες λαῶν i. e. Paſtores populorum, populum ſibi ſubjectum, oves ſibi concreditas, debitum in modum paſcentes, non indignum in modum tondentes aut plane deglubentes.

§. VI.

Quod ab Hebraicis ita tranſiit ad Græcorum Antiquitates, earumque loculamenta egregie ſatis exornavit, id ab Hebraicis pariter per Græcos traductum eſt ad Antiquitates LATINORUM ſive ROMANORUM, eorumque occupavit repoſitoria, quippe in quibus harmonicam quandam de ſceptro h. axiomatico & Hieroglyphico deprehendimus commemorationem, qua conſentientes Hiſtorici Romanorum cum Poetis, eadem adducunt circa Sceptri, jamjam inſinuati, *formam*, nempe Auguſtam illo indicatam Dignitatem, æque ac apud Græcos, & Regibus illorum adjudicatum fuiſſe & reliquis Magiſtratibus, tam Summis, ſuo quibuslibet tempore, quam Subordinatis, Conſulibus, Prætoribus, Ædilibus, Ducibus belli, & aliis, juxta pulcherrimum illud inter alia quamplurima puriſſimi illius LIVII teſtimonium: *Omnia Regum Inſignia adeoque & Sceptra Conſules habebant* VALERII item illius venuſtiſſimi & maximi: *Exactis Regibus, Imperii eorum vim univerſam, omnia-*

A Græcis ad Romanos, Sceptra pariter Magiſtratibus & Superioribus & Inferioribus Aſſignantes.

omniaque inſignia (adeoque & Sceptra) *in ſe translata animadverterunt Conſules.* Eandem cum Græcis Hiſtoricis atque Poetis, & quidem harmonicam deprehendimus commemorationem, Hiſtoricorum ac Poetarum Latinorum, circa Sceptri, axiomaticæ Majeſtatis Hieroglyphici *materiam*, ex qua elaboratum fuit & conformatum, elaboratum ſcil. fuiſſe initio & conformatum figura Græcorum oblonga, ad haſtæ figuram compoſita, juxta illud nitidisſimi Breviatoris JUSTINI: *Per ea adhuc tempora Magiſtratus Romanorum haſtas pro Diademate habebant quas Græci dixere*: elaboratum fuiſſe initio e ligno & conformatum poſtea ex ære, juxta illud elegantisſimi pariter ac ritualibus Romanorum refertisſimi VIRGILII: *Ut Sceptrum hoc, dextræ Sceptrum, nam forte gerebat, olim arbor, nunc Artificis manus ære decoro incluſit, Patribusque dedit geſtare Latinis*: elaboratum deinceps ex Ebore, & tandem, creſcente luxu atque ſplendore Imperatorum præſertim Seculis, ex auro atque argento, juxta illud diſertisſimi JUVENALIS, Satyricorum facile Principis: *Da nunc & volucrem Sceptro quæ ſur-*

git Eburno. Vid. CASALIUS, *de Imperio Romano Part. III. Cap. VII. p. 391.*

NOTA.

Aliam de *Sceptrorum Academicorum, eorumque Rectoralium tam apud Hebraeos, quam apud Chriſtianos, cum Sceptris regiis aequiparatione haud iniqua* obſervationem Tomus X. horum Miſcell. dabit.

Obſervatio CLXXXVI.

M. JOH. MICHAEL WEINRICHII,

Illuſtr. Lyc. Meinung. Inſpect. & Rectoris,

qua

Comparatio *Poeſeos Germanorum cum illa Ebraeorum veteri* inſtituitur.

§. I.

Nihil illuſtrius hominumque ingenio dignius eſſe arte poëtica tantum abeſt, ut ſanae mentis viri in dubium vocent, ut potius mirabili conſenſu & ſumma animorum contentione id confirmatum velint. Graecorum ac Latinorum laudes, quibus Poëſin celebrant, ipſorumque carminum rationem, quid opus eſt, ut multis verbis enumerem? Tot teſti-

monia,

monia, tot præclara judicia exſtant, & ipſius rei majeſtas tantum addit pondus, ut poëtices artis oſores vix inveniant, quod reprehendant amplius. Confer. della ragion Poetica libri II. di *Vincenzo Grauina* edit 1708. libr. I. cap. XVI. ſeqq. *Tanaquillum Fabrum*, *Daceria*, virili ingenio ſtudioque fœminæ, fratrem, nemo eſt, qui audiendum cenſeat in eo libro, quo de *futilitate Poëſeos* diſputat, artemque cœleſti ſpiritu progeneratam audacter ſatis damnat. Plures eum ipſum futilitatis inſimulant; alii excuſandum exiſtimant, quod magis ingenii oſtendendi cauſſa, quam ſeria animi ſententia librum conſcripſerit. Vid. DN. L. FRIEDR. GUILIEL. SCHUZIUS, *Diſertiſſimus apud Lipſienſes V. D. M.* in exercit. contra Fabrum. Divini aliquid poeticis artibus ineſſe, vel origo iſtarum manifeſtum reddit & perſpicuum. Nemo enim eſt, qui eas a ſanctiſſimis viris divino adflatu inuentas eſſe neget. Omnes fere, qui primos a condito orbe Poetas deprædicant ad Moſen gentemque Iſraeliticam recurrunt, ſe ibi prima incunabula divinæ Poeſeos reperiſſe arbitrantes. Vid. *Polydor. Vergilius* de inuent. rerum libr. I. cap. VIII. & hiſtoire de la Poeſie Françoiſe, a Paris Chez *Pierre Giffart* 1706. cujus auctor eſſe *Abbas Meruesin* dicitur. add. *Lilius Giraldus* in dialogis, & alii complures.

§. II.

§. II. Quod ſi autem omnes Muſarum rivuli ad unum fontem reducunt indagantes; mirum, quod ſpero, nemini videbitur, ſi & Germanicam dixerim poeſin non nihil continere, quod cum Ebræorum poetica conveniat, eamque ob cauſam hanc cum iſta commode comparari poſſe. Equidem ex eo dubium oriatur, quod plures doctorum ullum Ebræis metrum carminum fuiſſe negarunt. Magnus enim ille ſuique ævi doctorum facile princeps *Scaliger* in animadverſ. ad Chronic. „Euſebii ſic concludit confidentius: Ut in „Ebraico, Syriaco, Arabico & Abyſſino idio„mate ulla metri ſpecies concipi poſſit, nemo „efficere poteſt; quia id natura ſermonis non patitur. At vero hanc Scaligeri peruerſe ſentientis mentem caſtigat & *Bohlius* in diſſert. I. theſ. 16. pro miniſterio ſenſus ex accentibus metricis, & *Alſtedius* Triumph. bibl. p. 263. Et ipſæ voces linguæ Ebraicæ, vocaliumque conditio docent, ſe certae pedum dimenſioni ſubjacere, & modo Jambum, modo ſpondæum, modo trochæum in ſermonis decurſu locum habere. Quæ etſi veritati conſentanea eſſe haud ignorem; minime tamen abs me impetrare poſſum, ut iis adſentiar, quæ *Polydorus Vergilius* memoriæ prodit, Moſen eſſe Hexametrorum inuentorem. Procul dubio ex *Joſephi* verbis Libr. 2. Cap. ultim. Antiqu.

tiqu. Judaic. *Μωυσῆς ᾠδὴν εἰς τὸν Θεὸν ἐξαμέτρῳ τόνῳ συντέθησιν*, ubi Moſen perſuaſit Hexametra carmina inueniſſe. Tam certum enim eſt, quam quod certiſſimum, integra carmina Hexametris ac Pentametris compoſita neque in ſacro codice, neque in reliquis Ebræorum ſcriptis extare. Neque *Joſephus* Moſen auctorem facit Hexametrorum, ſed eum tantum Hexametrum tonum obſeruaſſe credit: quo tamen ipſo paulo *liberalius* agit, reſque veterum Ebræorum ex *genio*, tum Ebræis Græcorum ſtudia imitan*tibus fa*miliari, deſcribit, quod ei & in aliis locis haud infrequens vitio omnino vertitur. Interim non uno genere carminum contentos fuiſſe Ebræos, idem *Joſephus* eloquitur, libr VII. cap. XII. commentatus, Davidem *ὕμνους συντάξασθαι μέτρου ποικίλου· τοὺς γὰρ τριμέτρους, τοὺς δὲ πενταμέτρους ποιῆσαι.* Genus tamen hexametron ac pentametron unquam uſu receptum fuiſſe apud Ebræos, vix validis argumentis evinci poterit. Quæ *Iſidorus Hiſpalenſis* libr. I. c. 10. origin. adſerit, Jobum Hexametro verſu, Dactylo Spondæoque decurrere, dictu fortaſſe quam probatu faciliora ſunt.

§. III. Sic ubi ergo Ebræis & pedes varii & certa genera, nec tamen Hexametra & pentametra carmina, fuerunt: ita & Germanis varios eſſe pedes, varia genera, nec tamen Hexametra neque pentametra tam certum eſt, quam

quam quod certiſſimum. Pedes naturæ lex neceſſitasque conſtituiſſe videatur, dum cuique ſyllabæ ſua quantitas, ſuus tonus & accentus incumbit. Supervacaneum foret, in præſenti quidquam de quantitate ſyllabarum in lingua Germanica diſputare, quod ejus adcuratam obſervationem ſingula carmina condocent, & aures noſtræ offenduntur graviſſime, ſimul ac vel leviſſime contra ſyllabæ naturam peccatum fuerit. Miramur igitur, neque ſatis demirari poſſumus, quid in mentem venerit *Georgio Hickeſio*, celebri Anglorum Philologo, ut in Theſauro Grammatico-Critico & Archæologico linguarum veterum ſeptentrionalium negaret iterum iterumque, Germanos in conficiendis carminibus ad ſyllabarum men-
„ſuram attendere. Sic enim ipſe: (Saxones
„hodierni) pro arbitrio longas imo natura
„longas corripiunt, & breves ſyllabas, quidni
„dicam breviſſimas, producunt. Ita quidem
„noſtri, ita etiam exteri per totam Europam
„Poetæ, apud quos una carminis lex eſt, cer-
„tum & definitum ſyllabarum numerum ob-
„ſervare, nulla tamen obſervata ſyllabarum
„quantitate. Abeſt ab hodiernis carminibus
„pedum metricorum obſervatio, qui ſi ullibi
„excurrunt, caſu ſane id fit, non arte aut ſtudio,
&c. Putarem, *Hickeſium* vel rudem plane poetices Germanorum, vel nimis peritum, & li-

centia,

centia, quam ſibi Poetae vindicant, paulo liberalius abuſum cum haec ſcriberet. Poetae Germanici, ex Saxonum loquendi more carmina ſcribentes, omnium praeſtantiſſimi ſunt nitidiſſimique. Bauarorum enim, Auſtriacorum, Heluetiorum, ac Gueſtphalorum dialectus, quibus familiaris eſt, neſcio quid aſperi, horridi & abſoni habent carmina; cum e contrario dialectus Saxonum omnium puriſſima ſit, maximeque delicata. Syllabas praeterea Saxones tanta cura, tanto ſtudio, obſeruant, ut fere ſoli aures aliorum minime turbent, & molliſſima carminum dulcedine facile in aliorum ſenſus animosque influant. Acutum ſane *Hickeſii* judicium de totius Europae Poeſi! ſcilicet. Quodſi poeſi Orientalium opponas, praeſertim Ebraeorum, quid tandem exſpectandum erit? Nonne illud *Schuppii* ſpecioſius dictum in praefat. ad. od. Sacr. Ob das Wörtlein und, die, das, der, ihr und dergleichen kurtz oder lang ſeyn, daran iſt mir und allen Musquetirern in Stadt und Bremen wenig gelegen. Welcher Römiſche Käyſer, ja welcher Apoſtel hat ein Geſetz gegeben, daß man einer Syllben halben, dem Opitio zu gefallen, ſolle eine gute Gedancke, einen guten Einfall fahren laſſen? *Schuppius* enim *Opitio* concedit, quantitatem ſyllabarum adcurate ſeruandam eſſe; at ſolam licentiam ſibi

aliquam in certis caſibus dari poſtulat. *Hi-ekeſius* autem omnem ſyllabarum menſuram carminibus noſtris abeſſe incondite ſane clamat.

§. IV. Ad metra pergimus, & Germanorum & Ebraeorum, eaque utriusque gentis poeſi celebrata fuiſſe, & adhuc ex parte celebrari, credimus. Supra jam diximus, *Ebraeos Hexametrum & pentametrum genus ignoraſſe*: & idem illud Germanos magni non facere, prout quidem a Latinis & Græcis adhibitum eſt, vix indiget demonſtratione. Vnum adhuc, quod praetermiſſum ſuo loco fatemur, heic inſeramus fas eſt, & ad reddendam inſtituto noſtro formam fere neceſſarium. *Blaſius Garofalus*, Italus, annos abhinc novem Conſiderazion intorno alla Poeſia de gli Ebrei & dei Graeci, ſiue conſiderationes de Poeſi Hebraeorum & Graecorum duabus partibus abſolutas typis exſcribi curauit; quarum priori *Jacobi Capelli*, Ludovici filii, & opinione et auctoritate munitus contra eos pugnat, qui Ebraeis certa carminum metra fuiſſe ſtatuunt, ſolos Rythmos apud eos obtinuiſſe, ſibi perſuaſus. Paucis annis poſt lucem adſpexit Squarcio di lettera del dottor Bernabo Scacchi ſopra le conſiderazioni del Signor Biagio Garofalo intorno alla Poeſia de gli Ebrei; quem

Scacchi-

Scaubium accepimus medicum quendam eſſe Judaeum, cui *Raphael* nomen ſit, & *Garofali* ſententiam refutaſſe. Hic quo utatur modo in coercendo *Garofalo*, jam non curamus; operae tamen pretium ducimus, breviter *Garofali* argumenta heic ſubjicere, ut virtus eorum, veritas, *infirmitas*que hoc dilucidius cognoſcatur. *Vllum* Ebraeis metrum fuiſſe, negat, ea *potiſſimum* inductus ratione, quia Hebraei *non tanta* in dicendo utantur libertate, & *adjectiuum* plerumque ſequatur ſubſtantiuum: *dicentes* אישטוב, non vero טובאיש. genitiuus autem nomini non praeponatur &c. Ergo nulla lingua, quæ naturalem vocum compoſitionem ſtrenue ſectatur, apta eſt ad metrum quoddam conſtituendum? Germani plerumque adjectiuum qualitatis & quantitatis ſubſtantiuo praeponunt: dicunt enim: ein guter Mann: non vero: ein Mann gut? ergo Germanica lingua ad nullum carminis metrum aptum eſt? ita ſcilicet! Grauior altera *Garofali* ratio, qua utitur: Hebraeis duas tantum terminationes in plurali numero eſſe, alteram in ים, alteram in ות, easque facere, ut pedes ad metrum compoſiti ſemper ſint iidem & metri elegantiam dulcedinemque perdant. Praeclare ſane actum erit cum arte Poetica, ſi pedes ex ſolis terminationibus pluralis numeri & inſtituendi & diju-

dicandi ſunt. Quot & quibus terminationibus in plurali numero utuntur Itali? quot & quibus Germani? vix pluribus quam Ebraei, neque tamen impediuntur, quo minus metra carminum conſtituant, colant, obſeruent. Reliqua, quibus *Garofalus* in hac pugna utitur, arma leuiora ſunt, & adverſariis fere minorem metum incutiunt, ad defendendam quippe arcem poeticam ab ipſo exſtructam minus valida ac robuſta.

§. V. Vt autem manifeſtius pateat, qua in re Germanorum Poeſis cum illa Ebraeorum veteri conveniat, temperare mihi non poſſum, quin fatear, eorum ſe mihi opinionem ſemper adprobaſſe, qui odarum genus Ebraeis familiare fuiſſe ſuſpicantur. Primum enim ſuffragio patrum tuti uenerabilem antiquitatis vultum non dehoneſtant. *Hieronymus* namque Ebraeorum ſtudii morisque haud ignarus plane, in praefatione ad Jobum haec aperte ſcribit: „quod ſi cui videtur incredulum, metro ſcilicet apud Ebræos et in morem noſtri „Flacci Graecique Pindari & Alcaei & Sapphus „vel Pſalterium vel lamentationes Jeremiæ vel „omnia ferme ſcripturarum cantica comprehendi, legat Philonem, Joſephum, originem, „Caeſarienſem Euſebium, & eorum teſtimoniis „me verum dicere comprobabit. Deinde ex titulis Pſalmorum res clarior evadit. מזמור a ra-

a *radice* זמר praecidit, deriuata in Piel *pſallere* ſ. concentum edere ſignificat. Hic concentus non ſolum pandurae & nabliis, quae Judaeis fuerunt, tribuitur; dum *Amos* Cap. V. comm. XXIII. וזמרת נבליך adpellat: ſed etiam avibus cantillantibus, inprimis *philomelae* Cant. 2. comm. XII. & voci שיר, vnde שיר deſcendit, opponitur, Pſalm. XXVII. comm. VI. אשירה ואזמרה ליהוה ex quo efficitur, *duplex genus odarum fuiſſe*, quorum alterum שיר alterum מזמור adpellatum, hoc ſaltem capite diſtinctum, quod illud minori, hoc majori artificio comparatum fuerit. In einem Lied ſteiget der Sang-Thon zu einer ſolchen Höhe des Wohllautes nicht auf, als in einem Pſalmen; indem die Stimme des Sängers näher bey dem Sprach-Thon bleibet, und ſein Lied halb ſingend, und halb redende heraus bringet, eben wie wir in einigen gemeinen Lieder-Melodien gewahr werden. [quo fortaſſe illud *Lutheri* Coll. Sympoſ. Cap. XXVII. Wenn David wird auf der Harpffen geſchlagen haben, ſo wirds gangen ſeyn, als das Magnificat anima mea.] Was vor Lieder unter dem Nahmen der Pſalmen vorkommen, die ſind mehr Muſicaliſch, und erfordern auf eine wohllautende Weiſe verhandelt zu werden; ſintemahl die Stimme hier künſtlicher nach dem Tact vollführet

wird. quae verba ſunt clar. viri SALOMONIS VAN TILL, in Dicht- Sing- und Spiel-Kunſt der Ebräer, libro ſane doctiſſimo politiſſimoque, edit. cIↄ Iↄccvi. in form. fol. quart. Zweyter Abhandlung erſter Abtheilung §. 3. 4. ſeqq. Addantur ea, quae SONTAGIUS de titulis Pſalmorum diatrib. ad Dominic. VII. Trinit. §. 3. 4. p. 547. ex patribus primae Eccleſiae, nec non ex *Calouio*, *Geſnero*, aliisque ὐκ αὐτόπτως, adfert.

§. VI. Quid autem frequentius Germanis, quam Odas componere? Nonne & iſtae duplicis generis ſunt, vel vulgares vel ſingulares? Vulgares adpellamus eas, quae publica auctoritate collectae in coetu conventuque ſacro hominum cantantur, vel domi ex libellis, quos vulgo Geſang-Bücher vocant, recitantur, ut Deus laude atque gloria adficiatur, mutuoque animi fidelium ſtudio atque ardore incendantur laudandi, precandi, & honorandi aeternum numen. Auctores hujusmodi Odarum Summe reuerendus omnique litterarum genere excellens OLEARIUS, de *Eccleſia Arnſtadienſi & re litteraria Germanorum optime meritus*, multa cura, ingenti induſtria & exquiſito judicio propoſuit; cujus exemplum deinceps alii imitati ſunt, pari conſilio, impari euentu. Libri autem, quibus Odae iſtae continentur, ut varii ſunt, diverſis locis tempori-

poribusque editi; ita diuerſis, judiciis dicam in praejudiciis? accipiuntur, improbantur, commendantur, damnantur. Non male actum eſſet, ſi quis de prudentia hominis Chriſtiani circa Odas ſacras diſſereret, & oſtenderet, quantis noſtrae aetatis ingenia præjudiciis laborent, quamque multa in vtramque partem adhuc diſputari poſſint. Dubium non eſt, quin altercationes, inuidendi obtrectandique *libido*, contentiones ac ſimultates placida *veritatis* diſquiſitione & agnitione tolli queant atque deleri. Nonne praejudicio excoecati ſunt, qui *Pauli Gerbardi* odas ſatis diu reſpuerunt, neque in templis locisque ſacris cantari paſſi ſunt? Mihi paucis abhinc annis vir ſpectatæ auctoritatis adfirmauit, ſe inuito ſemper animo odas illas *Gerbardi* audire, quod certo ſciat, *Gerbardum* nullam oden compoſuiſſe, niſi ad tabaci fumum. Quae utrum in beatos manes *Gerbardi* verius, an injurioſius dicta ſint, diſpiciant alii: puto tamen, *Gerbardi* odis nihil fumi, ſed uni iſtarum plus ſanguinis & ſucci ineſſe, quam decem aliis, quae praeter narrationes hiſtoricas nihil ſpiritus, nihil doctrinae virtutisque habent. Alterum genus odarum, quo Germani maximopere delectantur, eſt interruptum illud variisque coloribus diſtinctum, quo Odarum ſtrophae aliis breuioribus mixtisque verſibus intexuntur.

Vulgari lingua dicitur *Madrigal*, nomine procul dubio ex Italorum ſermone mutuato. Sunt autem carmina hoc genere conficienda in arbitrio fere noſtro poſita, & vel aliquo vel nullo Rythmo; vel hoc vel alio metro, vel longis vel breuibus verſibus definiri poſſunt. Parum abeſt, quin exiſtimem, eadem genera verſuum & Ebraeis fuiſſe. Nam ejusmodi carmina ad Muſicam imprimis ſunt apta, ſiue ſola humana voce, ſiue adjecto chordarum concentu recitentur. Deinde rhythmus interdum admiſcetur, condimenti loco; interdum omittitur, quod exemplis ex libro pſalmorum facile comprobatur. Paeterea & breuiores & longiores ſententiae aperte docent, verſus vel extendi longius, vel contrahi arctius debere. Porro quae ex terminationum pluralis numeri paucitate, ex vocalium natura & concurſu, ex ſyllabarum conſtitutione incommoda extimeſcenda erant, hoc genere tolluntur commodiſſime. Et tandem, ut reliqua omittamus, accentuum etiam metricorum conſecutio pro hoc genere carminis videtur militare. Quae enim cauſa, ut *Silluck* Imperator maximus in duabus majoribus ſubdiſtinctionum ſedibus collocet ſuos reges, ſcilicet in majori, & in maxima, ita tamen ut non

non poſſit poſtponi כ, ſed ſemper, ubi obti-
net, inter ה & כ emineat? nonne magna inde ſit ſignificatio, ex ſtationibus accentuum diſtinctiuorum majorum, & ſic ſimul ex naturali uocum poſitu verſus metri vel producendos eſſe vel abripiendos; ſententiam autem non niſi per Silluck finiendam? Quodſi enim accentuum in libris אמת ordo, maxime ab ordine in proſaicis libris diſcrepans, tantum ad conſecutionem vocum grammaticam & Logicam reſpiceret, quid opus fuiſſet noua ratione? annon accentus librorum proſaicorum poterant huic quoque praeſtando officio ſufficere? Neceſſe ergo, ut accentus metrici omnino & metron & verſuum, non ſententiae, ſed ipſius metri, formam indicent. De his, aeque ac de rhythmis Ebraeorum, an et quomodo cum rhythmis Germanorum conferri poſſint, plura habeo, quae diſputem: ſed verens, ne Lectoris patientia abutar, quae reſtant, in aliud tempus rejicio.

Obſervatio CLXXXVII.

M. TOB. ECKHARDI,

Quedlinb. Gymnaſii Rectoris, ſiſtens

L. Annaeum Senecam in religionem chriſtianam iniurioſum.

L. Annaeum Senecam, graviſſimum de porticu ſapientem, chriſtianorum a nonnullis adſcribi catalogo, neminem fugit, qui vel a limine hiſtoriam ſeculi primi ſalutauit. Facem haud dubie praetulit HIERONYMUS, cuius & ſingularis eruditio, & magna auctoritas in Eccleſia ſemper fuit. Is enim in catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum, a) ſiue ſerio animique de ſententia, ſiue de opinione vulgari, in ſanctorum enumerat eum catalogo. Verba ſunt: *quem non ponerem in catalogo ſanctorum, niſi me illae epiſtolae prouocarent, quae leguntur a pluribus, Pauli ad Senecam, & Sene-*

Senecae ad Paulum. Huic tamen TERTULLIANUS, antiquiſſimus Latinorum Patrum, praeiuiſſe poſſit videri, cum ſcribit: b) *ego Lucium, ſapientem virum, repente factum chriſtianum, defero*. Et alibi: *ſicut & Seneca ſaepe noſter*. c) AUGUSTINUS Hipponenſis Praeſul, Hieronymo aequalis, nec minoris eruditionis atque auctoritatis, & epiſtolas commemorat Senecae ad Paulum apoſtolum, & occultam inclinationem in fidem chriſtianam ei tribuit. d) Lini & Dextri teſtimonia, quae antiquitatem mentiuntur, volens praetereo.

Hos ſecuti ſunt quidam recentiores, *Franc. Biuarius*, *Sixtus Senenſis*, *Alfonſ. Salmero*, quibus fauent *Jo. J. Winckelmannus*, *Jo. Braunius*, aliique. Argumento his fuerunt & mutuae epiſtolae Senecae ad Paulum, huiusque ad illum datae, & Pauli teſtimonium, quo ſaluere Philippenſes iubet nomine Sanctorum, qui de Caeſaris ſunt domo, in qua illuſtris maxime Seneca fuit. e) Taceo quod Frater Seneca-

b) *Apologet. c. 3.* c) *de Anima c. 20.* d) *de Ciu. Dei L. VI. c. 11.* e) *Phil. IV, 22.*

necae Gallio procurator Achaiae fuerit, vbi Paulus diu multumque eſt verſatus, Euangeliumque diſſeminauit, quodque Judaeos, Pauli accuſatores, depulerit a fori limine, f) cui Seneca multum tribuit, eique libros & de ira, & de vita beata inſcripſit, ibi *Nouatum*, hic *Gallionem* appellans. Tandem & vitae morumque ſanctitas Senecae, doctrinaeque virtutum praeſtantiſſimae auxerunt opinionem eius de religione chriſtiana, vt etiam fuerit inter eruditos, qui ſcriptis ejus proximum ſacro codici locum tribuerit. Sed tantum abeſt, vt chriſtianus fuerit Seneca, *vt potius in ſuperſtitione pagana perſtiterit ſemper, & in chriſtianam quoque religionem fuerit iniuriosus.*

Non mihi nunc propoſitum atque inſtitutum eſt, pluribus examinare rationes atque diſcutere, quod ab aliis iam factum: pauca tamen ad ſingula reponam. Tertullianus alium ſine dubio Lucium intelligit, vel, quod malim, indiuiduum vagum eo denominat, caeteroquin notiori magiſque familiari Senecae, vt alibi, vſurus nomine,

f) *Act. XVIII, 12. 14. ſq.*

nomine, eum ſi voluiſſet ſignificare. Accedit, quod alias inter gentiles eum enumeret, g) cum *multi*, inquit, *apud vos ad tolerantiam doloris & mortis hortantur*, *vt Cicero in Tuſculanis*, *vt Seneca in Fortuitis*, *vt Diogenes*, *vt Pyrrhon*, *vt Callinicus*. *Noſter* a Tertulliano Seneca dicitur, quod eum praeter caeteros aeſtimauerit, maxime, veluti virtutis praeſtantiſſimum magiſtrum ac ſibi perfamiliarem. Epiſtolae Senecae ad Paulum, & Pauli ad Senecam confictae ſunt, nec dignae vel Senecae ingenio, vel Pauli ſpiritu, ſatis antiquae tamen, vtpote Auguſtino & Hieronymo cognitae, quas fortaſſe ſeculum ſecundum, vel initium tertii protruſit. Fuit haec aetas ſedula inprimis in confingendis ſcriptis, quae pia fraus chriſtianorum apta iudicauit ad promouendam rem chriſtianam, in quorum referenda cenſum ſunt oracula Sibyllarum, Hermetis Triſmegiſti, & Hyſtaſpis ſcripta, variaque Euangelia, & huius generis alia, quae ex parte exhibentur in JO. ALB. FABRICII codice Apocrypho. h)

Fuerint

g) *Apolog. c. 46. fin.* h) *de Senecae Ep. vid. Cod. Apocr. p. 880. ſq. Biblioth. Lat. p. 368. ſq. & alii complures.*

Fuerint ſane in Neronis domo, qui Chriſti doctrinam ſunt amplexi, quorum nomine Paulus ſalutat Philippenſes: ſed num in his Seneca, princeps adminiſtrorum? Pauli dictum, *non plures ſapientes ſecundum carnem, non multi claro nati genere ſunt vocati,* i) facit vt credamus, non principes aulae, ſed ex plebe fuiſſe ſanctos illos. Certe, quos Paulus Rom. XVI. ſaluere iubet, non ex praecipuis fuiſſe, ſatis colligitur. k)

Frater Senecae Gallio Corinthi potuit audire Paulum, familiariterque nouiſſe, cum per annum atque ſex menſes ibi ſit verſatus, verbumque docuerit Apoſtolus. Sed factum id eſſe, & ſi factum, fratrem Annaeum ab eo fuiſſe ſimiliter perſuaſum, nulla prorſus habemus documenta. l) Praeclarae ſunt, fateor, Senecae doctrinae de moribus virtutisque ſtudio: aſt & paleae ſunt admixtae, in quibus vel primo habendum loco eſt quod αὐτοχειρίαν ſuique

que

i) *1. Cor. I, 26. Dan. Heinſii Exertc. ad. Phil. IV. 22.* k) JO. BRAUNIUS *ſelect. Sacr. L. I. c. 2. §. 29. ſq.* l) JO. CONR. DANHAWERI *Gallioniſmus §. 1. ſq.*

que cædem probet & iubeat. m) Atque intimius ſi perquiratur mens ſtoicorum, ſaepe ſpecioſis ſub verbis corruptior doctrina & atheiſmus latet. n) Certe de *animorum immortalitate* dubium fuiſſe Senecam, nec eam crediſiſſe, veteres pariter ac recentiores ex ſcriptis ejus commonſtrarunt. o) Neque Seneca vbique gravitati Stoicae conuenienter vitae rationes compoſuit. Taceo, quod impotentiam, auaritiam, luxum, nimiasque opes, quibus vel ipſum ſuperauit Neronem Caeſarem, alii notarint, quod ſic excuſavit Seneca, vti ſe opibus, non frui: p) hoc tantum moneo, adminiſter Agrippinae fuerit in interuertendo iure Britannici, & conſequenter perpetrata caede, imperioque Neroni acquirendo; quod Claudium Imperatorem, dominum atque patronum ante

m) *vid Epiſt. LXX.* n) *Magnif.* BUDDEI *Analect. Hiſtor. Philoſ. exerc.* 1. *& ſeqq. quae ſunt de erroribus Stoicorum p.* 89. *ſq. item de Atheiſm. & Superſtit. c. I.* §. 18. *ſq.* o) *Maſcaronis mors & ultima Senecae p.* 31. *ſq.* p) *Tacitus Anal. XIII.* 42. *XIV.* 52.

ante ſuum poſt mortem mirum in modum exagitaverit in Satyra, quae ἀποκολοκύνθωσις, quem vivum antea conſecrarat, & inuidendis exornauerat laudibus; q) quod Agrippinae caedem atque parricidium Neronis nomine compoſitis ad Senatum literis excuſarit, variaque ambitioſe congeſſerit, ad emolliendum ſcelus ac parricidium. Omitto alia, & verba ſubjungo prudentia civili Cariſſimi JO. HENR. BOECLERI: *oſtendit ſeueritatis Stoicae magiſterne Zenones quidem omnibus horis ſapere:* r).

Tametſi vero ea talia ſunt, vt in christianum quoque cadere queant, vtut haud facile in prima illa innocentia; Senecam tamen ſemper manſiſſe ethnicum, & in tali objiſſe ſuperſtitione facili negotio comprobatur. Lactantius cum teſtimonium laudaſſet Senecae, ſubiungit: *quid verius dici poteſt ab eo, qui Deum nosſet, quam dictum eſt ab homine verae religionis ignaro.* s) Alibi inter teſtes, quibus pagani

q) *Conſol. ad Polyb. c. 31. 32 36.* r) *Diſſert. Polit. in Suetonii Claudium §. 9. & diſſ. ſeq. in Neron. §. 5. ſq.* s) *Diuin. Inſt. L. VI. c. 24.*

gani contra chriſtianos utantur, eum collocat, t) Deinde morti vicinus ex venarum ſectione, ſanguine ſuo ſervos reſperſit, hisce verbis: eum ſe liquorem jovi liberatori libare, quod nemo fecerit chriſtianorum, in tanta præſertim chriſtianiſmi primi innocentia. u)

Verum nunc ad id venio, quod titulus præfert obſervationis, *quod in chriſtianam religionem fuerit iniurioſus*. Abſtinuerat Seneca animalibus ex Pythagoræ diſciplina, quæ carnium eſu iubebat abſtinere, propterea quod hominum animas in animantes migare credebat, eoque religioni ducebat veſci carnibus, quas fortaſſe incoluiſſent maiorum cognatorumque animæ. x) Praiverat ei Sotion magiſter hanc

 opi-

t) *L. I. c. 5. conf. L. II. c. 8.* u) Tacitus *An. XV. 64. conf.* TENZELIUS *Colloqu. Menſtr. an.* CIↃIↃCXCII. *p. 668. ſq. & an.* CIↃIↃCXCIV. *p. 507. ſq. Summe Rev.* E. S. CYPRIANUS *ad Hieronymi ſcript. eccleſ. p. 237. ſq. aliique plures,* x) Iamblich. *in V. Pythagor. p. 68. 108. 168. ſq.* JO. SCHEFFERUS *de Philoſ. Ital. c. V. & XIV.* Miſcell. Lipſ. Tom, IV. obſ. 84. p. 164. *ſq.*

opinionem, cuius ipſe verba refert: *non credis*, dixit, *animas in alia corpora atque alia deſcribi, & migrationem eſſe, quam dicimus eſſe mortem: - non credis, - - animalia quoque per vices ire, & animas per orbem agi.* y) Quanquam enim Stoicos ſectatus eſt Seneca, Pythagoræ tamen ei amorem laudatus iniecit Sotion, multumque ei & in aliis tribuiſſe vel illud Senecæ inſtitutum fidem fecerit, quod Pythagoræ ad præceptum, quod carmina aurea ſervarunt, quotidie, ſi cubitum ivit, vitæ rationes perquiſierit, & examinarit, & ſi quem errorem deprehenderit, ſibi quidem ignoverit, ſed monuerit quoque, ne faceret amplius. z) Per annum tenuit iſtam abſtinendi conſvetudinem, poſteaque deſiit, & cauſam his exponit verbis: *in Tiberii Cæſaris principatum iuuentæ tempus inciderat: alienigenarum ſacra* (*LIPSIUS* legit *alienigena tum ſacra*) *movebantur: ſed inter argumenta ſuperſtitionis ponebatur quorundam animalium abſtinentia. Patre itaque meo rogante, qui non calumniam timebat, ſed philoſophiam oderat, ad priſtinam conſuetudinem redii: nec difficulter*

mihi

y) *epiſt.* CIIX. z) *de ira* L. III. c. 3.

mihi, ut inciperem melius cœnare, perſuaſit. a)

Sacra alienigenarum *gentium*, ut nonnulli legunt, non alia mihi eſſe videntur, quam chriſtiana. Judæorum quis ſacra eſſe dixerit, quos certis animantibus abſtinuiſſe notum eſt, alias, teſte Auguſtino, a Seneca exagitata, quod per ſabbata fere ſeptimam ætatis ſuæ partem Judæi perdant, & per omnes recepti terras victi victoribus leges dederint, gens ſceleratiſſima. b) Sed hæc ſatis cognita Romæ erant, nec ſub Tiberio demum monebantur. Plures Romæ verſabantur Judæi, nec raros ſibi proſelytos ibi adiungebant, quod ex Svetonio colligas, & Martialis atque Juvenalis exagitant, Tiberiique edicto cum Ægyptiis ſacris Roma Italiaque Judæi ſunt pulſi, & quatuor millia, Libertini generis, ſub ſpecie militiæ in Sardiniam ſunt miſſa, quod Corn. Tacitus atque Svetonius commemorant, Joſephus autem conqueritur. c) JUSTUS LIPSIUS quinto

 Ti-

a) *Epiſt. CIIX.* b) *de Civ. Dei L. VI. c. 11.* c) Tacitus *Annal. L. II. c. 85. Sveton. in V. Tiberii c. 36.* Joſephus *Antiqu. L. XVIII. c. 5.*

Tiberii anno hæc contigiſſe obſervat, & hæc ipſa eſſe alienigena ſacra, ob quæ victus mutarit genus Seneca, tum viginti annorum adoleſcens. d) Quodſi verbo Senecæ, *movebantur*, ea tribuatur notio, ut idem ſit ac *expellebantur*, *removebantur*, quo modo alias hoc verbum Tacito eſt uſurpatum, e) parum abeſt, quin Lipſio calculum debeamus. Sed vero cum idem hic eſſe videatur, ac *exoriebantur*, quem ſignificatum particula adverſativa *ſed* omnino requirit, priorem autem reſpuit; ſacra iſta non erunt alia, quam chriſtiana. Nam ea ſub Tiberio emerſerunt, anno imperii XVIII, vel ad ſummum XIX, cum annum ætatis ageret Seneca circiter XXIX, qui iuventæ adhuc nomine cenſeri poteſt.

Puer, ut ipſe ſcribit, f) audivit Sotionem, id quod anno Auguſti LV factum eſt, teſte EUSEBIO in Chronico, unde facile conficiuntur anni. Vel ſi obiit anno

d) *in Vita Senecæ c. 3.* e) *Annal. XIV. 32. 60.* f) *epiſt. XLIX.* H. Gravius *ad Hieron. Scriptor. Eccleſ. p. 176. ed Cyprian.*

anno ætatis, de communi opinione, climacterico, vel ad ſummum LXV, eique demantur anni Neronis XI, Claudii XIV, Caligulæ IV, & totidem Tiberii, idem prodibit annorum numerus. JOSEPHUS occaſionem calamitatis gentis ſuæ commemorat præbuiſſe ſtupra religionis prætextu in ſacris Iſidis, quæ Ægyptus ſuppeditarat, perpetrata a Decio Mundo cum *Paullina*, & fraudes ſacerdotum Judaicorum. g) Iſtam vero narrationem Joſephus ſubiungit loco illuſtri de Chriſto, & circa eadem tempora contigiſſe commemorat. Et cum *Paullinæ* maritus fuerit *Saturninus*, ejusque coniux *Fulvia*, Judæorum proſelyta, prodiderit fraudem quandam Judicæ fidei magiſtrorum, quam maritus ad Tiberium detulit, exiliumque promovit Judæorum, vel potius, ut CASAUBONUS exiſtimat, novorum proſelytorum, veri fit perſimile, Saturninum, repudiata Paullina, duxiſſe Fulviam, a Judæis ornatu pretioſo emunctam, & aliquandiu poſt cladem Judæis obveniſſe.

Accedit, quod ſtatim ſequenti capite

g) *Antiqu. L. XVIII. c. 4. 5.*

ſexto Joſepho nominetur annus vigeſimus principatus Tiberii. Nec vero dubium eſt, quin ſtatim primo tempore fama de religione chriſtiana ſit Romam perlata, cum res in provinciis geſtae omnes ſolicite perſcriberentur, vel ipſi chriſtani Romam pervenerint. Erant Romani milites plurimi in Judæa & Hieroſolymæ, ipſique vel inter primos fuerunt e gentilibus, qui chriſtianam receperunt fidem. Centurio cum ſuis credidit in Chriſtum, in terris adhuc verſantem, Matth. VIII, 10. & alter centurio, qui interfuit Chriſti ſupplicio, luculentum ei perhibuit teſtimonium, quod Dei fuerit filius, Matth. XXVII, 54. cuſtodesque ſepulcri teſtes erant reſurrectionis, Matth. XXVIII, 13. 14. quibus poſtea centurio Cornelius, Act. X. & Sergius Paulus Procoſ. Act. XIII, 7. ſq. acceſſerunt, & alias centuriones benignos ſe exhibuerunt adverſus Paulum tum Hieroſolymæ, tum in navigatione, c. XXIII. XXVII.

Neque obſtat, quod certis animalibus abſtinuiſſe dicantur in ſacris, id quod Judæis proprium fuit. Primi enim chri-

ſtiani

ſtiani e Judæis ritus maiorum ſervabant, quibus etiam e gentibus converſi ſe accommodabant. Ipſe Petrus Apoſtolus, cuius prædicatione primi ſunt facti chriſtiani, viſione ſingulari edocendus fuit, licitum eſſe genti chriſtianæ cuiuscunque generis veſci carnibus, veramque eius rei ſententiam eſſe, quod gentes non amplius impuræ eſſent, a civitate Jſraelis arcendæ longius ac removendæ. h) Hinc cum eſſent e Judæis progreſſi doctores, (Cerinthum veteres hic nominant,) qui velut legem ac neceſſitatem vellent imponere novis e gentibus chriſtianis, ut *legem* reciperent *ceremonialem*, cujus *pars eſt animalium abſtinentia*, lis eſt exorta, Paulum inter & partem adverſam, quæ compoſita fuit in Apoſtolorum concilio, quod Hieroſolymæ eſt habitum. i)

Fuerunt autem Romæ nonnulli Chriſtianorum, qui eſſe jus ſibi arbitrarentur edendi carnes, ſine dubio qui ante gentiles fuerant, contemptis reliquis, qui id ſibi li-

 ci-

h) *Actor. X.*

i) *Act. XV. conf.* DANNHAWERI *διατύπωσις concil. Hieroſol. 1648.*

citum minime putarent: atque hinc diſſenſio qvædam eo nomine exorta, quod ex Rom. c. XIV. intelligimus. Componit hanc litem Paulus, & utrosque certos eſſe jubet ſuæ ſententiæ, & hos edere carnes, ſed non ita, ut aliis inſultent, & offendiculum ponant; illos vero abſtinere, ſed non ut alios propterea tanquam profanos dijudicent ac damnent. Talia vero cum agitata jam ſint ſub Tiberio, primis chriſtianæ promulgatæ religionis annis, Seneca noſter, patre auctore, qui I. Lipſio judice, ad ultima Tiberii ætatem produxit, k) carnibus veſci cœpit iterum.

Injurioſum vero eſt, quod *ſuperſtitionem* vocat, inter argumenta ſuperſtitionis, inquiens, poſitam fuiſſe quorundam animalium abſtinentiam: Plura igitur argumenta fuere ſuperſtitionis, quam putavit, ſed illo maxime Seneca commotus fuit, quod certis animantibus abſtineret, ut lautius cœnaret. Non quidem calumniam metuit Seneca pater, propterea quod carnibus non veſceretur natus, ſed Philoſophiam odio habuit. Odium Philoſophiæ & alibi

l) pa-

k) *in vita Senecæ c. 1.*

l) parenti tribuit Seneca; hic autem ſingulare fuit illius, quæ carnibus abſtinere, jubebat: quo nomine haud facile judaica fides, ſæpe autem Chriſtiana religio, quæ tunc nova Philoſophia gentium videbatur ſapientibus, & cum aliis a patre rejecta fuit.

Dicat aliquis, a Seneca juvene factum hoc eſſe, patrique hoc odium tribui. Aſt probat ea Seneca ſenex in epiſtolis, quod ultimum ejus opus eſt, ad Lucilium cum ſcribit, & repetit. m) Odium philoſophiæ in patrem devoluit, quod ipſum tamen obſequendo & commemorando, approbavit. Equidem Auguſtinus commemorat, quod Seneca Judæorum arguerit ſuperſtitionis & ſacramenta & ſabbata, & quod multa in tempore vigentia non agendo lædantur; Chriſtianos vero jam tunc judæis inimicíſ-

l) *conſol. ad Helviam c. XVI. quem locum hanc in rem citat* LIPSIUS, *ſed una contrarium demonſtrat ex præfat. L. II. controu. ut aliam nouamque intellexerit philoſophiam oporteat, Seneca. Indignatur pæne Senecæ ſuo Lipſius, quod inſectetur patrem ob Philoſophiæ odium; aſt non tam odium philoſophiæ parenti tribuit Seneca, quam dolet, quod matrem noluerit magis erudiri ſapientum præceptis.*

m) *Epiſt. LXXVI. CIIX.*

ſimos in neutram partem commemorare ſit auſus, nè vel laudaret contra ſuæ patriæ veterem conſvetudinem, vel reprehenderet contra propriam forſitan voluntatem. n) Quod ſi id reſpexit Seneca, quod Judaei ſabbati diebus, contra inſtitutum a Juda Maccabæo ſancitum, 1. Macc. II. 31. 41. abſtinuerint a defenſione, quomodo a Pompeio M. jejunii ſolennis die templum fuit expugnatum, non præter rem notavit Judæos: de ſacramentis autem ipſorum pro modeſtia ſua, eodem teſte Auguſtino, addidit, quod Judæi cauſas ſui ritus noverint, id quod chriſtianis quoque certum atque exploratum eſt.

Adque ad hanc modeſtiam Senecæ referendum eſt, quod & patri tribuerit odium Philoſophiæ, quo commotus ipſe voluit abſtinere carnibus, nec quicquam videretur tenere inſtituti, quod & ipſa obſervaret; & nihil contra chriſtianos dixerit, ubi ex inſtituto egit de ſuperſtitione, fortaſſe ob innocentem chriſtianorum vitam, cujus ipſe maxime ſtudioſus erat. Sed ſatis de Senecæ erga fidem chriſtianam animo:

nihil

n) *de civ. Dei L. VI. c. XI.*

nihil autem hicce detractum volo laudibus vel Senecæ, ejusque virtutis ſtudio, vel utiliſſimis ejus operibus atque præceptis.

Obſervatio CLXXXVIII.

MARTINI ADELTI,

Scholæ Smiglenſis in Maj. Polon. Rectoris,

quæ ſiſtit

Comparationem

Inter Defenſorem bonæ cauſæ malum, & malæ cauſæ bonum.

SUMMARIA

§. I. Bona cauſa ſemper indiguit Patronis. §. II. Defenſio ejus impari animo & conatu ſuſcepta fuit. §. III. Idem de mala dicendum Cauſa. §. IV. Effectus, non Juſtum, utriusque defenſæ cauſæ inquiruntur. §. V. Comparantur iſti invicem pares que deprehenduntur. §. VI. Ex ſcriptura S. Heva, ut cauſam bonam male, & ſerpens perſonatus ut cauſam malam bene

bene defendens introducitur. §. VII. Ex Hiſtoria Eccleſiaſtica Arriani & Orthodoxi Patres, inprimis vero Athanaſius. §. VIII. Petrus Dreſdenſis, Huſſitæ, etc. afferuntur. §. IX. Ex Hiſt. profana Salmaſius & Miltonus ut ejusmodi Defenſores conſiderantur. §. X. Locus Jeſaiæ c. V. 20. Æqualitatem Effectus utriusque defenſæ cauſæ ſtabilire videtur. §. XI. Gratiarum actio pro optime Defenſa bona Eccleſiæ noſtræ cauſa, & Votum pro ea porro defendenda.

§. I.

Quamvis *bona Cauſa*, ſive eam ad forum Theologicum, ſive Politicum referas, ob Bonitatis ſuæ Fundamentum & Excellentiam a Nemine derelinquenda, multo minus oppugnanda aut plane ſupprimenda eſſet; tamen quia ubicunque locorum mali mixti bonis inveniuntur mortales, quibus mala partim plus quam bona arridet Cauſa, dum ſimilis ſimili gaudet, id eſt, dum quilibet Temperamento & Genio ſuo ſe accomodare amat in eligendis & rejiciendis vel bonis vel malis: Hinc ſemper

Pa-

Patronis ac Defenſoribus opus habuit cauſa optima, qui ei contra ſuos Oppugnatores quocunque modo ſive ore ſive calamo, ſive etiam pro Rei Ratione Vi armata ſuppetias advenirent, atque ab imminenti eam Interitu quadantenus liberarent.

§. II. Et licet Bonæ Cauſæ nunquam defuerint Propugnatores; interea tamen iſti Defenſionem ſuam non ſemper pari Animo Viribusque paribus, adeoque etiam impari ſucceſſu aggreſſi ſunt. Quidam quippe in arenam pro ea deſcendentes, Mente quidem bona ſtipati erant, ſed Milites levis Armaturæ, a quibus Vires ad ejusmodi arduum Negotium neceſſariæ, maximopere deſiderabantur: Unde Voluntate ſua, tametſi per ſe alias non contemnenda, plus nocuerunt, quam profuerunt. Adeo, ut ambigam, an eorum invalidi & irriti Conatus majorem Laudem an Caſtigationem mereantur? Viri enim prudentis eſt, Vires ſuas prius explorare, & poſt exploratas & tantas repertas, demum dimicare. Vice vero verſa quidam, quamvis Viribus ad defendendam Cauſam bonam pertinentibus ſatis ſuperque inſtructi fuere; tamen

ani-

Animo non ſincero, neſcio ob quod privatum Commodum, Rem non ſtrenue, ſed paulo negligentius & frigidius agentes, ipſa ſua Frigiditate effecerunt, ut *bona Cauſa malæ cedere*, eique nonnunquam Victoriam relinquere neceſſe habuerit. Cujus furfuris iſtos fuiſſe ſcimus, qui in Procinctu quaſi ſteterunt, Arma ſua abjicere, & ad Caſtra Hoſtium ſuorum transfugere, eorumque Placitis ſe aſſociare.

§. III. Sic non unius Commatis etiam reperire licet *defenſores malæ cauſæ optimos*. Nonnulli ad Patrocinium eius in ſe ſuſcipiendum neſcio a quo quaſi mercede conducti fuere, ut eam eo diligentius aliis inculcarent, inculcatamque ubique diſſeminarent; Alii lubentiſſimo per ſe animo malam amplexi ſunt Cauſam, facientes hoc, aut ex Studio contradicendi, aut ex Odio adverſus veritatem, aut ex alia nefanda cordis Malitia. Ad horum Claſſem plurimi, ſi de veritatibus Theologicis ſermo, Hæretici imo etiam Athei omnes theoretici ſpectare videntur, qui ab eiusmodi deteſtando & execrando inſtituto nullo modo ſe abduci paſſi fuere, licet Conſcientia tacti, ſe peſſime agere exiſti-

ſtimantes, inde Honoribus ſuis multum decedere &c. Qvare, ut cum Apoſtolorum Principe Paulo loqvar, pertexerunt Veritatem injuſte detinere in Epiſtola ad Rom. c. I. v. 18. Alios Præjudicium qvoddam Auctoritatis aut aliqva nativa intellectus imbecillitas occoecavit, & eorum Animum impedivit, ne verum cernere aut dijudicare potuerint. Unde coeco qvaſi Impetu in Veritatem irruentes pro mala, qvam bonam jactitabant, Cauſa tanquam pro Aris & focis dimicarunt, eique ſubinde non levem conciliarunt ſtragem.

§. IV. Productis jam in ſcenam diverſarum Cauſarum diverſis Patronis atqve Defenſoribus, videndi & comparandi veniunt fructus ſive Effectus; qvi ex diverſo eorum in ſe ſuſcepto Conamine fluere atqve ſeqvi aſſolent. Ubi tamen non diu disquirere Animus eſt de Juſto, vel utra Pars alteri præferenda, aut qvænam gravius erga divinam Majeſtatem & Homines peccet: cum pro Re invicta cenſeam, eum omnino minorem incurrere Pœnam, neqve adeo grande admittere Nefas, qvi ſe inſcio aut ex qvadam Mentis infirmitate

aut

aut præconcepta Opinione Malum promo-tum it, qvam eam, qvi ſibi optime conſcius eſt, & ex Protervia qvadam Studioque ſingulari Veritati nocendi, id facere non dubitat. Sed Effectus, uti diximus, utriusque defenſæ Cauſæ ab utraque Parte paulo accuratius conſiderabimus, qvæqve, incommoda & damna inde emanarint, penſitabimus, atqve inter ſe conferemus.

§. V. Cauſam igitur bonam qvando qvis male defendit, videtur mihi efficere, ut ipſa mala evadat. Non quidem in ſe ſpectata Cauſa bona degenerat, qvæ utiqve ſemper bona manet, nihil obſtante mala Defenſione, ſed tamen in aliorum hominum Oculis, qvi eam infeliciter defenſam vel viderunt, vel Auribus ſuis aliunde perceperunt, ita concludentium: quia Res adeo infirmis nititur fundamentis, nec melioribus ſtabiliri poteſt, ſequi, eam falſam & conſequenter rejiciendam eſſe. E contrario cum qvis malam Cauſam, quæ eidem bonæ objicitur, Argumentis ſpecie plenis optime propugnat, convertit qvaſi eam in bonam, licet nec re vera nec in omnium, tamen in eorum, verum a falſo adhuc diſcernere neſciis illaqve

que felici Defenſione occoecatis Animis: qvi poſtmodum Mendacio Veritatis Toga quaſi exornato firmiter adhærere ſolent. Nonne igitur eodem res redit, Hominibus ad deſerendum Verum, & ad amplectendum falſum vias demonſtrare, eosqve ad id qvaſi manibus trahere. Et hoc ejusmodi Defenſores agunt. Nam eo ipſo dum quis juſtam ſive bonam inepte defendit cauſam, agit ſimul, etſi ſe inſcio, aptum & bonum Patronum malæ Cauſæ & vice verſa. Et quantum veritati tum decedit, tantum poſtea Mendacio accedit. Sicque ejusmodi diverſi Vitilitigatores ambo malæ Cauſæ optime ſuccurrunt, adeo ut hic talem in modum recte dicere queas: *duo cum faciunt non idem, idem tamen eſt*, reſpectu ſcilicet habito ad eundem Effectum. His itaqve obſervatis puto, neminem forte fore, qvi nobis hac in Re non ſuffragetur.

§. VI. Sed illuſtrare id, quod in medium protulimus, placet quibusdam Exemplis, & quidem ex Foro primum Theologico petitis. Prodeat ergo jam Mater omnium viventium *Heva*, prodeatque ex altera parte *Serpens diabolicus*. Sicut illa prima

Tom. IX. Obſ. 187. & 188. H eſt,

eſt, *qui bonam Cauſam male defenſum ivit*, ſic hic omnium primus, *qui Rem malam optime propugnavit.* Et horum poſteri omnes iſti exiſtimandi, qvi veſtigiis tam hujus, qvam illius firmiſſime inſiſtere cupiunt. Heva enim, ut ſacræ Paginæ docent, ſcilicet Gen. III. v. 1. ſeqq. Rem optimam defendendam habuit, Præceptum nempe DEI, de non comedendo Fructum Arboris vetitæ. Aſt tametſi Defenſionis ſuæ Principium ferbuerit, provocans quippe ſtatim in prima Aggreſſione ad Verbum DEI, qvo ei uſus fructus ejusdem Arboris interdictus fuit: Media tamen jam tepeſcere coeperunt, nihil ad Inſtantiam Diaboli ulterius opponens, qvam de Scientia DEI in Defectu Verbi ejus Mendaciorum ille Parens fingebat, ſic blaterans: Scit enim DEus, qvod in quocunque Die comederitis ex ea ſcil. Arbore, aperientur Oculi veſtri, & eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum: Ultima vero plane frigida reperta ſunt, cum Heva infelix ſplendido Mendacio Temperamentoqve ſuo apprime accommodo plus Fidei, qvam ipſius DEI Verbo ad ſe pronunciato adhibere non erubuiſſet. Itaqve ſer-

pens

pens ille perſonatus ab ipſa Muliere poſtea tantos in ſe derivavit Profectus, qvantos in ejus Defenſione deprehendere licuit Defeſſus. Ab illoque tempore poſtea tot in Eccleſia Dei Victorias numerare potuit, qvot ejusmodi perverſos & inexpertos expertus eſt Defenſores.

§. VII. Quodſi Hiſtoriam Eccleſiaſticam paululum introſpicimus, in eaqve unam alteramve evolvimus Paginam, occurrunt ibi mox ſeculo IV. poſt C. N. *Arriani*, Vindices & Defenſores ſuæ malæ Cauſæ certe qvandoqve haut contemnendi, inter alia tradentes: *Chriſtum cum DEO Patre non Coæternum nec æqvalem cum ipſo DEum eſſe.* Qvem errorem ſplendidis Argumentis admodum ſcite incruſtare ſciebant, adeo ut brevi tempore multa Hominum millia in ſua raperent retia, Hieronymusqve exclamaret: *Totum Orbem mirari, ſe tam cito Arrianum factum eſſe.* Qva de Cauſa Scriptura S. cum ejusmodi Errorum, veriſimilibus Rationibus non leviter tinctorum, meminit, eos ἐνέργειαν πλάνης i. e. Efficaciam Erroris **kräfftige Irrthümer**, vocare amat, 2. Theſſal. II. v. II. qvia ſcilicet

illi non fruſtra afferuntur, ſed in Corda Hominum penetrant, eosque a Veritate declinare faciunt. Huic Errori Patres Orthodoxi tum ſe quidem oppoſuere, inprimis vero eorum Anteſignanus ATHANASIUS, ſed non ſemper ita, ut Res requirere videbatur. Sæpenumero Tela, quæ in Hoſtes ſuos vibrabant, majori Incomodo quam Commodo repercuſſa ſentire neceſſe habuere. „*Linguæ enim Hebraicæ*, ut „Verba magni in noſtra Eccleſia Theologi „huc adſcribam, Buddei ſcilicet, Præcepto„ris mei æternum venerandi, ex Hiſtoria „MSta Theologiæ Criticæ §. 20. de Theo„logia Pol. *Ignorantia obſtitit, quo minus* „*in Objectionibus Athanaſio procederet.* „*Idque commune Vitium ejus Temporis Ec*„*cleſiæ Doctoribus, quod longe majus Peri*„*culum in Certaminibus cum Arrianis attu*„*liſſet, niſi eadem Ignorantia ipſi laboraſſent*, „Documentum luculentiſſimum, pergit, „præbet Locus Prov. c. VIII. v. 22. „de *Sapientia increata* agens. Cum in eo „Verbum קָנָנִי LXX. *ἔκτισέ με* creavit me, „reddidiſſent, inde Arriani Chriſtum Creaturam eſſe inferrent. Hinc dici non poteſt,

teſt, quantopere Patribus in h. l. Hebraicæ Linguæ ignaris deſudandum fuerit; quo *Cauſam optimam a ſe probe defenſam* interum rectius propugnarent, atque Gladium in Arrianorum manus improvide traditum, illis iterum extorquerent. Et ſic ejusmodi mali & improvidi Defenſores bonæ Cauſæ ſibi ipſis nocere, & Hoſtibus ſuis velinviti proficere ſolent. Et hoc eſt, quod hi vel maxime intendunt.

§. VIII. Seculo poſt C. N. XVmo Tempore Huſſi Martyris quoque hujusmodi malos bonæ Cauſæ Aſſertores invenire licet. Unus ex ejus Sociis extitit *Petrus Dresdenſis*, qui circa Annum, ſi recte recordor, 1440. beate obiit. Vid. JAC. THOMASIUS, qui de eo confecit Diſſertationem ſingularem, quæ jam non ubique obvia. Hic pugnare conabatur pro Communione S. Cœnæ ſub utraque Specie, afferens Loco Probationis Verba Joh. VI. v. 54. ubi Chriſtus dicit: qui edit Carnem meam, & bibit Sangvinem meum, habet Vitam æternam. Sed cum Verba hæc de *Eſu & Potu Spirituali*, qui Fide in Chriſtum fit, loquantur, non vero Sacramen-

tali; hinc male & inconvenienter Bonus ille Petrus Cauſæ bonæ ſuccurrit, Veritatem cœleſtem vel invitus magis ſupprimens, quam eandem ſublevans. Quod idem Adverſarii ejus intentarunt. Huſſitæ poſtmodum multo pejores Petro noſtro exiſtentes, quod Ore & Calamo impetrari minime poterant, Vi & Armis quærendum eſſe falſiſſime ſibi imaginabantur. Inde non minora Eccleſiæ Mala dabant, *cum bonam cauſam peſſime* & More plus quam barbaro defenderent, ut Vir quidam celeberrimus loqui conſveſcit. * Interea ex hac mala bonæ Cauſæ Defenſione ejusmodi productus eſt Effectus, quo meliorem Hoſtes ipſi vix ſperare aut deſiderare potuerunt.

§. IX. Hactenus tam ex Sacris Literis, quam ex Hiſtoria Eccleſiaſtica aliquo modo oſtenſum ivimus Exemplis, a Veritatibus Theologicis deſumtis, Fructus ſeu Effectus, qui cum bona earum Cauſa male, & mala bene

* *Eſt is Celeb.* GOTTLOB KRANTZIUS *Rector Gymn. Vratiſl. digniſſimus in Compendio Eccl. MSto Sec. XV. c. III. Præceptor olim meus, de quo ſemper mihi gratulor.*

bene propugnatur, ſubſequuntur, parum, aut nihil inter ſe differre, ſed potius optime convenire. Jam etiam ex Hiſtoria profana de Veritate ex foro Politico petita id ipſum adſtruere lubet. Res manifeſta vel ex unico tantum adducto Exemplo evadet. Neminem forſan CLAUDIUS SALMASIUS, Oraculum illud ſui Temporis Eruditorum, latebit. Huic tanquam Viro in omnium Scientiarum Genere verſatiſſimo injungebatur Defenſio CAROLI I. Stuarti magnæ Britanniæ Regis, poſtmodum truculenter Anno 1649. ſecuri percuſſi. Aſt ecce! præter omnium expectationem infelici Fato adeo frigide & inepte (non meo ſed aliorum Judicio, qui eam vel fugitivis Oculis introſpiciendi Occaſionem nacti) compoſita, quam quod ineptiſſime: quippe ex Hiſtoria Romana Innocentiam Regis commonſtrare auſus eſt. Hinc Caroli Cauſa juſta primum in dubium fuit vocata, deteriorque poſt ejus Defenſionem in Oculis Populi evaſit, quam ante eandem non fuit. Et ſic magno Conatu nihil egit. E contrario JOHANNES MILTONUS *Cromvelli*, Prote-

ctoris illius Angliæ famoſi, a Secretioribus Status Conſiliis, Homo multo minoris Famæ quam Salmaſius, aſſumſit defenſionem pro Republica & Populo Anglicano. Sed tanto Eruditionis Apparatu, tantoque cum Applauſu Rem injuſtam defendit, ut poſtmodum Titulum *Defenſoris Cauſæ malæ optimi* adeptus fuerit: Quemadmodum vice verſa *Salmaſius Defenſor bonæ Cauſæ peſſimus* audire neceſſe habuit. Itaque ambo iſti Viri, licet impari Propoſito, parem tamen producebant Effectum, nempe ut Optimam Caroli Cauſam exoſam redderent Populo.

§. X. Ex his omnibus, niſi me ea fallunt, ſatis conſtare reputo, omnino Æqualitatem quandam inter effectus utriusque, ſive bene ſive male defenſæ Cauſæ exiſtere, quamvis ii non ſemper ex æquali Mente & Propoſito emanarint, quam internam Inæqualitatem hic non conſideramus. Eſaias ipſe Propheta a partibus noſtris ſtare videtur, dum Capite V. v. 20. Vaticinii ſui ejusmodi diverſos Propugnatores in unam collocat Claſſem, atque de utrisque ita Væ! exclamat: *Væ! qui dicitis*

titis Malum Bonum, & Bonum Malum: facientes ex Tenebris Lucem, & ex Luce Tenebras, & ſic porro. Qui enim Patronum malæ Cauſæ bonum agit, ille dicit juxta Prophetam malum bonum, facitque ex Tenebris *lucem &c.* Qui vero malus Patronus Cauſæ bonæ, malæ ejusdem oppoſitæ eſt, ille, ordinem invertens, dicit Bonum Malum, & facit e Luce Tenebras. Quod meo Judicio unum idemque ejusdemque valoris eſt. Nam qualis Cauſa, talis quoque ſequitur Effectus. Et hæc ad ipſam Obſervationem dixiſſe ſufficiant!

§. XI. Interim, Candide Lector, mecum Deo ter optimo maximo Gratias quas potes ſummas agito, quod *Bonæ Cauſæ Eccleſiæ noſtræ* ſtrenuiſſimos ſemper excitaverit Propugnatores, qui eam Ore Sapientia Cœleſti pleno, & Calamo ſingulari dexteritate temperato, juvarunt feliciſſime ſic Bella Domini gerentes; ardentiſſimisque Precibus eundem clementiſſimum Patrem porro eflagito, ut quo magis in hac ultima Orbis ſentina Malitia Hominum aſcendit, eo plures & fortiores ejus Oppugnatores, Vindicesque tam puræ Doctrinæ,

quam infucatæ Pietatis fideliſſimos nobis largiri velit, ut boni omnes, quotquot eorum adhuc ſuperſunt, aliquando Occaſionem ita jubilandi habeant: *Tandem bona Cauſa triumphat!* Triumphabit illa etiam usque dum erit Mundi Finis.

Obſervatio CLXXXIX.

JOHANNIS HENRICI FOPPII,

Athenæi Carol. Bremenſis Scholæque Regiæ SubR. jam ConR. Hervordienſis,

de

Inepta fabularum poeticarum ad ſanctæ religionis myſteria applicatione.

Quemadmodum nihil in vita æque ac doctrina magis eſt neceſſarium, quam ut duo, quibus a veritatis obberratur tramite, evitemus extrema; ita nihil eſt frequentius, quam ut in alterum impingant ſcopulum mortales, ſeque ſenſim a via veritatis, regia abduci

ei patiantur. Præjudicia eſſe, quæ in iſtiuſmodi ſyrtes hominum pleroſque præcipitent, eorundemve obnubilent oculos, inficias ibit nemo, niſi cui deflexuum à recto veroque prorſus ſunt ignotæ varietates. Cujus rei multa poſſent ex omnibus humanæ ſocietatis generibus produci documenta, ſi præſens inſtituti id poſtularet ratio. Hos enim mihi nunc tantum pono terminos, ut de iſtis ſolis ſim acturus eruditis, *qui*, dum nimii ſunt in antiquitatis admiratione, tantam de doctrina Poetarum veterum, & quidem gentilium, præſumſere opinionem, ut eorum fabulas ad explicanda ſanctæ religionis myſteria eſſe idoneas, arbitrentur.

Quod dum facio, non opus eſſe duco, ut in explicandis vocibus tempus teram. Per *myſterium* enim omne id intelligo, quicquid in religione noſtra eſt arcanum, & humanæ rationis viribus perveſtigari nequit. *Fabulæ* vero mihi hic ſunt fictæ poetarum gentilium narrationes ac commenta. His quidem non temere uſos eſſe poetas, ſed putamina illas eſſe, quibus abſconderint nucleum quendam, non invitus mihi perſuaderi patior. Sed hunc definire decorticareque nucleum res, me quidem judice, eſt longe difficillima. Quod qui fiat, & quænam ſit incertitudinis hujus cauſa, nequæri quidem oportet. Nullo enim alio nituntur probabilitatis fundamento, qui abditos

fabu-

ſabularum ſenſus rimari conantur, quam etymologice & nominum ac nonnullarum circumſtantiarum contorta quadam ſimilitudine: At quam debile hoc ſit in abſtruſis iſtiusmodi, ac ab ætate noſtra quam longiſſime remotis rebus argumentum, nemo neſcit, niſi qui ad incredibilia quævis credenda ſe induci ſinit. Quæ cum probe expendiſſet CLERICUS, eademque prolixius eviciſſet, tandem concludit egregie: *Ou doit conclure de la, qu'on ne doit pas confondre les anciens noms à cauſe de quelque legere reſſemblance, & prendre pour le même homme tous ceux, à qui l'on attribue quelque choſe de ſemblable. Biblioth. choiſ. T. I. p. 77.*

Et hinc quoque factum eſt, ut tot fere ſint eruditorum a ſe invicem diſcrepantes ſententiæ, quot antiquorum poetarum fabulas ſibi enucleandas ſumſerunt. Sunt, qui in iſtis cum MAIERO, TOLLIO, & BORRICHIO ænigmata latere putant chemica: Sunt, qui integrum doctrinæ phyſicæ corpus hoc peplo tectum eſſe cum VERULAMIO atque DIGBÆO contendunt; Sunt porro, qui cum GROTIO, BOCHARTO, DICKINSONO, HUETIO, VOSSIO, TOURNEMINE, aliisque quamplurimis, patriarcharum ipſiusque Moſis fata & geſta tectis & corruptis nominibus deſcribi arbitrantur. Sed quis erit diſſenſionum iſtarum diremtor? Quænam adſunt documenta, unde

unde perſpici liceat, cuinam parti debeatur palma? Incerta ſunt omnia. Ego quidem, ſi ex iſtis partibus una mihi arripienda eſſet, non dubitarem, quin protinus accederem illis, qui nucleum fabulis poetarum ineſſe hiſtoricum ſtatuunt, præſertim ſi cum tanta modeſtia & prudentia agitur, quanta uſus eſt *Abbas doctiſſimus*, qui ſub littera B. latere voluit, in *Explicatione hiſtorica fabularum* (*Explication hiſtorique des fables par Monſ. l'Abbé B.*) quarum tomus primus Hagæ Comitum prodiit clɔ lɔcc XIII. Hi enim tantum non omnino nulla in expoſitionibus ſuis nituntur probabilitatis ſpecie. De ceteris vero, qui altiora pretioſioraque apud poëtas quærunt, idem judico, quod B. THOMASIUS in Programmate *de occultis poeticarum fabularum ſenſibus*, quod exſtat inter *Diſſertationes* viri beati, conjunctim ab ejus filio, illuſtri CHRISTIANO THOMASIO, editas, *num. LXIII. p. 733. ſq. Poëtarum non inanibus fabulis ſubeſſe aliquid ex hiſtoria veri, quod ipſi poëtæ ſic deliteſcere voluerint, non dubium eſt. At, fuerunt quidem poſtea, qui huic hiſtorico ſenſui alios tres adjicerent, phyſicum, aſtrologicum, moralem: Verum has interpretationes non ab ipſis poëtis intentas fuiſſe, ſed excogitatas ab aliis, quos vel puderet turpium de Diis hiſtoriarum, vel ingenii periclitandi ſtudium accenderet*, longe eſt certiſſimum.

Iſti

Iſti igitur, qui non hiſtoricum, non phyſicum, non aſtrologicum, non moralem tantum, ſed divinum prope, ſaltem theologicum, fabulis affingunt ſenſum, & inter has tremendaque religionis noſtræ myſteria, auſu non ſatis pio, aut verecundo, paralleliſmum quærunt, ingenii ſui vires infeliciſſime exercent, nec parvum doctrinæ noſtræ faciunt opprobrium. Iſta profecto, cum B. THOMASIO loquor, gentilium philoſophiam, & mythologiam cum ſacris litteris conciliandi veſana cupiditas exſecrandis erroribus lectores, auditores aut ſpectatores reddere poteſt obnoxios. Sed eheu! quantus ſe mihi hic offert ineptiarum errorumque campus! quos ſi omnes enarrare aut poſſem aut vellem, ſat cito charta inciperet deficere. In LEONE enim HEBRAEO hanc impiam curioſitatis adfectationem culpat ipſe laudatus THOMASIUS, quod de androgyno genere primitus ortorum hominum fabulam ad Adami procreationem, fabulam de Gorgone ad Angelos, coeleſtes ſphæras perpetuo circumducentes, applicaverit, & quæ ſunt cetera, quæ fuſe in adducto ſuperius programmate confutantur. De KIRCHERO dudum jam obſervarunt eruditi, eum, dum de Oſiride, Iſide & Horo, commenta traxerit ad S. S. Trinitatis myſterium, aliaque chriſtianorum ſacra dogmata ex incertis, haud raro a ſe ipſo effictis,

ctis, antiquitatum ægyptiacarum ruinis erueꝛrit, lectori in tam pretioſo opere fumum & nubes vendidiſſe. Conf. Celeb. FABRICII, *Bibliograph. antiq. cap. II.* KOENIGSMANNI, *Diſſ. de meritis noſtratium in ſtudium mythicum*. Nolo hic referre illorum conamina ridicula, qui Chriſti & Antichriſti, Lutheranorumque, ſub nomine Lotophagorum facta, imo & duplex Hieroſolymitanorum excidium ex HOMERO, Iliadem *ejus* in vaticinium vertentes, explicare ſunt *anniſi*, quibus jam fecit ſatis ROTHIUS, *Ulmenſis*, in *diſſ. de bello Trojano*. Sed illos potiſſimum nunc in medium producam, qui audacia inexcuſabili το ὁμολογουμένως μέγα τῆς εὐσεβείας μυστήριον de filii DEI incarnatione ex poetarum fabulis, e mendaciis ſcilicet veritatem, aurum e cloaca, ut cum MORNAEO loquar, elicere non verentur, tanto ſane cum coeleſtis doctrinæ dedecore, quanto cum honore gentilium ineptiarum.

Iſtam vel maxime temporum periodum faſcinavit hic furor, quæ bonarum artium ipſiusque eccleſiæ reformationem proxime anteceſſit, & quam *fabuloſam* jure dixeris. Patet hoc ex ipſo LUTHERO noſtro, qui CARLSTADII in detorquendis inſtitutionis S. coenæ verbis temeritatem propriis depicturus coloribus ad ridiculam temporibusque illis uſitatam provocabat fabularum tractationem: *Es*

gemahnet mich dieſer hohen Kunſt, D. Carlſtads, eben, wie derjenigen, die mit allegoriis umbgehen, welche S. Hieronymus in prologo dem Gaucklern vergleichet, als wenn ich aus Dietrich von Bern wolt Chriſtum machen, und aus dem Rieſen, mit dem er ſtreit, den Teuffel, und aus dem Zwarge die Demut, aus ſeinem Gefängnis den Tod Chriſti, oder ſonſt irgend ein Ritterſpiel oder Hiſtorien für mich nehme, daß ich meine Gedancken an übet, und damit ſpielet, wie der gethan hat, der *Ovidii metamorphoſin* gantz auf Chriſtum gezogen hat. *T. III. Jen. germ. f. 86. b.* Eandem hanc abominandam impietatem ORTWINO exprobrat REUCHLINUS in *Defenſione* ſua *contra calumniatores Colonienſes*, quam præſtantiſſimæ *Hiſtoria litteraria Reformationis* inſeruit celeberrimus HERMANNUS von der HARDT, *P. II. p. 71. b.* *Quid igitur*, inquit REUCHLINUS, *tuba canat iſte bonorum artium perverſor, dicere volui profeſſor Ortvvinus, Colonienſis verſifex, metrifex, immo fex omnis ſceleris & perfidiæ, audiamus modo, ſi pietas & pudor chriſtianarum aurium permittat, ac non potius quisque Chriſti fidelis, ſi eſt ullus in viſceribus ardor fidei, aut ſi, ut debet, ulla reſidet in corde vera dilectio DEI, horreat audiendo. Nam proclamat ore ſpurco & blaſphemo, quin etiam impreſſum chalcographia publicavit in ipſo libro hujus mandatarii theologiſtica facilitatis,*

ſocii

ſocii ſui, de beatiſſima & immaculatiſſima virgine Maria, quod ſit alma parens Jovis. *Quæ nova hæreſis antea neque in orbis terrarum latiſſimo ſpatio, nec apud ſuperos, nec apud inferos audita eſt a mundi exordio.* Et hæc eadem hæreſis merito imputatur JOHANNI HUTHENO, Oſnabrugenſi, Dominicani ordinis Patri, qui ſeculo decimo quinto ad finem properante *Herwordiæ* in monaſterio S. Auguſtini vixit. Is enim in cellæ ſuæ feneſtra *nubem*, ut ex appoſita figura, in Frontiſpicio hujus Tomi IX. N. III. occurrente, patet, curavit pingendam, *unde manus egreditur*, quæ, *extenſis tribus prioribus digitis*, & reliquis duobus in pugnum inflexis, radios emittit, in quibus *infantulus* pronus, *humero crucem portans*, angeli ſupra frontem cruce notatũ ſceptrum ſequitur, quem ante *columba* ſe *in caput Mariæ apertum* demiſſura volat. Sceptrum ſchedula, in qua angelica legitur ſalutatio: AVE — GRA. PLE. & Mariæ caput hujus nomen cingit: SANCTA MARIA.

Nubem mutuatus quidem eſt ex Dan. VII, 13. caput vero tanto myſterio aperire non niſi monachus audet, cui caput oeſtro verbũ divini favum exagitante percitum eſt. De Minerva ſcilicet errat frater cucullatus, cui cum LUTHERO acclamares merito: *Hoc omnium hæreticorum, hypocritarum, & ſectarum proprium eſt, ut ſibi imaginem aliquam DEI fingant. Sed,*

o hypocrita! quis juſſit te DEI filio talem, ut ſic vocem, naſum affingere? Quis certum te fecit, DEum tale aliquid abs te velle? T. W. Lat. Jenenſ. f. 748. b. 749. a.

Et ſane, ut in ceteris, ita vel maxime in tanto hoc myſterio evidentiam teſtimonii omnes omnino ſuperare ſimilitudines, tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Melius itaque agitur, ſi hac teſtimonii perſpicuitate contenti ſumus, quam ſi per ineptiſſimam iſtius modi fabularum applicationem craſſos profanosque in ſpectatorum aut lectorum mentibus producimus conceptus. Rectius profecto ſexcentis inter ſe mendaciis, quam vel uni mendacio cum veritate convenit. Utinam iſtis, qui ſtultitiis hiſce delectantur, veniſſet in mentem, fruſtra componi Chriſtum cum Beliale. Vid. THOMASIUM *l. c. p. 358.* Equidem, multa eſſe in religionem gentilium ex populi DEI ſacris per κακοζηλίαν aſſumta, haud diffiteor, adeoque hoc in negotio ſat habere, quod agant, qui curioſa magis, quam utilia ſectantur, facile concedo, nec illorum labores prorſus improbo. Sed num æquum ſit, corruptiſſimas poëtarum fabulas ab homine Chriſtiano, relicto ſic omnis claritatis fonte, tanti æſtimari, ut ad myſteriorum adyta recludenda adhibeantur, id vero eſt, quod cum ſumma religionis noſtræ ludibrio conjunctum eſ-

ſe

ſe arbitror. Valentinianorum æones duodecim ex Ægyptiorum fabulis originem ſuam duxiſſe, Epiſcopus quidam Anglicanus peculiari evincere voluit tractatu, cujus titulus eſt: *De Valentinianorum hæreſi conjectura*, Londini, CIↃ IↃ CCXI. Seculo decimo exſtitiſſe *hæreſin poeticam* auctore Grammatico quodam, VILGANDO, qui Virgilium, Horatium & Juvenalem ſibi per ſomnium viſos, eorundemque dogmata æque ac ceterorum poetarum pro veris eſſe reputanda, contenderit, docet nos FLEURY *Hiſt. Eccleſiaſt. T. XII.* Cujus generis ingenia fabuloſa ætas noſtra fert etiam quam plurima, quorum ingentem numerum produxit JO. HENR. VON SEELEN, vir Clariſſimus doctiſſimusque, cui de collato nuperrime a Lubecenſibus Rectoris munere ex animo gratulor, in Programmate: *De ſcriptoribus gentilibus falſo in Chriſtianorum ordinem relatis, ſpeciatim de fruſtra quæſitis in Virgilio rebus divinioribus.*

Obſervatio CXC.

M. CHRIST. HEIN. BROEMELII,

Paſtoris Marlishuſani,

qua

Theologi ex Jureconſultis in Eccleſia Apoſtolica, recenſentur.

PRÆFATIO.

Summarium:

Locus 1. Sam. X. 11. explicatus. Druſius notatus. Locus 1. Sam. IX. 1. illuſtratus. Neophytus quis ſit? Saul forma & intellectu excellens. Schickardus laudatur.

הגם שאול בנביאים *Num & Saul inter Prophetas?* dudum in proverbium abiit ex 1. Sam. X. 11. Qvod qvidem DRVSIVS interpretatur de eo, *qvi DEI Spiritu impellitur ad præſtandum aliqvid præter expectationem,* aut ſi qvando aliqvis repente mutatur in Virum alium. Velut ſi obſcurus qviſpiam homuncio ſubito fiat clarior,

clarior, aut infimæ ſortis homo ad ſummum altiſſimumque dignitatis gradum evehatur. Nec minus ipſo interprete proverbium in eum qvadrat, qvi ex imperitia & arrogantia tantum ſibi arrogat, qvantum doctus ſacrarum literarum interpres. vid. Druſius *Proverb. Claſſ. I. Lib. I. n. 5.* conf. idem in *Bibl. Crit. h.l.* Qvo ſenſu Paulus νεόφυτον Epiſcopatu excludit, 1. Tim. *III. 6.* Qvod ſua ætate indignantur *Tertullianus* lib. de Præſcript. c. 41. Patres Concilii Niceni I. can. 2. *Innocentius* I. Epiſt. 12. ad Aurelium. *B. Hieronymus* in fine Epiſtolæ ad Oceanum. Ex mera vero humilitate deprecatur & excuſat ſuo exemplo *Ambroſius* Epiſt. 82. ad Eccleſiam Vercellenſem.

Verum tam abjecte *Saul* æſtimandus non eſt, ut obſcuris ſortis infimæ hominibus & tantum non ruſticis æqviparetur, cum parens ejus audiat גִּבּוֹר חָיִל 1. Sam. IX. 1. qvod qvidem *Druſius* de potente opibus intellectum vult, negare tamen non poteſt, de forte & potente robore interpretari *Hieronymum* atqve *Tremellium*, adde *Vatablum.* Quæ interpretatio præferenda omnino, cum utraqve vox militaris ſit, & fortitudinem atque potentiam animi & corporis ſignificet. Deinde nec degener Parentis filius *Saulus* fuit, cum fortes creentur fortibus, & ipſe בָּחוּר וָטוֹב audiat, qvod non ſolum formam & ſtaturam attinet,

ſed mores etiam atqve animi cultum & elegantiam. Hinc recte SCHICKARDUS *nobilitaverat DEus Saulem ſingulari privilegio corporis pulchri & ſtatura Heroica, ut ad humeros uſque ſupra totum populum emineret 1. Sam. IX. 2. adeoque hac rara proceritate regium aliqvid præ ſe ferret.* Subjicit poſtmodum ex *Alcorani* Surata Bakara v. 244. qvomodo Turcæ qvoqve Majeſtatem Saulis venerentur, qvod auxerit illum Deus amplitudine in ſcientia & corpore, vid. Jur. Reg. c. 1. p. 20. 21. Tertio idem proverbium poſtmodum uſurpatur de Saule Rege, more inſolito cum Samuele & aliis Prophetis vaticinante, 1. Sam. XIX. 23. 24.

Qvare ſenſu genuino proverbium hoc iis convenit, qvi diviniore nutu profeſſionem mutant, & ex *illuſtribus Politicis & JCtis fiunt Theologi* & verbi divini præcones. Ita notanter TERTULLIANUS lib. de Anima cap. XI. *Deniqve Saulem tam DEI Spiritus poſtea vertit in alium Virum, id eſt in Prophetam, cum dictum eſt: qvid hoc, filio Kis, an & Saul in Prophetis.* Cujusmodi exempla in Hiſtoria N. T. cumprimis literis mandata ſunt, atque Eccleſia Chriſtiana per omnia ferme ſecula memoria laudeque ſempiterna digniſſima judicavit. Qvod in memoriam revocavit, exemploqve ſingulari prorſus & illuſtri hodieqve comprobavit, *Magnus ætatis noſtræ Ambroſius,* Per Illuſtris, Gene-

roſiſ-

roſiſſimus atque ſumme Reverendus Domi-
nus, DN. JOHANNES FRIDERICUS, LIB.
BARO DE WERTHERN, *Dynaſta Wihenſis & Cœnobii Dondorffenſis Dominus, S.R.I. itemque Imperatoris Romano-Germanici Cubiculi Janitor hereditarius, Sereniſſimo Duci Saxo-Vinarienſi a Conſiliis intimis, Eccleſiaſticis, & Sacris Primariis, SS. Theologiæ Doctor Celeberrimus, &c.* Vir de ſingulis muneribus ampliſſimis meritiſſimus; Hic enim Splendidiſſimis muneribus Politicis diu perfunctus cum Tertulliano togam cum pallio commutavit, & *ex Politico factus eſt Theologus*, Heros in toga, Doctor Eccleſiæ in pallio, elogia noſtra longe excellens. Quæ gloria uti Generoſiſſimis Majoribus non inferior, ac domi foriſqve ac in finitimis pariter atqve diſſitis regionibus pleno omnium ore & encomio celebratur, multisque commendatur monumentis, ita boni omnes mecum eam optant eſſe ſempiternam, conſervandam in poſteris, & per omnes ætates atqve ordines celebrandam aſſidue. Indulgebit vero tanti nominis Theologus, qvod humillime precor, ut in honorem & momoriam ipſius ex Hiſtoria Evangelica & Apoſtolica Qvatuor Theologos inſignes, qvi paria cum ipſo faciant, breviter recenſeam.

CAP. I.
De
Joſepho Arimathienſi.

Summarium.

Spicilegium de Joſepho ſubjungitur, §. 1. *Joſephus* ὁ ἀπὸ Ἀριμαθείας *quomodo?* §. 2. Εὐσχήμων *quid ſignificet?* §. 3. Βουλευτὴς *qualis Conſiliarius?* §. 4. *Grotius notatur ibidem: Aſſeſſores Synedrii fuerunt JCti.* §. 5. *Joſephus an Theologus factus.* §. 6. *Locus Matth. XXVII, 57. illuſtratur* ibidem. *An* LXX. *diſcipulis annumerandus?* ibid. *quomodo* κεκρυμμένος. ibid. *Nomina & differentia* LXX. *diſcipulorum ſunt incerta.* §. 7. *incerta de prædicatione & Eccleſia Joſephi.* §. 8.

§. I.

Jam olim anno 1683. publice de hoc Viro diſſerui Witembergæ Præſide B. TENTZELIO, quas quidem primitias Academicas repetere & Reipublicæ Literariæ denuo offerre nolo. Licebit tamen Paralipomena, ea

ea cumprimis, quæ præſenti negotio inſerviunt, ſubjungere.

§. 2. Ἰωσὴφ ὁ ἀπὸ Ἀριμαθαίας εὐσχήμων βουλευτὴς, ὃς καὶ αὐτὸς προσδεχόμενος βασιλείαν τοῦ θεοῦ. Ita deſcribitur Marco cap. XV, 43. conf. Lucas XXIII, 50. Joh. XX, 38. Notanter vero apud Marcum legitur ὁ ἀπὸ Ἀριμαθαίας, obſervante ERASMO, non quod ab Arimathia venerit, ſed quod ab Arimathia oriundus fuerit, uti apud LIVIUM lib. I. *Turnus ab Aricia* pro *Aricinus* & lib. VI. *Coloni a Velitris* pro Veliterni, conf. DRUSIUS in h. l. t. SAGITTARII Hiſt. Paſſ. Dom. Part. III. c. 4. §. 12. p. 1109. Unde recte B. DEUTSCHMANNUS colligit, prædia nobilia ibidem poſſediſſe Joſephum in Medit. Paſſ. Dom. p. 109. Nobiles namque atque Primores Judæorum, & cives primariæ Nobilitatis in numerum Sacri Senatus, ſive Summi Synedrii Hieroſolymitani, receptos fuiſſe, præter auctores in diſſert. noſtra §. 9. citatos, tuto aſſerit CUNÆUS de *Republ. Ebræorum* lib. I. c. 12. II. 9. *Bibl. Crit. Tom. VI. p. 862.*

§. 3. Nobili genere ortum fuiſſe Joſephum confirmat magis vox εὐσχήμων, quæ quidem uſu ſuo habitum mentis æque atque fortunæ conditionis rationes attinet. Σχῆμα namque habitum tam internum mentis, quam externum geſtuum, veſtium atque honoris ſignificat. Ita

apud *Herodianum* ἀνὴρ φιλοσόφυ φέρων σχῆμα, *homo Philoſophi habitu comparens*, manu nempe baculum geſtans, peramque ſeminudus ab humero ſuſpenſus lib. I. c. 25. pag. 19. VII. 13. p. 224. *Gordianus* βασιλέων ὄνομα καὶ σχῆμα φέρων, Regis nomen & habitum gerens. Quam *figuram ſcenicam* appellat, & theatris uſitatam *Chryſoſtomus* in Rom. XII, 2. Σχῆμα item Geometris eſt figura linearum & angulorum certo poſitu conflata apud *Agellium* lib. I. c. 10. p. 40. 50. σχήματα σελήνης apud *Pollucem* Onom. lib. IV. c. 21. Νεοτερικὰ σχήματα *Athanaſius* vocat habitum, quo puellæ adoleſcentulæ uti ſolent lib. περὶ παρθενείας. Tandem σχήματα ſunt actus geſtusque perſonarum ſcenicarum apud Euripidem & Ariſtophanem, quo ſenſu improbat σχῆμα αἰωνίυ τότυ Rom. XII, 2. 1. Cor. VII, 31. Ex quibus apparet, non minus divitias, quam nobilitatem Joſephi voce εὐσχήμων notari, quod *Chryſoſtomus* agnoſcit Hom. 84. in cap. 20. Johannis: *Mihi videtur, inquit, nobiliſſimum fuiſſe Joſephum, quod ex ſepulchro conſtat, & quod Pilato* (Romanorum Præſidi Provinciali) *erat notus, quare impetravit, & ſepelivit Jeſum, non ut reum, ſed magnifice ſecundum conſuetudinem Judæorum, tanquam magnum aliquem & admirabilem.* Addantur his, quæ ex Verſionibus Orientalibus & *Salmaſio* notavimus in diſſ. cit. §. 6. ſqq.

§. 4.

§. 4. Βυλευ'της denotat *Conſiliarium*, uti probavimus in diſſ. cit. §. 10. ſqq. Addendum jam Conſiliarium Joſephum fuiſſe non civitatis Hieroſolymæ, ſed ipſius Synedrii magni. Etſi enim præter Synedrium hoc duo concilia fuerint Hieroſolymis, aſſerente CUNÆO de Republ. lib. I. cap. 13. neutrum tamen Joſepho competit de capitis condemnatione in cauſa Salvatoris cum collegis decernente, Luc. XXIII, 51. Fruſtra namque excipit GROTIUS in Matth. XXVII, 57. privatum quoque improbare, quæ diſplicent, etiamſi jus ſuffragii non habeat, plus etiam vice ſimplici Synedrium de morte Chriſti conſultaſſe, qd. improbare potuerit Joſephus. Verba namque *ὐκ ἦν συγκαλαλεθειμένος τῇ βυλῇ καὶ τῇ πράξει αὐτῶν*, argumento ſunt *συγκαλαλεθειμένον* aſſeſſorem & collegam eorum fuiſſe Joſephum, qui condemnatione Chriſti votis & ſuffragiis judicabant, i. e. in Synedrio, eo etiam tempore, ſive in termino, quo *βυλὴ καὶ πρᾶξις* Synedrii capitis condemnabat inſontem. Præterea *ἄρχοντες* quoque, non obſervante *Grotio*, vocantur nonnulli, qui Chriſto adhæſerunt Joh. XII, 42. quos inter fuiſſe Joſephum eventus probavit.

§. 5. Jure conſultos vero fuiſſe Aſſeſſores hujus Synedrii, nemo negabit, qui novit, quod non ſolum negotia ſacra, ſed etiam civilia

vilia & criminalia ibidem dijudicata fuerint. Vid. BETRAM. de Republ. Jud. cap. 13. CUNÆUS l. c. lib. II. c. 9. LIGHTFOOT. Hor. Ebr. p. 1124. COCCEJUS ad Sanh. c. 49. SCHICKARDUS Jur. Reg. cap. I. p. 9. ſqq. Hinc famoſiſſimi iſtiusmodi Judices & Aſſeſſores ſive Senatores vocantur ἄρχοντες, πρεσβύτεροι, κριταί, σοφοί, βουλευταί. Vid. CAMP. VITRINGÆ Archi-Synagogus cap. II. p. 19. Referendum huc eſſet & notandum, quod ἀνὴρ δίκαιος vocetur Joſephus noſter, qui non ſolum civiliter & ſpiritualiter coram Deo juſtitiam coluerit, ſed etiam in judicio publico juſtitiam adminiſtraverit, quorſum conſulatur SCHMIDIUS in Luc. XXIII, 50.

§. 6. Illuſtris vero hic Conſiliarius & ICtus Judaicus, ex Judæo Chriſtianus, ex Politico factus eſt Theologus, quod Hiſtoria Evangelica palam teſtatur. Etenim (i) μαθητής, diſcipulus Chriſti vocatur Joh. XIX, 38. Quod quidem nomen omnibus Chriſti Sectatoribus competit ſed quoniam Matthæus cap. XXVII, 57. ſpeciatim de Joſepho aſſerit, ὃς καὶ αὐτὸς ἐμαθήτευσε τῷ Ἰησοῦ, quod non tam ſignificat diſcipulum eſſe, uti Syrus tranſtulit,

ܕܐܦ ܗܘ ܐܬܬܠܡܕ ܗܘܐ ܠܝܫܘܥ.

cum quo conſentit etiam Lutherus noſter, ſed diſcipulos facere & adducere Chriſto, uti Joh. IV, 1. Matth. XXVIII, 19. Act. XIV, 21.

Luc.

Luc. VI, 40. conf. SCHMIDII Annot. in l. c. Unde *Euthymius* & *Chryſoſtomus* Joſephum non incommode annumerant LXX. diſcipulis Servatoris noſtri. Nec obſtat, quod κεκρυμμένος ſive claudeſtinus aliquandiu fuerit, excommunicationem ſuorum metuens, Joh. XIX, 38. Jam enim in lucem prodit, & qualis ſit palam profitetur, Servatoris & Doctoris ſui funus *parans*, ſuoque ſplendido monumento reponens, quod Synedrium latere non potuit. Conf. *Grotius* in Luc. XVIII, 51. Latuit & *Christus* non nunquam & furori intempeſtivo adverſariorum ceſſit, donec Sapientiæ ipſius viſum eſſet, prodire in publicum. Nec minus Apoſtoli in ſtatu turbido in fugam ſe dabant, & clauſis januis ſe abſcondebant, donec luce divina Zeloque ſacro impulſi comparere jubebantur. Quod Joſepho adeo vitio verti non poteſt, nec propterea munus Theologicum ſive Apoſtolicum ipſi denegari.

§. 7. Procul dubio namque non ſolum duodecim Apoſtoli, ſed etiam reliqui diſcipuli & Sectatores Servatoris poſt aſcenſionem ipſius verbum cœleſte promulgaverunt, etſi ſingulorum nomina atque officia, tacentibus Actis Apoſtolicis, definire non poſſimus. In quod quidem anxie nonnulli inquirunt, ipſum etiam Concilium Tridentinum, & Romanæ

Patrum, qvas verbo DEI æqviparabant, & tantum non præferebant Judæi, חביבים דברי סופרים מדברי תורה *Verba Scribarum ſunt amabiliora, qvam verba legis, i. e. traditiones præſtant legi ſcriptæ.* זה מדברי סופרים *Hoc eſt ex dictis ſcribarum, i. e. ex decretis traditionalibus.* vid. LIGHTFOOT. *Hor. Ebr.* in Evangel. p. 206. 365. & in Act. p. 279. Αὐτονομείαν vero ſuam in judiciis Judæi a Romanis ſemper obtinuerunt. vid. BERTRAM. lib. de Republ. Ebr. cap. 13. Et in hujus ἀκριβείᾳ πεπαιδευμένος excultus Paulus, qvod non ſolum informationem puerilem Act. VII. 22. ſed etiam adultorum accuratiorem doctrinam ſignificat, Tit. II. 12. 1. Tim. I. 20. & Juris Judaici ſtrenuum cultorem. Qvomodo vero ad pedes *Gamalielis* educatus fuerit, noviſſime *CL.* DN. WEBERUS, *Lycei Arnſtadienſis Rector*, Programmate ſingulari de *Educatione Pauli* ex Antiqvitatibus Ebraicis delineavit.

§. 2. Deinde νομοδιδάσκαλον Legis Profeſſorem habuit *Gamalielem*, Magni Synedrii Aſſeſſorem vel præſidem, Act. V. 34. Eſt vero νομοδιδάσκαλος, qvi verſatur in doctrina traditionali & in explicatione legis traditionalis. vid. LIGHTFOOT. *Hor. Ebr. in Evangel.* p. 791. ſqq. p. 813. ſqq. & in Act. l. c. p. 45. Paulum vero familiarius Doctore uſum eſſe, adeo ut non ſolum auditor, ſed etiam convictor & ſectator

tor, Gamalielis fuerit SAMUEL PETITUS ex Act. XXII. 3. probare voluit. vid. PFEIFFERI *Antiqu. Ebr. cap.* XXI. 5. Cujus argumentis addi poteſt, qvod ἀνατεθραμμένος non tam doctrinam & diſciplinam, qvam convictum & nutritionem corporis notat, uti ἀνάθρεπτος alumnum apud *Appianum*, ἀνατρέφομαι, enutrior, apud *Plutarchum*. Sigillatim vero poſtmodum ſubjicit πεπαιδευμένον κατὰ ἀκρίβειαν πατρώε νόμε, qvod citra ταυτολογίαν addere non potuiſſet, niſi prioribus *conſortium*, his *informationem privatiſſimam* innuere voluiſſet.

§. 3. Tertio Paulus κατήνεγκε ψῆφον ſuffragium tulit Chariſtianis interficiendis, uti confitetur Act. XXVI. 10. ψῆφος vero hic *calculum judicialem* ſignificat, cujusmodi judices in Areopago præſertim utebantur nigris & perforatis ad condemnandos, albis ac integris ad abſolvendos in κάδδισκον ſive urnam conjectis. Inde phraſis judicialis etiam in ſacris ψῆφον ἀναφέρειν ſententiam ferre, votum & ſuffragium dare. conf. MEURSIUS de ſenatu Areopagitico ſive Attico cap. VIII. JOH. PHIL. PFEIFFER. *Antiq. Græc.* L. II. c. 30. Eqvidem dubitant *Eraſmus* atqve *Grotius* cum aliis, num verbis ſuis Paulus palam profiteatur, ſe ſuffragium ad condemnationem Chriſtianorum tuliſſe judicialiter, num vero ſaltem ſen-

tentiam judicum approbaverit privatus. Sed rectius vertit *Lutherus* noſter: ich halff das Urtel ſprechen. *Calovius*: ich gab meine Stimme auch darzu. conf. *Bertram.* de Republ. Jud. cap. 13. in Bibl. Crit. Tom. VI. p. 785.

§. 4. Tandem non ſolum acerbe conſuluit Paulus adverſus Chriſtianos, & concilio contra *Stephanum* Proto-Martyrem interfuit, ſed etiam ſententiam executus eſt, atque epiſtolas & commiſſiones a Synedrio ſuſcepit ad inquirendum, & ſtrenue animadvertendum paſſim in Chriſtianos, qvod ingenue confeſſus eſt, Actor. XXII. 4. confer. cap. VII. 58. IX. 1. 2. XXVI. 11. 1. Tim. I. 13. qvæ ſane negotia ferenſia & judicialia deſignant. Excipiant qvidem nonnulli, qvod jure vel injuſtitia magis Zelotarum tumultuaria Paulus uſus fuerit, qvod nullum officium publicum probare poſſit. Verum licentia, qvæ conceſſa erat *Iois* קנאין *Zelotis* nec ad omnes, nec ad omnia, multo minus provincias extraneas, pertinebat. Hinc Sanhedr. fol. 81. 2. *Qvi furatur ſcutellas ſacras & maledicit per divinatorem (i. e. maledicit DEO in nomine idoli) & coit cum ethnica* (palam ut Zimri Num. XXV. 6.) קנאין פורעינבו *Zelotæ interficiunt eum. Et Sacerdotem qvi miniſtrat in immundicie, fratres ejus ſacerdotes eum fuſtibus excerebrant.* vid. LIGHT-

FOOT

FOOT. Hor. Ebr. in Evangl. p. 769. Nec Zelotica atqve tumultuaria & tantum non furioſa juſtitia dici poteſt, qvam ex mandato Synedrii literis comprehenſo adminiſtrandum ſuſcepit Plenipotentiarius Paulus, qvod non diſſimulavit. Act. IX. 2. Illis qvi ſibi perſuadent, Pauli tempore Judæos jus vitæ & necis penitus amiſiſſe, nec niſi tumultuarie Zelo intempeſtivo exercuiſſe, optime reſpondent *Bertramus* & *Sagittarius*, concedendum hoc eſſe in negotiis politicis, in ſacris vero & cauſis religioſis, uti αὐτονομίαν, ita etiam poenas capitales Romanos conceſſiſſe Judæis. vid. *Bertramus* libro ſupra citato c. 13. & *Sagittarius* Harm. Paſſ. Dom. Part. II. c. VIII. §. 84. p. 523. conf. infra cap. III. §. 5.

§. 5. Sed tamen tantus Judæorum JCtus magnus Theologus & Apoſtolus gentium factus ab utero matris ad prædicationem Evangelii ſeparatus Gal. I. 15. 16. Singulari namqve beneficio & gratia Chriſti glorioſi a conſilio pravo & cauſa injuſtitiæ plena detentus, & ad munus Theologicum vocatus eſt. Nec vero animo durus & pertinax voluntati & numini divino obniti potuit, ſed exemplo ſingulari commonitus, & in meliores partes inflexus, ad Chriſti Eccleſiam acceſſit Act. IX. 29. Poſteaqvam ad Chriſtum adductus, & Sacris initiatus eſt, nemo magis de Eccleſia meritus

eſt; ac Paulus, ut jam ipſi Judæi, qvi antea Paulum noverant, ſtupore defixi, eum Chriſti præconem mirarentur, qvi promulgaret Meſſiam, & refutaret Judaicos ritus, & plus laboris impenderet, qvam reliqvi omnes. conf. *Chryſoſtomus* de laudibus Pauli, & auctor Prolegi in ejusdem epiſtolas. Divinus hic JCtus *de juſtitia fidei* poſtmodum verba fecit, *juſtitiamqve operum*, qva Phariſæi & falſi Apoſtoli nitebantur, *rejecit, & improbavit.* Simul & gentes, a DEI cultu alienas, demonſtrata naturali DEI notitia & jure naturæ inſitoqve inhoneſti & turpis diſcrimine ab idololatria & turpitudine graviter revocavit. Sigillatim ſcortationes apud gentes in levi habitas exaggeravit, ut eo magis pudori conſideret, & virtutes commendaret. Quamobrem inter Judæos & gentes temperamento quodam uſus eſt, illos ob incredulitatem gratia & privilegio excidiſſe teſtatur, hos ob tot Sapientum præcepta elatiores, ſimiliter frenare ſapienter & coërcere ſcivit; ne de Judæis abjecte ſentirent, qui tot vitia & turpitudines contra notitiam DEI naturalem commiſſas reagitarent. Cauſam dixit plus vice ſimplice coram judiciis Judæorum & Romanorum atque jure civitatis Romanæ ſe defendit, Act. XXI. 22. Nec minus prudentia uſus eſt, cum Phariſæos & Sadducæos, ex qvibus Senatus conſtabat, inter ſe

com-

committeret, & Romam provocaret, uti legere *eſt*, Act. XXV. Qvod etiam præſtitit Romæ, & libertatem conſecutus eſt, Act. XXVIII.

§. 6. Addere poſſem commercium epiſtolicum *Paulum inter & Senecam*, niſi νοθείαν epiſtolarum a ſtylo & ingenio Senecæ plane alienarum LAURENTIUS VALLA dudum evicerit, qvod non negant prudentiores Pontificii, cumprimis *Baronius* & *Bellarminus*. conſ. LIPSII Prooem. in Senecam, COCUS in Cenſura p. 19. ſeqq. RIVETUS Crit. S. lib. 1. cap. 1.

CAP. III.

De ZENA LEGIS PERITO.

Summarium:

Νομικὸς *quis* §. 1. *ſecundum Schmidium* §. 2. *ſecundum Lightfootum* §. 3. *ſecundum l'Empereur*. §. 4. *Grotius laudatur* §. 5. *Hic JCtus Zena Theologus fuit*, §. 6.

§. 1.

His ſpeciatim inter diſcipulos Chriſti & primitivæ Eccleſiæ Theologos, νομικὸς appellatur. Tit. III. 13. Qvi qvinam fuerint,

SCULTETUS deſcribit, qvod formulas juris præſcripſerint, & actiones civiles docuerint, & forenſia magis tractarint, in Exercit. Evangel. lib. I. c. 55. Bibl. Crit. T. IV. p. 1928. Eqvidem fatente *Sculteto*, facile confunduntur in N. T. voces νομικὸς, γραμματεὺς & νομοδιδάσκαλος, qvæ commode ita diſtinguendæ, ut hi proprie fuerint *legum doctores*, illi *Notarii vel Actuarii*, iſti vero *Legis periti*, qvibus tamen tribus officiis unus interdum ſimul, interdum ſingulis fungi potuit, ut omnis νομοδιδάσκαλος fuerit etiam νομικὸς ſed non vice verſa.

§. 2. *Schmidius* cum *Beza* νομικὸς & γραμματέας eosdem facit, & ad tres claſſes refert, qvorum (I.) eorum, qvi Regum Miniſtri erant, haud dubie rationum miniſtri, Rentſchreiber/ Secretarii &c. qualis memoratur *Suſa* 2. Reg. XX. 25. & alius Regis ſcriba 2. Reg. XII. 10. (II.) eorum, qvi privatorum contractus & inſtrumenta conſcribebant, qvos hodie *Notarios & Actuarios* vocamus. Et tales τὰ κινιμὲς I. Par. II. 55. fuiſſe autumat. (III.) Eorum qvi Juris divini fuerint periti, qvalis celebratur *Eſras* cap. VII. 6. qvorum munus fuit, tum in templo, tum in Synagogis legem docere, & ſpeciatim vocari νομικὸς, in N. T. cui obſtat locus Matth. II. 4. Luc. XI. 44. 45. vid. SCHMIDIUS Not. in N. T. p. 33.

§. 3. *Lightfoot* hanc diſtinctionem inter

νομικὸν

νομικὸν & νομοδιδάσκαλον admittit quod νομοδιδάσκαλος Scholam ſuam habuerit & diſcipulos, νομικὸς autem non. Vel qvod νομικὸς in Miſchnah verſaretur, aut in literali & plana traditionum explicatione, νομοδιδάσκαλος autem in Talmud, aut modo eos docendi profundiore & magis Scholaſtico, ita tamen, ut uterqve fuerit Doctor & interpres legis & traditionum. conf. Hor. Ebr. in N. T. pag. 813. 814.

§. 4. *L'Empereur* diſcrimen inter νομικὰς, & νομοδιδασκάλας hoc conſtituit, qvod hi populum in lege DEI inſtituerint, ita tamen, ut in ſenatu cum aliis controverſias tractarint, & ſæpe ex ſacerdotibus & Levitis deſumti fuerint. Illi vero toti occupati fuerint in lege & a νομοδιδασκάλοις diſtincti, ſecundum verba Chriſti Luc. XI. 44. 45. vid. notæ ejus in *Bertram.* de Republ. Jud. c. 18. n. 9. in Bibl. Crit. Tom. VI. p. 806. Qvomodo tituli hi cum vocibus Ebraicis מחובב, שוטר, & דובר conveniant, vid. *Helvic.* Vat. Jacob. Th. I. n. 5. ſeq. in Bibl. Crit. Tom. VI. pag. 114. *Fulleri* Miſc. l. III. c. 19. Bibl. Crit. Tom. VII. p. 163.

§. 5. Propius accedit GROTIUS, qvi Ζηνᾶν non Judæum, ſed Græcum, nomenqve ejus ex Zenodoro contractum, ICtum agnoſcit, & notanter addit: νομικὸς ὁ νόμως εἰδὼς *Juris peritus, legis peritus in Gloſſario. Stoici νομικὸν*

μικὸν definiebant τὸν ἐξηγητικὸν τοῦ νόμου. Jus Romanum etiam Græci didicerunt, ut Triphoninus, Calliſtratus, Menander, Arcadius. Neque dubito, quin multi ex Juris Sacerdotibus Chriſti Sacerdotes facti ſint, quod in ea religione omnia Juris præcepta viderent eminenter contineri. Inter eos fuit Tertullianus, plenus locutionum Juris Romani. vid. *Gortius* in Tit. III. 15. Hæc vero eleganter confirmant, quæ ſupra de νομοδιδασκάλῳ Gamaliele, & diſcipulo atque ſectatore ejus Saulo aſſeruimus. Uti enim νομικὸς in N. T. vocatur ICtus Græcus, qui Juris ſtudio & negotiis nomen dedit, ita procul dubio talis νομικὸς etiam fuit apud Judæos, qui νομοθεσίαν ſuam ſartam tectam a Romanis retinuerunt ſemper.

§. 6. Denique hunc ICtum *Zenam* Theologorum Apoſtolicorum Ordini merito adſcribimus, cui Paulus idem negotium commiſit cum Apolline, i. e. prædicationem Evangelii, conf. 1. Cor. I, 12. quod agnoſcit nobiſcum *Hieronymus* vid. Cent. Magd. Cent. I. lib. II. cap. 10. p. 630.

CAP. IV.

de

DIONYSIO AREOPAGITA.

SUMMARIUM:

Dionyſius ICtus fuit. §. 1. Areopagus quid? §. 2. num Eclipſin tempore paſſionis obſervaverit. §. 3. Epiſcopus Athenienſis, non Pariſienſis fuit. §. 4. An exequiis Mariæ interfuerit? §. 5. de Martyrio & reliquiis ejus. §. 6.

§. 1.

Hic extra controverſiam ICtus Græcus fuit, cum in Areopago Athenienſium non ſolum Paulum audiverit, ſed etiam *Areopagita*, i. e. Senator & Aſſeſſor Senatus Athenienſis vocetur, Act. XVII, 19. 34.

§. 2. Quale collegium *Areopagus* fuerit, paucis ex annotationibus SCHMIDII in locum Act. X, 19. ſubjiciam, cum MEURSII opus eruditiſſimum de *Magiſtratibus Atticis* jam non ad manus ſit. *Erat* Ἄρειος πάγος δικαστήριον *Athenis, extra civitatem in colle quodam arci Cecro-*

 pia

pia oppoſito, cujus Senatores vocantur Ἀρειοπαγῖται. *Cooptabantur in horum Senatum non quilibet, ſed genere, (propter auctoritatem) divitiis, (ut ſpernere poſſent δωροδοκίαν) vitaque ſanctimonia (ut juſtitiæ magis ſtuderent) clari, initio numero novem: poſtea quinquaginta &c.* Unde conſtat, Dionyſium ICtum non ultimæ ſortis Athenis fuiſſe.

§. 3. Augent quidem nonnulli auctoritatem & eruditionem *Dionyſii*, qui eundem Heliopoli ſtudiorum gratia commoratum eſſe, & cum Præceptore ſuo *Apollophane* Philoſopho magnam iſtam Eclipſin, quæ Paſſionem Chriſti notavit, obſervaſſe, credunt, quibus etiam adſtipulatur laudatus SCHMIDIUS l. c. vers. 34. conf. Cent. Magd. Cent. I. lib. II. c. 10. p. 607. *Bellarminus* de Script. Eccl. Sec. I. *Baronius* in Annal. ad an. 109. n. 51. ſqq. Sed nituntur ad unum omnes epiſtolis *Dionyſii* VII. ad Polycarpum & XII. ad Apollophanem ſuppoſititiis, & νοθείας dudum convictis a *Luthero* in Gen. III. *Chemnitio* in oratione de Lectione Patrum LL. CC. præfixa, *Gerhardo* de Patrologia p. 19. ſqq. *Sagittario* Harm. Paſſ. Dom. Part. II. c. 15. §. 9. ex Reformatis a *Sculteto* Medull. Patrum Part. I. lib. XII. cap. 8. *Coco* in Cenſ. p. 29. ſqq. *Riveto* Crit. S. c. 9. ſqq. & cum primis a *Dallæo*, libro peculiari Genevæ 1666. edito, qui 41. argumen-

tis

tis fraudem detexit. Quod *Morinus* & *Launoyus* ipſi confitentur, & eo nomine præter meritum a Natali Alex. refutantur Diſſ. 25. Sec. I. Neque enim Patres priorum Seculorum ſcriptorum Dionyſii mentionem faciunt, et ſtylus indicat ætatem longe poſteriorem, qualis erat Sophiſtarum.

§. 4. *Illud* quidem certum eſt, Dionyſium Areopagitam ſive Conſiliarium Pauli prædicatione converſum, primumque Athenienſis Eccleſiæ Epiſcopum conſtitutum fuiſſe, quod ex *Dionyſio* Corinthiorum Epiſcopo, tanquam teſte indubio confirmat *Euſebius* H. E. lib. III. 4. IV. 25. Num vero a *Clemente* Romanorum Epiſcopo in Occidentem miſſus, & Pariſienſium Epiſcopus factus ſit, adhuc ſub judice lis eſt, de quo poſt *Jacobum Sirmondum* & *Joh. Launoyum* videri poſſunt DORSCHEUS in Sylloge p. 48. ſqq. BEBELIUS Ant. Eccl. p. 25. ſqq.

§. 5. Ejusdem, cenſûs quod ex Dionyſii de divinis Nominibus lib. cap. III. referunt, *Nicephorus*, *Baradius*, & *Baronius*, Dionyſium Concilio Hieroſolymitano, & *exequiis Mariæ interfuiſſe*, quorſum ex l. c. verba hæc referunt: *congreſſus etiam eſt cum Hierarchis, divino nomine afflatis, quum & ego & ipſe aliique multi ex ſanctis fratribus noſtris ad ſpectaculum divini illius & ſalutiferi corporis conveniſſemus. Aderat ibi*

Jaco-

Jacobus quoque frater Domini, & item Petrus Theologorum Coryphæus & princeps. vid. MAYERI diſſ. de Conventu Apoſtolorum ad Mortem Mariæ c. II. §. 17. Sed cum delibrriſtius auctore & candore auctores ſupra citati merito dubitent, traditioni huic nemo facile fidem habebit.

§. 6. Nec minus diſceptatur *de martyrio & reliquiis* Dionyſii. Illum enim Athenis martyrium ſuſtinuiſſe auctor indubitatus eſt, & Dionyſio æqualis, *Ariſtides*, Athenienſis Philoſophus, cum quo conſentiunt antiquiſſima Martyrologia & Menologia. Qui vero Pariſiis eum capite plexum aſſerunt, partim ſcriptis ſuppoſititiis, partim errore calculi fallunt & falluntur. Quod martyrium ita deſcribit HOSPINIANUS ex Petro de Natal. lib. IX. 41. Dionyſius *a Feſcennino Præfecto, quod multos ad Chriſtum convertiſſet, ipſe cum ſociis virgis caſus eſt, deinde quod Chriſtum prædicare pergeret in craticulam ſubjecto igne conjectus, tandem annum agens 90. ſecuri percuſſus. VII. Id. Octobr. Referunt eum abſciſſum caput ſuum ſuſtuliſſe, & progreſſum ad duo millia paſſuum in manibus geſtaſſe, a loco nimirum, qui mons Martyrum vocatur, uſque ad unum locum, ubi nunc quieſcere dicitur.* Sed Martyrii hujus & operum Hierarchi eorum defenſores, dum *ſub Adriano* Martyrem factum Dionyſium aſſerunt,

ſerunt, veritati adverſantur. Diu enim ante Adrianum Dionyſius fatis conceſſerat, & tum temporis tertius poſt Dionyſium & Publium Epiſcopus *Quadratus* cathedram Athenienſem occupaverat. Vaniſſima itaque ſunt, quæ *Pariſienſes* jactant *de corpore Dionyſii in urbe ſua repoſito*, quodque *Ratisbonenſes* tempore Imperatoris *Arnulphi* ad ſe translatum pari fide fingunt. conf. BARONIUS ad an. 152. n. 10.

Obſervatio CXCI.

CHRISTOPH. AUGUSTI HEUMANNI,

Gymn. Goettingenſis Inſpector. & SS. Theol. Prof.

de

EURIDICE PLUTARCHI.

Plutarchus ſub finem libri ejus, quo de liberis recte ac ſapienter inſtituendis præcipit, meminit matronæ cuiusdam natione *Illyricæ*, nomine EURYDICES, quam ætate jam provectiorem literis ſe dedidiſſe commemorat, eo conſilio,

ut

ut ipſa liberorum ſuorum eſſe poſſet magiſtra. Adducit idem auctor elegans eius feminæ epigramma, ut proinde ea optimo iure in numero Græcarum poetriarum ponatur. Hoc ipſum me, quid hoc mulieris eſſet, ſciendi cupidum permovit, ut PASCHII *Gynæceum doctum* intrarem, pariterque doctum & laborioſum GOTTFRIDI OLEARII *de poetriis Græcis* (a) libellum evolverem. Sed neuter iſtius EURYDICES iniecit mentionem, adeoque alios quærere doctores coactus ſum. AEGIDIUS MENAGIUS in ſua *Hiſtoria philoſopharum* non omiſit *Eurydicen* noſtram, ſed ita §. 15. eius meminit, ut lectores non dimittat doctiores, ſola quippe *Plutarchi* verba recitans, nihil de ætate ac perſona EURYDICES illius adjungens. Non maiorem gratiam debemus BÆLIO. Nam & ipſe ſingulare caput de iſta EURYDICE

Di-

(a) *Præter noſtram* Eurydicen *in Græcarum poetriarum numero ab* OLEARIO *etiam omiſſa eſt* Calliſtrata, *itemque* Nico Samia, *quarum* Athenæus *meminit lib. V. & VIII* Eriphanis *quoque, de qua vid. idem Athenæus lib. XIV. p. 619.*

Dictionario ſuo inſerens, in relatione *Plutarchi* acquieſcit, niſi quod WESTHUSII errorem notat, qui, Orphei uxorem innui, ſibi perſuaſerat.

Libet igitur jam diſpicere, quænam fuerit illa femina Illyria, *quæ genus, unde domo?* Reperiuntur plures Eurydices in vetuſtis monumentis. Nata eſt ex VIRGILII *Georg. lib. IV.* & OVIDII *Metam. lib. X.* *Eurydice*, Orphei vatis uxor. Sed ea admodum iuvenis exſtincta non poteſt non eſſe diverſa ab *Eurydice Plutarchi*, quippe quæ ὀψὲ τῆς ἡλικίας literis ſe dediſſe dicitur. Neſtoris etiam uxor, HOMERO teſte, *Odyſſ. libro tertio*, *Eurydices* nomen geſſit. Sed cum *Homerus* eam non ab eruditione laudet, nec hanc PLUTARCHUS innuat neceſſe eſt. Satis quoque notæ ſunt duæ reginæ Macedoniæ, EURYDICES uſæ nomine, altera Philippi, quem Alexander M. habuit patrem, mater; altera Perdiccæ, qui Philippi ejusdem frater fuit, neptis. De utraque ſatis copioſe docteque diſſeruit BÆLIUS, ſed ita, ut luculenter appareat, de neutra *Plutarcho* ſermonem eſſe. Ipſius *Plutarchi* ætate EU-

RYDI-

RYDICE quædam vixit, Polliani uxor, cui conjugum pari *Præcepta matrimonialia* inſcripſit *Plutarchus*. Fuiſſe hanc *Plutarchi* filiam, conjectura eſt JO. IONSII *lib.* III. *de ſcript. hiſt. phil. cap. 3. p.* 238. nullo nixa fundamento, ideoque merito repudiata a MENAGIO *loc. cit.* & a Cl. DORNIO, cui novam Ionſiani operis editionem debet præſens futuraque ætas: itemque a Celeb. FABRICIO *Bibl. Græc. lib. IV.* c. XL. §. I. p. 330. not. e. Præterea EURYDICEN, Lyſimachi regis filiam, & EURYDICEN, Ptolemæi uxorem, quarum illam JUSTINUS memorat *l. XVI. c. 2. n. 4.* hanc *l. XXX. cap. 1. n. 7.* Neutra enim fuit Illyria.

Denique relatum lego, Philippum, Alexandri M. patrem, virum teſte JUSTINO *lib. IX. cap. 8. n. 3. & Athenæo Lib. XIII. pag. 557.* πολυγύναιον, inter cæteras uxores etiam habuiſſe *Audatam*, natione *Illyriam*. Id diſerte teſtatur loco jam indicato ATHENÆUS. Hancce *Audatam* abjecto iſto Illyrico nomine, & adſcito Græco, *Eurydicen* poſtea vocatam fuiſſe, teſtis eſt *lib. I. de rebus geſtis Alexandri M.* ARRIANUS. En *Eyridicen Illyriam!*

am! Hanc innui a *Plutarcho*, eo facilius credo, quod ejuſdem EURYDICES filia, CYNNA, ſuam filiam artem bellandi docuiſſe perhibetur, uti DURIS refert apud *Athenæum lib. cit.* CYNNA ſcilicet matris exemplo, quam habuerat magiſtram, ſuorum & ipſa liberorum magiſtra eſſe voluiſſe videtur.

Cæterum adſcribam elegantiſſimum hujus mulieris epigramma, tabulæ votivæ inſcriptum, & a *Plutarcho* ſervatum, nunc tamen non undiquaque incorruptum. Id ita ſe habet:

Ευρυδίκη Ἱεραπολιῆτις τόνδ᾽ ἀνέθηκε
Μέσαις, ἔυιςον ψυχῇ ἑλοῦσα πόθον.
Γράμματα γὰρ, μνημεῖα λόγων, μήτηρ γεγαῦια
Παίδων ἡβώντων, ἐξεπόνησε μαθεῖν.

In voce ἔυιςον ineſt mendum. IO. MEZLERUS, qui iſtum *Plutarchi* librum Latine interpretatus eſt, cenſuit reſcribendum ἱςὸν, id eſt, *telam*. Verum non video, qua ratione Muſis in memoriam acceptæ ab iis doctrinæ *tela* conſecrari poſſit. Recordor, Lipſium (b) Diuæ Mariæ

(b) *Vid.* MIRÆUS in vita Lipſii *p.* 116. *ſeq.* *edit. Rollii.*

argenteam, conſecraſſe *pennam*, ſubſcriptis hiſce verſibus:

Hanc, Diva, pennam, *interpretem mentis meæ,*
hanc pennam *tibi*
Nunc, Diva, merito conſecravi Lipſius.

Conſentaneum igitur eſt, EURYDICEN Muſis *ſtylum*, quo iſta ætate pro *penna* utebantur, dedicaſſe. Pari modo milites e prælio domum reduces *arma* ſua ſuspendebant in templis. *Et ſua det reduci vir meus arma Iovi*, inquit Laodamia Ovidiana Epiſt. XIII. v. 50. Ejusdem pæne generis exemplum pete ex IUSTINO *Hiſt. lib. IX. cap. 7. n. 13.* Sic Paſtores Numini ſuo ſuspendere *fiſtulam* ſolebant, teſte TIBULLO *lib. II. eleg. 5. v. 29. 30.*

Pendebatque vagi paſtoris in arbore votum,
Garrula ſylveſtri fiſtula *ſacra DEO.*

Pio more igitur ſuæ ætatis EURYDICEN oportuit non *telam*, ſed *ſtylum* ſive graphium Muſis dedicare. Hinc ſuspicor, veram primi pentametrii hanc eſſe ſcripturam:

Μέσαισι ςύλον, ψυχῆ ἔλεσα πόθων.

Integrum epigramma ſic reddo:

Eurydice Hierapolitana hunc ſtylum ſacra-

cravit Muſis ſummo perfuſa gaudio.
Nam, facta mater filiorum adoleſcentium, literas, quæ ſermonis monumenta ſunt, ſtudioſe didicit.

Idem hiſce concluſi verſibus:

Eurydice hunc ſtylum Muſis Hierapolitana
Dedicat, atque pia gaudia mente capit.
Quippe ex quo natis ſua venit adultior ætas,
Libros aſſidua voluo revoluo manu.

Obſervatio CXCII.

M. HEN. SCHARBAU,

Eccleſ. Lubec. ad Templum arcis,

De

Affectata Arianorum pietate.

Deteſtanda & execrabilis Arianorum hæreſis, gangrænæ inſtar ſerpendo, multas olim arroſit conſumpſitque Eccleſias, nec exiguam partem ſinceræ religionis traxit, peſtemque ſuam per aliquot ſecula & in orientis & occidentis plagas diffudit.

fudit. Teſtantur hoc piæ *de mundo pene toto ariano facto* Patrum querelæ, ſcripta polemica, & concilia internecioni arianiſmi deſtinata. Eruditiſſimus quidem JURIEU in libro, quem edidit ſub titulo: *du vrai ſyſteme de l' Egliſe* (Ultrai. 1686.) p. 149. quondam negabat iſtam hæreſeos hujus amplitudinem; Quamvis enim concederet, epiſcopos plures Arii partes amplexos fuiſſe, negabat tamen, hæreſin hanc a plebe fuiſſe agnitam & approbatam, nec permiſſurum addit p. 236. DEum, ut tam magna chriſtianorum pars mortali immerſa errori diu jaceret. Sed adverſarios expertus eſt Dn. NICOLIUM *dans la Preface de l'unité de l'Egliſe*, PELISSONIUM *dans les Reflexions ſur les differens de la Religion* P. II. p. 429. 430. autoremque *Januæ cœlorum reſeratæ*, qui ſub nomine *Cari Larebonii* latere voluit p. 87. (v. Mr. BAYLE *Dictionaire hiſtorique & critique in Arius p. m. 364.*) Certo quidem certius eſt, arianiſmum & late ſe diffudiſſe, & diu continuaſſe; ſed quæ cauſa hujus mali, quæ ſcaturigo tam ſuperbi dominii erroris hujus fuerit, altioris eſt

inda-

indaginis. Nolo hic recurrere ad juſtum DEI judicium, ad effoeminatum Eccleſiæ pacatæ & tranquillæ ſtatum; Sed quid præter doctrinam eruditionemque & favorem Principum, Arius & reliqui coryphæi contulerint, enarrabo, neque hæc quidem omnia & ſingula, ſed *ſpeciem* ſolummodo, *quam præ ſe ferebant pietatis & divini Zeli.*

II. Cum igitur ARIUS primus caput extulerit, de ejusdem quoque moribus primo loco diſſerendum eſt. Certe non omnem cum orthodoxia pietatis probitatisque ſpeciem exuit, ſed quemadmodum oblato libello pœnitentiæ *Conſtantino Imperatori* fucum fecit, ut ex Jllyrico, quo relegatus fuerat, redire ipſi concederetur, juxta SOZOMENUM lib. II. c. 16. ita pariter pietatem ejus ad fallendum compoſitam fuiſſe teſtatur RUFFINUS L. I. cap. II. Ex quo GVIL. CAVE ita de Ario diſſerit: „vir erat plane acutus & eruditus, moribusque ad fallendum compoſitis, ſpecie & forma magis, quam virtute religioſus, in hiſtor. liter. *ſcriptorum Eccl. ſec. IV.* p. 90. b. Quinimo ipſam ſuam hæ-

reſin ſub pietatis ſpecie & fuco ulteriùs diſſeminare ſolebat. Quam ob rem cum pudoris, doctrinæ cultoribus ſolenne erat, DEum canticis celebrare, & hymnos recitare in conviviis, idem in rem ſuam vertere, & ſub *Thaliæ* titulo librum componere aggreſſus eſt; ut ipſo hoc nomine doceret, ſe oſtenſurum, qua ratione convivia chriſtianorum, vere læta & florida ſint, *ſi nempe DEI ſpiritus ibidem dominetur, & cibo ſpirituales odæ interponantur.* Interim ſolutum iſtud & molle dicendi genus ad morem SOTADIS turpiſſimi Cretenſis *Jambographi*, quo carmina hujus Thaliæ conſcripta fuiſſe feruntur, ſatis prodiderunt impuram hominis mentem, unde in Synodo Nicena cum Ario, libri quoque Arii damnati ſunt; ita ut ſine dubio *Thalia* cum reliquis combuſta fuerit. Quinimo, teſte SOCRATE H. E. lib. I. c. IX. p. m. 32. Imperator libros Arii adeo peſtiferos credidit, ut capitalem pœnam ſanciverit in illos, qui libros, quos poſſidebant, ab Ario compoſitos, non illico flammis conſumerent. Præter iſtæc cantica, quibus uti poſſent inter prandendum, conſcripſit etiam

ᾀσμάτια

ᾀσμάτια quædam, a Thalia diſtincta; quod probat ex ATHANASIO *de Synodi nicenæ decretis* JAC. GOTHOFREDUS *ad Hiſtor. Eccleſ.* PHILOSTORGII L. II, c. 2. p. 47. Id vero eum fecerat in finem, ne, ceu PHOTIUS in ſua Epitome addit, dulcedine cantus imperitiſſimos quosque ad impietatem ſuam ſenſim traheret. Fuerunt hæc ἐπιμύλια, ſeu cantica, quæ in piſtrinis inter molendum ναυτικὰ & ὁδοιπορικὰ quæ nempe navigantes & iter facientes ad fallendum otium captandamque voluptatem canerent. Facile autem apparet, cantica hæc non pietatis ſed hæreſeos promovendæ cauſa fuiſſe in lucem protruſa. Fuit enim ordinarium & maxime frequens hæreticorum ſtratagema *cantilenis errores propagare*. Unde etiam in ſynodo Laodicena canone penultimo decretum extat: „Non debere adhiberi in Eccleſia „ἰδιωτικοὺς ψαλμοὺς ſeu PSALMOS privata „autoritate compoſitos, vid. ſumme rev. Dn. D. SAL. ERN. CYPRIANI *diſſert. de propagatione hæreſium per cantilenas, c. 9.*

III. Ab anteſignano deveniendum nobis eſt ad reliquos, qui veluti columnæ

portentoſi hujus ædificii habiti ſunt, & conditores ſectæ alicujus inter Arianos novæ. Quamvis enim *omnes & ſinguli* ὁμοούσιον *Patris & Filii negarent*, differebant tamen invicem, ſiqvidem aliqui magis, alii minus diſſimiles credebant. Inter eos, qui Filium DEO Patri per omnia diſſimilem dicebant, AETIUS fuit princeps. De dogmatibus & vita ipſius videndus eſt NICETAS ACOMINATUS, CHONIATES *in Theſauro orthodoxæ fidei*. L. V. c. XXX. XXXI. THEODORITUS, L. II. c. 24. p. m. 106 ſeq. & cap. XXVII. p. 111. ſq. Inprimis vero PHILOSTORGIUS, qvi adeo prolixus eſt in recenſenda AETII hujus vita, ut in antiquo epigrammate EUNOMIANI, tota ejus hiſtoria Eccleſiaſtica, *hiſtoria Aëtii*, merito audiat.

ἱςορίην ἐτέλεσσ' Ἀθέω, χαρίτεσσι σοφῇσι
πρήγματ' ἀληθείης πολλ' ὑφηνάμενος.

verſum priorem damus ex emendatione *eruditisſimi*. JAC. GOTHOFREDI *in Proleg. ad hiſtoriam Eccl. Philoſtorgii*. Notum autem eſt in hiſtoria Eccleſiaſtica, nomine *athei* indicari Aetium. Ita enim de eo SOCRATES L. 2. c. 35. p. m. 129. Ἐν

δὲ

ἐν Ἀντιοχείᾳ τῆς Συρίας ἕτερος ἐπεφύη αἱρεσιάρχης Ἀέτιος, ὁ ἐπικληθεὶς ἄθεος. Idem refert de eo SOZOMENUS L. III. c. XV. p. m. 524. Nam cum ejus peritiam in Dialectica & Logica laudaſſet, addit: ἠμέλει ὡς ῥαδίως περὶ θεοῦ διαλεγόμενος, ἄθεος παρὰ τῶν πολλῶν ὠνομάζετο. PHILOSTORGIUS igitur modo nominatus, cum totus ſit in laudando Aetio, non potuit non ea qvoqve prædicare, quæ *Pietatem ſpirare* qvibusdam videbantur. Unde PHOTIUS, cui pleraqve debemus, quæ Philoſtorgius reliqvit, in ſua *Bibliotheca*, *num.* XL. de eo ita ſcribit: ἐςὶ δὲ ἀνὴρ ψευδολόγος τε καὶ οὐδὲ μυθολογίαις ἀπεχόμενος. Ἐξαίρει δὲ ἐν μὲν λόγοις μάλιςα Ἀέτιον, καὶ Εὐνόμιον, μόνους ἀνακαθάραι τὰ τῆς εὐσεβείας δόγματα τῷ χρόνῳ συγκεχωσμένα, τερατευόμενος. quaſi vero hic *Aëtius* cum *Evnomio* veræ pietatis ante contaminatæ reſtauratores fuerint. Agit hoc inprimis L. III. cap. XV. Narrat ibidem *p. m. 51. ex editione* GOTHOFREDI, viſionem ipſi obtigiſſe, quæ illi ἐν ἀθυμίᾳ conſtituto, objectis ſymbolis erexerit certioremque fecerit, ſe in omnibus congreſſibus fore invictum, id

quod, qua ratione eventu fuerit compro-batum, exemplis pluribus docet. Id l. c. p. 52. Aetium laudat, eum Sopolis medicinæ periti ductu, ita in hac ſcientia profeciſſe, ut nulli fuerit ſecundus, ut animis æque ac corporibus mederi potuerit. Addit denique, ipſum Apoſtolorum more, ſicubi neceſſariis indigeret, artem, quam ab aurifabris didicerat, exercuiſſe. Enimvero tum conflictus Aetii, cujus Philoſtorgius exempla producit, ex quo ſuperior diſceſſerit, tum ὀπτασίας nulla ſatis firma, producit argumenta. Nam de victoriis Aetianis tacent ſcriptores reliqui, & de viſionibus ejusdem merito dubitatur, æque ac de miraculis, quæ Philoſtorgius paſſim enarrat, ad extollendas Arianorum laudes, in quibus amplificandis omnem omnino excedit modum. Verum in *Epiſtola Synodica*, quæ Conſtantinopolitana Synodus ad GEORGIUM Alexandriæ epiſcopum, perſcripſit contra Aetium, ejus diaconum, hæc ipſius jactantia viſionum ſuarum acriter perſtringitur. Ipſe enim ille ferra, qui cum paucis aliis ſententiæ contra eam prolatæ ſubſcribere noluit, inſanam

hanc

hanc ejus jactantiam (prout B. autores loquuntur,) teſtimonio ſuo firmaverat. ἔφασκε γὰρ, αὐτὸν θρασυτέρα τολμῇ προπηδῶντα λέγειν, ὅσαπερ ὁ θεὸς ἀπέκρυψεν ἀπὸ τῶν Ἀποςόλων μέχρι νῦν, ταῦτα ἀποκεκαλύφθαι αὐτῷ διαβεβαιοῦσθαι. Conſervavit hanc epiſtolam THEODORITUS *Eccl. Hiſt.* L. II. c. 28. *p. m. edit. Vales.* 114. *ſq.* Quantum vero ipſi tribuerit Philoſtorgius in defendenda ſua cauſa, ex eo patet, quod dicat, „cum Athanaſius fuerit ξένων ἐπὶ τῷ ὁμοουσίῳ, „differens in defendendo homouſio, „ἔχειν εἶναι neceſſe fuerit aliquem extare „ἀντιπνέοντα, qui contra flaret. Quaſi vero hic ipſe malleus orthodoxorum fuerit & agger, ſanæ, ne nimium diffunderetur, doctrinæ opponendus. Contra de eodem ex NICETA refert GV. CAVE l. c. p. m. 120. quod fuerit temerarius & ſcurrilis, atque mimicis, thymelicisque ſermonibus, geſtibus, & cultibus indecoris delectatus fuerit. Nam veſte ad nates usque ſublata femora ferire, alteroque pede ſublato & ventre percuſſo pedere ſolebat. In conviviis autem inter ludicra verbis blaſphemis SS. Trinitatem laceſſebat.

IV. Poſt

IV. Poſt Aetium in medium prodeat BASILIUS ANCYRANUS, novæ inter Arianos Sectæ conditor. Nam quamvis in omnibus Ario non conſentiret; omnibus tamen erroribus non valedixit; Sed *Filium Patri* ὁμοιούσιον *tantum eſſe dixit, cum Arius prorſus* ἀνόμοιον *ſtatueret.* Apparet id vel maxime ex Fide & Synodo Ancyrana A. 358. In qua Duce BASILIO ὁμοιούσιον receptum confirmatumque fuit. Fuit autem hic Baſilius ſucceſſor MARCELLI, qui ab Epiſcopis, conſtantinopoli congregatis, ab epiſcopatu Ancyrano depoſitus, & ex Eccleſia exturbatus eſt. Fuerat enim novæ doctrinæ autor, *Filiumque Dei initium ex Maria ſumſiſſe, & regnum ejus finem habiturum eſſe*, idque peculiari libro, docuerat, teſte SOZOMENO l.II.c.XXIII.p.m.494. Encomiũ vero huic apponit noſtro Baſilio, tanqvam δεινῷ λέγειν καὶ ἐπιπαιδεῦσαι ὑπειλημμένῳ, *viro facundiæ & eruditionis laude celeberrimo.* Sed non minorem ſibi pietatis famam peperit cum ſuis. Nam EVSTATIUS, qui *Sebaſtiæ* metropoli Armeniæ epiſcopus erat, cum noſtro Epiſcopo in metropoli Galatiæ dicuntur, ambo familiares

Im-

Imperatori, καὶ πλείστης οὔσης διὰ τὴν ἀξιάγαστον βιότην ἀπήλαυον παῤῥησίας, juxta Theodoritum L. 2. c. 25. p. m. 108. ſcilicet, *ob eximiam vitæ ſanctimoniam ſumma apud eum* (Conſtantium imperatorem) *autoritate ac fiducia pollebant.*

V. ACACIUS medii generis ſeu ſemi-Arianorum dux & autor Philoſtorgio qvidem *aperto ὁμοούσιος præco* dicitur, quod fidem Aetianis ſimilem tantũ ſimulaverit, non minus tamen *Baſilianos* peculiari odio perſecutus eſt, L. V. c. I. Id quod argumento eſt, non immerito ipſum EPIPHANIO hæreſi ſemi-arianorum n. 25. vapulare, & SOZOMENO L. IV. c. 28. Utut vero ipſi cum Arianis reliquis in omnibus non convenerit, bene tamen Vaframent0 & hypocriſi convenit. Audaciam ejus in certaminibus, acrimoniam in dignoſcendis rebus, promptitudinem in diſſerendo idem ipſi tribuit *Philoſtorgius* l. c. p. m. 73. Sed quam verſutus verſipellisque fuerit, produnt modo dicta, & ATHANASIUS *in decr. Syn. Nic. p. m. 403.* & inprimis SOZOMENUS L. IV. c. 23. p. m. 577. edit. *Vales.* Qui docet, eum plurimos ex Palatii Proceribus in ſuam ſententiam pertraxiſſe, eorumqve opera Principis benevolentiam ſibi concili-

ciliaſſe. Alii enim, ut addit, ejusdem erant cum eo opinionis: alii Eccleſiaſticis opibus corrupti fuerant, alii verbiorum (*pietatem ſimulantium,*) blanditiis & ſvadentis autoritate in fraudem inducti fuerant.

VI. Reliquam Arianorum turbam enumerare nimis prolixum foret; cum virus iſtud omnem orbem perrepſerit, & jam tempore *concilii Niceni* ſex ex Lybia ſuperiore, unus ex Ægypto, duo ex Palæſtina, totidem ex Phoenicia, tres ex Cilicia, ex Cappadocia pariter tres, duo ex Ponto, & tres ex Bithynia epiſcopi ab Arii partibus ſteterint. Catalogum tamen horum exhibet, & quantam ex antiquitate licuit notitiam ſuppeditat eruditiſſimus Jac. GOTHOFREDUS *ad Philoſtorgium* L. I. c. 8. Quorſum etiam ſpectant, quæ Philoſtorgius ipſe paſſim affert, ad promovendas *Imperatorum* laudes, qui ſectæ huic & hæreſi addicti fuerunt. vid. laudati GOTHOFREDI *prolegomena*, p. 30. Quam vero ſpeciem virtutum ſanctificantium, tum ergaDeum, tum ergaMagiſtratum, tum innocentiæ, juſtitiæ, pudicitiæ, æquitatis deni-

que & concordiæ affectarint, edocuit dudum B. BALTH. BEBELIUS *in diſſert. de mediis Arianiſmi.* Hinc videre eſt, quantum tribuendum ſit G. ARNOLDO, qui inter laudes Arianorum Pietatem quoque extollit, vid. Ketzer- und Kirchen-Hiſtorie T. 1. L. IV. c. IIX. §. 20.

Obſervatio CXCIII.

D. DAN. GUILIELMI TRILLERI,

Medici Martisburgenſis,

exhibens

Novam LOLLI, Franconiæ Deaſtri,

explicationem.

Vidi nuperrime in Miſcell. Lipſ. Tomo III. effigiem LOLLI, Franconiæ deaſtri: legique Cl. Explicatoris de ea ſententiam. Veſſem autem vel ipſam haberemus ſtatuam, vel accuratiorem ejusdem deſcriptionem; nam forte auctor Chronici

nici illius MSti, ex cujus adumbratione depictum eſt illud idolum, id ipſum etiam non vidit, ſed ſcripſit tantum, quæ audivit. Interim accipiam tamen prout a CL. viro depicta fuit atque deſcripta illa deaſtri ſtatua. Per αὐθαίρεσιν ille illam exponit: mihi vero alia eſt mens, jam breviſſimis, ſine illius ſugillatione, patefacienda. Nam in ejusmodi reconditis, immo incertis rebus vere tot eſſe poſſunt, quin etiam ſolent ſententiæ, quot capita, quod, ut unum proferam exemplum, videre eſt in Ἔρωτι Tollii κοιμωμένῳ.

LOLLUS ignotum ſane in gentilium Theologia eſt nomen; nec ſcio ſatis an TH. AYTAPKEIA ſtatuam dicarit antiqua ſuperſtitioſa plebs: interea eſto! ego quantum ex deſcriptione, a Cl. Commentatore ſuppeditata, colligere poſſum, APOLLINIS potius, & quidem ULII ſignum mihi videre videor. Quod *in Antiquitatis Medicæ honorem*, ulterius explicabo.

Adoleſcentem nobis PRIMO illa repræſentat ſtatua. Notum eſt ex mythologicis, APOLLINEM ita depingi: hinc

ἀγλα-

ἀγλαόμορφον Græci eum vocant poëtæ, *Latini pulcrum*; ipſe ſuum *iuuenile Caput* laudat apud Ovidium Met. I. adde Anacreont. od. XXIX. & hoc eſt, quod Luciano ridendi dedit materiam, *imberbem* nempe *iuuenem* filium habere βαθυπώγωνα καὶ εὐγένειον *bene barbatum*, ſcil. *Aeſculapium*, in joue Tragoedo. Quid autem per illam APOLLINIS aliorumque deorum indicetur *juventutem*, id alibi a me fuit indigitatum, ab aliis uberius explicatum. SECUNDO *aurea* noſtro ſingo adſcribitur *Caeſaries*: hæc nulli deorum tam propria eſt, quam eidem APOLLINI; χρυσοκόμας enim, item χρυσοχαίτας vocatur Pindaro aliisque Græcis poëtis, *Flauus* eandem ob cauſam latinis.

Lingua exerta & duobus ſummis digitis dextræ adprehenſa, quam TERTIO in noſtro deo contemplamus, *morbum* mihi videtur indicare & eloqui, pro quo depellendo, aut jam depulſo, APOLLINI VLIO illa erecta fuit ſtatua; qualem forte deſcribit Ovidius, ubi de peſte agit Met. lib. VII.

Aſpera lingua tumet: tepidisque arentia venis

Ora patent: auræque graves captantur hiatu.

Item Lucretius lib. VI. ubi de Athenienſi peſte:

Atque animi interpres manabat lingua cruore,
Debilitata malis, motu gravis, aſpera tactu.

Paſſim quoque conferri poteſt Hippocrates & alii medici antiqui. Præterea non Harpocrates ſolum, ſed alii quoque dii *impoſitis ori digitis* conſpiciuntur, quod *illuſt.* CUPERI probat Harpocrates, inprimis quum omnes dii ad unum reflectant, nempe APOLLINEM, ſive *ſolem*, pro maximo deo ubivis ſemper habitum, quod poſt Macrobium idem illuſtris vir abunde oſtendit loco citato.

Poculum vini ſpicis triticeis immiſtis porrigit QUARTO ſiniſtra idoli noſtri manus. Poculum hoc eſt *medicatum* morbo illi modo dicto adverſum, & liquore ſalubri oppletum. Simillimum poculum Mercurius tradit Uliſſi contra veneficia Circæa, de quibus nos alibi ex inſtituto egimus, ut ex Gorlaci gemma ectypum dedit BEGERUS in Vliſſe Sirenas prætervecto p. 23.

Tri-

Triticeæ ſpicae immiſtæ (quis autem eas adcurate determinat!) *herbæ ſunt ſalutares* APOLLINI *ſacræ:* Notum in hanc rem ipſius APOLLINIS de ſe elogium apud Naſonem Met. I.

Inventum Medicina meum eſt, opiferque per Orbem
Dicor; & herbarum eſt ſubjecta potentia nobis.

Superſunt QUINTO, *papaveris capita collo appenſa,* quæ *effectum* indicare videntur poculi illius medicati modo dicti; nempe dolores feliciter fuiſſe *conſopitos*: Papaveri enim vim ineſſe anodynam & narcoticam norunt medicorum filii, legi quoque varia loca ex auctoribus collecta poſſunt apud TOLLIUM in dormiente amore. Ceterum papavere non Cererem ſolum aut Venerem, ſed & ipſum APOLLINEM ſ. MITHRAM, ut STATIO vocatur, CLAUDIANO, MACROBIO, TERTULLIANO aliisq; ornari didicit ex Smetio idem Tollius, noſque ex eo, quibus adde, quæ CUPERUS habet ſupra laudatus. Conſpicitur ergo, ut breviter omnia complectar, in hac noſtra ſtatua, *morbus* in

M 2 lingua,

lingua, *morbi remedium* in poculo, & *remedii effectus* in papavere. Jam de nomine LOLLUS quædam reſtant. Hoc quum nihil plane ſignificet, corruptum eſſe videtur cum ex APOLLO, tum VLIVS, utrumque enim *ſoni vicinitate*, anſam dare potuit errori. De poſteriore nil dico, nam per ſe patet convenientia inter LOLLUS & ULIUS. Pro APOLLO autem vulgus corrupte videtur dixiſſe APOLLUS, abſumta poſt vel per *ætatem*, vel per ipſam *linguæ* inter loquendum *volubilitatem* ſyllaba AP. hinc OLLUS. Si enim tempus rerum eſt edax, quidni verborum etiam, & quod minus adhuc, ſyllabarum? quod antiqui lapides hinc inde exeſi ſatis teſtantur, quales in Marmoribus Oxonienſibus & alibi viſuntur. In Nominum autem ſic dictorum propriorum terminationes ejusmodi corruptiones aut mutationes cadere, doctis eſt notum: Sic pro *Beelzebub* pronunciatum fuit nonnunquam *Beelzebul*, pro *Abacuc*, *Abacum*, pro *Sennacherib*, *Sennecharim*, pro *Joſeph*, *Joſes*, pro *Belial*, *Beliar*, ut alia multa taceam; Sic & ipſum nomen Ἀπόλλων, una littera auctum

nempe

nempe Ἀπολλύων legitur Apoc IX: de quibus omnibus conferri poteſt GROTIUS, illud orbis miraculum, Comment. ad Cap. Matth. X. item Append. ad Comment. de Antichriſto p. m. 68. De Cognomento vero VLIUS locus elegans eſt STRABONIS Geogr. L. XIV. p. m. 733. Οὔλιον Ἀπόλλωνα καλοῦσι τινὰ καὶ Μιλήσιοι, καὶ Δήλιοι, οἷον ὑγιαστικὸν καὶ παιωνικόν. Τὸ γὰρ οὔλειν, ὑγιαίνειν. ἀφ' οὗ καὶ τὸ οὐλὴ καὶ Οὖλέ τε μέγα χαῖρε (quod ex *Homero* eſt odyſſ. Ω 401.) his adde maxime quæ habet *Macrobius*, Lib. I. Sat. c. XVII. p. m. 192.

Hoc autem idolum, in *Franconia forte cultum, quando ſit deletum*, meum jam non eſt definire: Propero potius ad finem, qui incertis conjecturis, qualis forſan & ipſa hæc mea eſt, minime delector.

Obſervatio CXCIV.
JAC. FOERTSCHII,
Scholæ Haynenſis ConR.
De
JOHANNE ZECHEN-DORFFIO,
Rectore Cygneo.

Si boni cujusque judicio pium eſt, ut colatur etiam poſt mortem eorum memoria, quorum egregia in rem literariam merita extitiſſe novimus: dubito, an opera mea ingrata ſit futura, ſi quædam de JOHANNE ZECHENDORFFIO, de literato orbe optime merito, commemoravero. Quicquid officii a me præſtabitur, id & eruditis debeo, & Cygneæ ſtudiorum meorum magiſtræ, ubi olim ZECHENDORFFIUS *Rectoris munus* cum laude adminiſtravit. Breviter ejus vitam enarrabo, non hiſtoriam ſcribam, quaſi re bene geſta gloriaturus, ſi tantummodo ſummas res attigero, ut, quoad ejus fieri poteſt, oblivioni & inopiæ medear. Nam & ejus me-

memoriam, qui tanto ornamento ac præſidio fuit literis, ab oblivione vel levi opera vindicare, & lectoribus, qui eum forte non ſatis norunt, tam celebris viri vitam exponere pium æque ac humanum eſſe arbitror.

Multis quidem notus fuit ZECHENDORFFIUS, nec deſunt laudes, quibus a clariſſimis viris publice fuit ornatus, ex quibus *Dilherrum*, *Hottingerum*, *Dietricum*, Profeſſorem Marpurgenſem, *Rivinum* & *Baldovium* Lipſienſes nominabo: Sed quantum memini, neminem invenio, qui illius vitam ſeparatim expoſuerit. Igitur nos, ſed brevitatis ſtudioſi, totam vitæ rationem a prima origine repetemus, & quicquid de eo collegimus, publicæ uſuræ conſecrabimus.

Natus eſt JOHANNES ZECHENDORFFIUS *d. 8. Aug. Anno 1580. Loeſnicii*, quod eſt ignobile oppidum Miſniæ, ſed illuſtratum ortu tanti viri, quem virtus & eruditio literato orbi illuſtrem ſtiterant. Patrem habuit *Michaëlem Zechendorffium*, qui *Loeſnicii* ludum moderatus eſt, deinde Schnebergam vocatus munia obiit

Scholaſtica, tandem in eodem oppido Archi-Diaconi, quem vocant, munus ſuſtinuit: Matrem autem *Annam Hannaueriam* Præfecti rei metallicæ & Conſulis Schvvarzenbergenſis filiam. Pater ſumma ope niſus fuit, ut filium, cujus bona indoles non latebat, bene inſtitueret, dum non ignorabat omnem hujus vitæ felicitatem a prudenti inſtitutione pendere: Ipſe ZECHENDORFFIUS puer naturalem ingenii bonitatem patrisque curam ſtudio atque induſtria adjuvabat, literarumque ſuavitate pellectus indies in eis proficiebat, ut vel puer quinquennis latinas noſſet literas.

Quum annum undevigeſimum ageret, ad patruum ſuum ſe contulit, qui domicilium ſibi conſtituerat *Pallerſtadii*, quod ad Hercyniam ſilvam ſitum eſt. Hic prout ipſe amabat literas, Bibliothecam ab optimis libris inſtructam habebat, quibus ZECHENDORFFIUS juſſu patrui utebatur, ut hoc modo privata opera utiles doctrinas perciperet. Abhinc diſceſſit *Aſcherslebam*, ubi integrum annum diſcendo exegit. Scholæ Aſchersleben ſi valedicens *Brunſvigam*, profectus eſt, accitus fama NI-

CE-

CEPHORI, qui eo tempore *inſignis Logicæ doctor* fuit habitus. Non diu hic moratus eſt, & Muſis Brunſvicenſibus relictis, *Islebiam* abiit, vt ibi Græcam linguam, cujus elegantiam adamabat, via facili perdiſceret. Noli, honoratiſſime lector, inconſtantem & vagum hominem judicare ZECHENDORFFIUM, qui ſubinde locum mutaverit ac tot Scholas frequentaverit. Nam id veniæ dandum eſt mori iſtius ſeculi, quod ſibi non ſatis venuſtum ac politũ videbatur, niſi Muſas ſparſim habitantes ſalutare licuiſſet.

Sed nec Islebiæ diu vivere ipſi placebat, propterea quod ratio tradendi Græcas literas admodum longa ac tarda videbatur. Nam fervebat ejus ingenium, & ardore diſcendi extimulatum oderat, quicquid remoram ſibi injicere viſum erat. Itaque ad patruum revertit, a quo diſcendi cauſa *Servestam* miſſus fuit, mirum in modum curæ GEORGII BERSMANNI commendatus, qui tum Gymnaſium regebat, & quem multo elegantiſſimum Poëtam illa ætas tulerat. Interim *pater Zechendorffius* metuens, ne Reformatorum doctrina clanculum imbueretur filius, il-

lum

lum domum revocabat, formandumque tradebat JOHANNI FOERSTERO, *Scholæ Schnebergenſis Rectori*, quem poſtea *Vitemberga* accerſivit. Quo Præceptore fundamenta Hebraicæ, Chaldaicæ ac Syriacæ lingvæ feliciter jecit, Græcorumque ſermone eruditus eſt, pulcrum quoque exiſtimans, ſi cum linguarum ſtudio Logicam & Aſtronomiam conjungeret.

Quum jam maturus ſatisque idoneus eſſet viſus, cui ſublimiores doctrinæ explicarentur, Anno 1604. *Lipſiam*, tanquam ad mercaturam bonarum artium, proficiſci juſſus eſt, ibique *ſtudium Medicum*, quod a puero amaverat, tractare coepit. Sed deinde factum eſt, ut patris conſilio, cui obſiſtere noluerat, ſanctæ *Theologiæ tempus operamque daret*. Adhæc Philoſophiæ cultur erat induſtrius, nec fruſtra. Nam illa, quæ quos amatores habet, amplis ornat honorib9, ZECHENDORFFIUM noſtrũ in numerum Doctorum ſuorum retulit.

Exacto *quinquennio in Academia Lipſienſi*, ubi ob curtam ſupellectilem victum inſtituendo pueros quæſiverat, *a Senatu Schnebergenſi* vocatus fuit, ut *ConRectoris* munere

nere fungeretur. Quumque eam ſpartam, quam nactus erat, egregie ornaret, ac nihil prætermitteret, quod ad rem ſcholaſticam juvandam pertinebat: idem *Senatus Schnebergenſis* poſt annum quartum *in Rectoris locum*, qui tum vacabat, illum ſuffecit. Cujus opera quum magni æſtimaretur, & ipſe magnam gloriam conſecutus eſſet: fauſto omine factum eſt, ut ſuffragio P. C. *civitatis Cygneæ Rector Gymnaſii* deſignaretur, quod quidem munus ultro ac præter ſpem ſibi oblatum lubentiſſime ſuſcepit.

Docuit autem in Gymnaſio Cygneo *quatuor & quadraginta annos*, eamque ſui famam habuit, ut non ex vicinis tantum locis, ſed ex remotioribus etiam terris confluerent diſcipuli, cum ejus audiendi cupiditate flagrarent. Accedit etiam, quod magis eruditionis famam aperit. Multi enim, qui jam Doctorum præcepta in Academiis perceperant, ad eum ſe conferebant, ut ab illius ore penderent. Profecto complures ſua doctrina inſtituit, & ita inſtituit, ut Eccleſiæ & Reipublicæ inſignem operam præſtiterint. Fuit enim in ZECHEN-

DORF-

DORFFIO præter candorem & eruditam induſtriam admirabilis quædam facultas ea perſpicue tradendi, quibus juvenilis ætas impertiri debet.

Sed non tantum ſuis, verum etiam aliis prodeſſe voluit. Nam multos libros conſcripſit, non quidem auræ frivolæ captandæ ſtudio, aut intempeſtivo ſcribendi pruritu abreptus, ſed amore erga bonas literas, ſed inſerviendi voluntate, ſed aliorum rogatu ſuaviter compulſus. Publice typis exſcribi juſſit: *Præcognita Latinæ linguæ; Gymnaſium Latinæ linguæ; Græcæ linguæ Tabulas; Circulos ad Hebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæ, Perſicæ, & Turcicæ linguæ Conjugationes & Declinationes facile addiſcendas; Fabulas Mahummedis carmine refutatas.* Elaboravit alia, quæ quidem publicam lucem non aſpexerunt, & ejus manu ſcripta *in Bibliotheca Cygnea*, quæ multotum eorumque optimorum librorum copia abundat, adhuc aſſervantur, ut: *Lexicon Latinum; Arabicum; Perſicum; Hebraicum; Refutationem Alcorani; Latinam Verſionem Alcorani*, & alia.

Hoc

Hoc loco libet interponere, quia ſejunctum a re propoſita non eſt, quam honorifice de Alcorani Verſione JOH. HENR. HOTTINGERUS ſenſerit in litteris, quas ad ZECHENDORFFIUM d. 25. Julii Anno 1651. dederat: *Vir Excellentiſſime*, ſcribit, *ſpecimina Verſionis tuæ in admirationem me plane rapuerunt. Neque enim putaſſem ab homine Germano, Arabum Commentariis deſtituto, ea ſperari poſſe, quæ tu præſtitiſti. Et ſane, ſi cætera, ut non dubito, pari felicitate ſucceſſerint, magnum operæ pretium feciſti. Vellem tamen, ſi publici juris fieri deberent, nonnulla monere, quæ lubens nunc tranſeo.*

Ex his autem, quæ hucusque commemorata ſunt, facile eſt intellectu, ZECHENDORFFIUM lingvarum orientalium fuiſſe peritiſſimum, quarum *ſeptem* perdidicit, *Hebraicam, Chaldaicam, Syriacam, Arabicam, Perſicam, Æthiopicam, & Turcicam.* Harum cognitionem partim FOERSTERO, cujus mentio ſupra facta eſt, partim privato ſtudio debuit. Nam cupidiſſimus harum literarum fuit, & tantum in eis progreſſum fecit, ut non facile reperire poſſis

de

de Orientis rebus, quod ei fuerit incognitum. Quod quum viri docti intelligerent, magni ejus ſcientia æſtimata eſt, multique cum illo conflarunt amicitiam. Cujus rei teſtes ſunt literæ ad ZECHENDORFFIUM ſcriptæ, quarum non exigua copia in *Bibliotheca Cygnea* olim latuit, nec dubito, quin multæ adhuc lateant, meo quidem judicio dignæ, quæ collectæ in lucem publicam prodeant. Non enim tantum, qui eo tempore clariſſimi viri in finitimis Academiis Lipſienſi, Vitembergenſi & Jenenſi egerunt vitam, cum eo literis collocuti ſunt, ſed etiam quos remoti & peregrini loci habuere, id eſt, qui Norimbergæ, Altorffii, Rotenburgi ad Tubarim, Tubingæ, Argentorati, Heidelbergæ, Marpurgi, Francofurti, Tiguri, Roſtochii, Dantiſci, Lugduni, & alibi eruditionis laudibus floruere.

Quanti factus fuerit a celeberrimis Viris, teſtantur etiam carmina, quæ illi ad mortem ejus deplorandam miſere. Nominabo Tibi, Lector honoratiſſime, ex multis GEIERUM, RAPPOLTUM, SCHERZERUM, THOMASIUM, FELLERUM, REINESIUM,

NESIUM, DILHERRUM, GEORGIUM MATTHIAM KOENIGIUM, Viros magni nominis, alios omitto. Niſi ingratum eſt, teſtimonii loco duo carmina afferam, ex quibus apparebit, quantus vir ZECHENDORFFEIUS fuerit. Primum eſt SCHERZERI, qui ſubſcribens vocat eum *incomparabilem linguarum cultorem, quem exteri quoque admirati ſunt*. En ipſos verſus:

Quos Chaldæa ſonat, quos Syrus, Hebræus, Arabsque,
Quosque ſonos profert Argolis & Latium,
Perbene tu cunctos, Zechedorffi clare, tenebas,
Fulgida Olorini gemmula Palladii.
Ingratus ſed non tot linguas æſtimat orbis,
Et tecum triſti funere contumulat.
O coecas hominum mentes! ingrataque ſecla!
Me dolor heu juſtus ſcribere plura vetat.

Alterum eſt KOENIGII *Prof. Altorffini*, quod ſequitur:

Zechendorffiaden rapuit truculentia mortis,
Quo vix hoc ævo doctior alter erat.

Quicquid enim Hebræus, Chaldæus,
Arabsque Syrusque
Calluit, incluſit pectore id omne ſuo.
Hinc paſſim luctus ſurgit. Germania noſtra
Morte viri tanti plena dolore ſtupet.
Et merito, ſiquidem jam, Zechendorffio
ademto,
Toltus amiſſæ ſunt orientis opes.

Bis matrimonium ZECHENDORFFIUS iniit, ſed utrumque ſterile, quaſi fata invidiſſent doctorum ſocietati filium, qui tanto natus patre non minor futurus fuiſſet. Neque vero ſtirps ipſi defuit, Namque ex ſe natos reliquit multos filios, in ſchola ſua formatos, qui non modo ipſi ſuperſtites, ſed etiam *Zechendorffianæ virtutis* æmuli fuerunt.

Tandem quod ad iſtius vitam attinet, pius fuit in DEum, blandus erga ſuos, omnibus benevolus & affabilis, cum Collegis amiciſſime vixit, diſſidia rixasque, Diaboli ſemina, cane pejus & angue fugitans. Atque ſic ſe gerendo minime eſt mirandum, ſi & vita ejus fuit omnibus optata, & mors acerba.

Beate ex hac vita diſceſſit *d. 17. Febr.*
An-

Anno 1662. quum *unum & octoginta annos*, & quod excurrit, vixiſſet, cui uxor vidua monumentum poſuit, quum ipſe *ſibi vivus* Epitaphium conſcripſiſſet, quod hic leges:

Quas novi linguas, per eas Triadem ipſe ſacratam
Cognovi, atque unum per ſacra verba DEum.
Sic certus vidi, mundi ſalvator IESU,
Quod verus DEus es, verus homoque, fide.
Et novi, ſcripſi, docuique fideliter ipſas
Solius in laudem nominis, Alme, tui,
Sed mundus ſprevit, nec quisquam grati rependit,
Ad ſuperos igitur me, pie Chriſte, vocas.

ZECHENDORFFIO ſucceſſit DAUMIUS, *illuſtre nomen eruditorum*, Daumio MULLERUS, Mullero Portam vocato WINTERUS, Wintero VINHOLDUS, olim Præceptor noſter fideliſſimus ſvaviſſimusque, jam Fautor honoratiſſimus, cui omnia officia aut potius me ipſum debeo, quem DEus *in Gymnaſii Cygnei* decus ac emolumentum vel Neſtoreos annos ſuperſtitem eſſe jubeat!

Obſervatio CXCV.

M. HENR. GOTTLIEB REIME,

Facult. Philoſ. Jenenſis Adjuncti,

de

Praedeſtinatione, occaſione loci Exod. XXXIII. 19. exſtantis, coll. Rom. IX. 15.

SUMMA MELETEMATIS:

§. I. *Explicatur* vox prædeſtinatio. §. II. *Formatur ſtatus controverſiæ & inſtituti ratio exponitur.* §. III. *Theologorum circa præſentem locum labor indicatur.* §. IV. *Contextus conſulendi initium fit.* §. V. *Peccantes notantur.* §. VI. *Coryphæorum poena deſcribitur.* §. VII. *Poena cæterorum, de quorum poenitentia res erat deſperata, ſiſtitur.* §. VIII. DEI *adhuc æſtuans ira deſcribitur.* §. IX. *Reſidui populi poenitentia obſervatur, ejusque effectus.* §. X. *Tranſitus*

fit

fit ad thema de prædeſtinatione. §. XI. B. Franzii quædam obſervatio modeſte refellitur. §. XII. Noua Franzii obſervatio rectius explicanda proponitur. §. XIII. Noſtra mens aperitur. §. XIV. Vindicantur expoſitiones particulæ (ר.) *a nobis ſuppeditatæ. §. XV. Corroboratur noſtra ſententia* (*1.*) *ex interprete Danzii. §. XVI. Stabilitur* (2.) *ex Biblicis exemplis parallelis. Et* (3.) *§. XVII. determinatur, quando ſignificationis noſtræ modificatio debeat obtinere, confirmaturque exemplis ſacris. §. XVIII. aſſeritur* (4.) *ex ipſarum vocum* ארחם *atque* אחין *parallelis exemplis. §. XIX. Contextus* (5.) *cohæſio pro noſtra urgetur ſententia. §. XX. Nouum idque* (6.) *ex indole conjugationis Piel argumentum deſumitur & illuſtratur exemplis. §. XXI. Ex effectu argumentum* (7.) *deſumitur & confirmatur. §. XXII. Objectio ex loc. ep. ad Rom. formata confutatur, & finis imponitur meletemati.*

§. 1.

Prædeſtinatio eſt, uti de eo inter omnes convenit, *æternum & immutabile DEI decretum, de futuro hominum ſtatu æterno*: Græcè dicitur hic actus προορισμὸς, ex *Eph. I. 5. Rom. VIII. 29. 30.* ἀπὸ προορίζειν, *prævidere, præviſa determinare*. Theologi noſtri, ſpeciatim B. BAIERUS ex celeb. MUSÆI *diſſ. Inaug. de æterno prædeſtinationis decreto* cap. I. §. VIII. obſervat, eam de hominibus uſurpatam nunquam in malam partem accipi, vid. hujus *Theol. Poſit. Part. III. cap. XI. not. c.* Quod contra Reformatos Theologos urgent, v. gr. CHAMIERUM, *Tom. III. opp. p. 102.* Speciatim id nunc MARCO FRID. WENDELINO oppono, qui ad manus eſt, ejusque *Theologia Chriſtiana L. I. c. III. Th. VII.* Coincidunt ergo facile vox *prædeſtinationis & electionis*.

§. 2.

Quæritur hic: quidnam DEum moverit, vel (noſtro loquendi & concipiendi modo) impulerit, ut decreverit aliquos ex hominibus vita æterna donare, aliquos vero reprobare? Eccleſiæ Reformatæ Theologi, ſpecie tenus WENDELINUS l. c. th. XII. reſpondet; *DEum nulla alia re ad æternam vitam aliquibus decernendam,* (aliis denegandam,) *permotum fuiſſe, niſi benevola voluntatis ſuæ affectu, ſeu beneplacito ſuo.* Noſtrates autem v. c. BAIERUS comp. Theolog. §. V. ſqq. ſtatuunt, DEUM

ab

ab æterno voluiſſe, ut omnes crederent, & ad agnitionem veritatis pervenirent, 1. Tim. II. 4. eumque in finem Mediatorem ipſis conſtituiſſe filium ſuum unigenitum; ita, ut intuitu fidei in eundem homines ſalvaret, ea vero deficiente damnaret. Quod ipſum vi præſcientiæ ſuæ ab æterno jamjam ſciverit, atque ſic ordinaverit, ſeu prædeſtinaverit. Eph. I. 3. 4. DEUS nos elegit in Chriſto ante jacta fundamenta mundi. Quemadmodum etiam fide ſalvari dicimur, Rom. III. 24. 25. & alibi. Nos controverſiæ iſti Theologicæ non inhæremus, nec Noſtratium Theoſophorum partes tueri pluribus animus eſt, neque noſtro indigent illi, quod probe novimus, auxilio. Placet tamen, unicum ſaltem Reformatorum diſcutere, & quid iis inſit roboris, philologice examinare. Frequentiſſime illud uſurpant ex locis Exodi, & epiſt. ad Rom. ſupra a nobis in acie collocatis, & duriſſime, ut primo videtur intuitu, ſonantibus: *cui gratioſus eſſe volo, ei gratioſus ſum, & cujus miſereri volo, ejus miſereor.* Wem ich gnädig bin/ dem bin ich gnädig/ und weſſen ich mich erbarme/ deſſen erbarme ich mich/ ut Megalandri noſtri, B. LUTHERI, verbis etiam hoc dictum efferamus. Quibus ex verbis *abſolutum prædeſtinationis decretum* luculenter & facili negotio demonſtrari poſſe perſuaſum ſibi habet pars nobis adverſa,

ſa, ſi imprimis contulerint v. gr. Rom. IX. 16. *electio non eſt ejus, qui vult, neque ejus, qui currit, ſed DEI miſerentis, it. v. 18. Cujus vult miſeretur, quem autem vult indurat, &c.*

§. III.

Noſtri profecto Theologi nullum non ſemper moverunt lapidem, quo pronunciata iſta, duriſſima ſemper viſa, emollirent, ſed ne in hæc quoque eorum conamina nunc prolixius inquirere lubet. Liceat mihi modo ea nonnihil ponderare, quæ Rever. Theologus, D. WOLFGANG. FRANZIUS in ſuo *de interpretatione Scripturæ S.* vere aureo tractatu *orac.* XXIX, & XXXI. circa hæc loca partim ex contextu, partim ex phraſium ſtructura, quæ unica fere, primaria ſaltem & genuina ἑρμηνείας veræ regula eſt & norma, ut ſolet, ſollicite obſervavit.

§. IV.

Univerſus ſcilicet contextus inde a Cap. XXXII. & deinceps ſic fluit. Moſe, magno Vate, poſt factam Decalogi promulgationem, 40. dies noctesque in monte Sinai cum DEO converſante, populus Iſraeliticus, Aarone, Moſis fratre, Duce, vitulum conflat aureum, & in idololatriam peſſimam prolabitur. Probe tamen D. FRANZIUS l. c. p. m. 451. obſervat, inſontem ab hoc crimine manſiſſe non exiguam populi partem, ſpeciatim ex v. 26. ubi omnes Levitæ, ceu impunes deſcribuntur:

Ve-

Vnde & D. PAULUS, magnus ille gentium Apoſtolus, 1. Cor X. 7. *tantum de quibusdam* (τινὲς αὐτῶν inquit) loquitur, qui facti erant idololatræ. Id quod ſimilibus ex ſcripturaS. deſumtis exemplis illuſtrat prolixe. Vt adeo, quando univerſus populus in idololatriam dicitur prolapſus, *de maxima ejus parte* ſit accipiendum.

§. V.

Porro inter ipſos idololatras optimo ſane jure magnum ponit diſcrimen. Quidam dicuntur *induxiſſe* peccatum illud magnum ſuper populum, tanquam autores, uti Aaron Exod. XXXII. 21. & cæteri qui notantur v. 22.

§. VI.

Vnde & pœnæ a DEO infliguntur peccantibus diverſimode. Primum ſcil. DEVS idololatras omnes temporali & æterna morte necandos conſtituerat, in quibus hactenus nulla peccati nefandi agnitio, nulla ob ejusmodi grande facinus commiſſum contritio. Ita ut ſolumMoſen cum piis reſiduis ex Exod. XXXII. v. 10. coll. XXXIII. 7. in populum ſuum deinceps adoptandos promittat divinum Numen. Sed flagrantem hanc & æſtuantem DEI iram inhibere poterant & infringere ardentiſſimæ Moſis preces, pro idololatris fuſæ. Anteſignanos tamen & obduratæ frontis homines Vates ille non ſine DEI mandato *per trudentes Levitas* gladio interimit, quos, pœni-

tentiæ nulla deprehendens ſigna, æterna quoque morte affectos crederem. Idque eo magis, cum DEus hactenus nondum placatus eſſet, qui a Moſe, moleſtiarum patiente viro, tempore demum inſequente, uti ex v. 30. conſtat, commovebatur, & ad miſericordiam flectebatur, facilius poſtea expiandus, quam juſtitiæ divinæ nece coryphæorum peſſimorum erat quodammodo ſatisfactum.

§. VII.

Hiſce ita geſtis, D. Moſes pro populo, graviſſimo idololatriæ peccato onuſto, intercedit apud DEum cap. cit. v. 31. ſeqq. precibus intenſiſſimis, cui ex coll. v. 34. 35. aliquam in temporalibus benedictionem ; expiationem vero peccatorum nondum impetrat. Reim. Iſraelitæ ipſi poenitentiæ & fidei ſigna hactenus nulla ediderant. Unde &, non obſtantibus Moſis precibus flagrantiſſimis, plaga populo infligitur magna. Peſtem fuiſſe, B. FRANZIO facile conceſſerim. Qua e medio tollebantur ei, qui poſt Coryphæos, jamjam morte correptos, primum in malitia iſta peragenda locum obtinuerant.

§. VIII.

Sed ne ſic quidem juſtus DEI furor in reliquos peccatores ſedatur. Quare temporalem quidem promiſſionem cap. XXXIII. in fronte ſtatim repetit, ſuam tamen populo, in peccato

cato iſto oberranti, & adhuc perſeveranti, præſentiam in nube gratioſam denegat, populo ipſo verba illa auſcultante.

§. IX.

Sed his ipſis & ante geſtis eos ad pœnitentiam, uti hactenus invitarat, ita actu nunc excitat, & ſcopum ſibi præfixum apud multitudinem reſiduam denuo conſequitur. Populus non fucata pœnitentiæ ſuæ ſigna edit Exod. XXXIII. 4. Adauget eandem DEUS ſevera per Moſen nomine DEI ad populum habita oratione, populoq; jam pœnitente, aliaqua iterum divinæ præſentiæ ſigna gratioſa apparent, nubes ſcilicet, extra minimum caſtra, ubi nunc tabernaculum erat collocatum, per intervalla comparens. Cumque populus continua pœnitentiæ ſuæ ſigna v. 10. celare nec poſſet nec vellet, atque Moſes majori nunc fiducia apud DEum pro eodem intercedere auderet, v. 12. DEus ſervo huic fideli non tantum gratioſam ſuam in populo præſentiam perpetuam promittit, ſed & gloriam divinam & majeſtaticam videre cupienti, concedit, quantum quidem id fieri poterat. Rationem hujus rei hanc reddit: *Nam gratioſus ſum, cui gratioſus ſum, & miſereor, cujus miſereor.*

§. X.

Hæc penſitanti non puto facile in mentem veniet, fundari hic doctrinam *de abſoluto DEI* *decre-*

decreto, ſine reſpectu habito ad præviam pœnitentiam, fidem, precesque credulas & ardentes. Longe aliud hæc hiſtoria univerſa ſuadet, quam quod Noſtrates Theologi ſatis enucleàrint, lubens mihi perſuadeo. Structuram vero & indolem phraſeologias a nemine unquam penitus fuiſſe enodatam, itidem compertum habeo.

§. XI.

B. FRANZIUS. l. c. p. m. 470. rationem reddere vult, quare DEus in futuro loquatur; *miſerebor, commiſerebor, gratioſus ero!* Quoniam ſcilicet denuo Moſes ad DEum in montem conſcendere, & pro populo intercedere debuerit. Factum id eſſe *cap. ſeq. XXXIV.* ſine ullo hujus rei luculento veſtigio ſibi perſuadet. Unde mihi liceat, ſed pace tanti Viri, aliud ſentire, & obſervare, quod DEus non de futura miſericordia, Iſraëlitis in poſterum denuo præſtanda, hiſce verbis ſermonem faciat, ſed quod hic *futurum vim præſentis gemina vice habeat.* Quam eidem dudum recte tribuit Rev. DANZIUS in *interpretis*, a ſe conſcripti §. 72. 73. (minor. edit. 53.) Namque hæc verba non tantum loquuntur de gratia Iſraëlitis impertienda, ſed & Moſi ipſi, cui non infenſus fuerat unquam DEus, præſtanda. Porro populo etiam nunc amplius non erat offenſus, quin potius ira ejus, plebis pœnitentia & in

DEI

DEI miſericordiam fiducia, precibusque Moſis & populi ipſius jam erat ſedata. Alias perpetuam ſuam gratioſam præſentiam Moſi & populo non promiſiſſet, neque vi juſtitiæ ſuæ promittere potuiſſet, quod tamen v. 13. ſqq. jam erat factum. Deinceps exinde etiam id conſtat, quod ſine interuentu ullius ulterioris increpationis aut ſeveræ objurgationis, precum quoque amplius ad Numen fuſarum, novas renovati fœderis tabulas & certiſſima reſtitutæ gratiæ ſigna effodere jubetur Moſes, in capite immediate ſubſequente, a principio ſtatim. Fœdus illud renovatum non ſolum, ſed publice quoque promulgatum declarat v. 10. ſqq. Quare etiam DEus novas leges vel fert, vel priſtinas magnam ſaltem partem repetit v. 11. ſqq. & nulla non facit, quæ DEI cum populo reconciliationem loquuntur aperte. Ita, ut jam miſertum fuiſſe DEum populi, amplius, quod confido, dubitandum non ſit. Sed idem illud magis adhuc pateſcet, ſi meam de hoc dicto explanavero mentem, quod mox faciam.

§. XII.

Non adverſor poſtremæ iſti Franzianæ obſervationi, quando tradit, quod hæc verba: *miſerebor, cujus miſerebor &c.* non ſolum de æterna vita, ſeu de prædeſtinatione aliqua ad eandem loquantur, ſed potius *de miſericordia ſimul*

& gratia extraordinaria ac ſuperabundanti, quam præſtare vult DEus illis, qui modo ejusdem capaces ſunt, *etiam in temporalibus.* Huc enim referenda omnino eſt apparitio illa gratioſiſſima & extra ordinem facta, moremque receptum omnem, qua ſe ipſum DEus Moſi, quoad poſteriora minimum, conſpiciendum præbebat. Eo etiam præter acceptationem pœnitentiæ Iſraeliticæ referenda erit reiterata conceſſio columnæ nubis & ignis, tanquam novum & certiſſimum gratiæ divinæ obſignaculum. Omnia ſane ea cum prædeſtinationis abſoluto decreto nil quicquam habent commune, cum temporalia quoque reſpiciant. Sed, ut verum fatear, obſervatio illa neque Spiritus S. aut Moſis mentem ſufficienter exprimit, neque Reformatorum exceptionibus penitus ſatisfacit; Qui ſemper regerere poterunt: Ergo tamen DEus tam æternam ſalutem, quam extraordinariam gratiam & miſericordiam præſtabit, cui volet & lubebit.

§. XIII,

Quibus omnibus atque aliis, ut ſufficienter ac ſolide eatur obviam, non una vice ponderatis, talem deprehendi eſſe verborum á me citatorum ſenſum:

Tum reſpondit DEus, *ego tranſire permittam omnem bonitatem meam coram te, proclamaboque nominatim* τὸ יהוה *coram Te: Nam gratia-*

gratioſus ſum; cui gratioſus eſſe poſſum; & miſereor lubentiſſime, cujus miſereri poſſum. Non pigebit ad hanc mentem germanice eadem expreſſiſſe: Da antwortete (GOTT der Herr;) Jch will zulaſſen/ daß alle meine Herrligkeit für dir vorbeygehe/ und will auch vor dir mit Nahmen ruffen; Weſentlicher GOtt! ꝛc. Denn/ wem ich gnädig seyn kan/ dem bin ich gnädig/ und weſſen ich mich nur erbarmen kan/deſſen erbarme ich mich von Hertzen gerne. Ex quo apparebit, DEum miſericordiam ſuam, eam maxime gratiam, quam ordinariam dicimus, quid? quod, extraordinariam quoque *non praſtare, cui velit, ſed cui modo poſſit.* Wo er nur kan/ will er gerne.

§. XIV.

Nemo erit, quod confido, qui mihi vitio verterit, quod varie reddam particulam, nunc per *tum*, alia vice per *Nam.* Id enim natura hujus particulæ permittit, quod confirmat *interpres Rev.* DANZII §. 139. (mini edit. 149.) *memb. I. n. 5. & m. III. n. 2. lit.* (A.) Contextus vero neceſſario ita poſtulat.

§. XV.

Maximus autem exegeſeos meæ nervus in eo conſtiturus eſſe deprehendetur, quod vocem ‏אחון‏ reddiderim; *gratioſus eſſe poſſum*, vocem ‏ארחם‏; *miſereri poſſum.* Hæc itaque

inter-

interpretatio pluribus a me erit corroboranda. Fundamenta autem eiusdem ſat bene multa mihi ſufficiunt. Ne leve & abjectum videatur ictum provocaſſe ad interpretem Danzianum, §. 96. (dum edit. 68.) in quo obſervat Celeb. Autor; quod *verba, quæ actum videntur exprimere* ſæpe tantum *de facultate, debito* &c. *exponi poſſint*. Hæc enim regula, uti innumeris S. ſcripturæ locis facem accendit lucidam; ita huic noſtro, niſi me omnia fallunt, applicatur pertinentiſſime. Verba hæc, actum, ut videtur, exprimentia, *facultatem* tantum exprimunt. **Wenn GOTT nur gnädig ſeyn kan, und die Menſchen ihn durch Unglauben und beharrliche Sünde nicht wider ſich erwecken und aufbringen, ſondern ſich durch GOttes Rührung reitzen laſſen, ſo iſt er gerne gnädig, und läſt ſeine Barmhertzigkeit gerne groß ſeyn.**

§. XVI.

Nolo, ne prolixus fiam, multis exemplis hancce regulam corroborare, quod ſæpe laudatus autor l. c. fecit abunde, quamque omnia fere ſcripturæ S. capita uno ore comprobant. Sequentia itaque ſaltem afferam in medium. Gen. XXII. 12. Nunc deprehendo, quod Deum timeas, *& non peperceris* i. e. *parcere non volueris*, nec ob ſincerum tuum erga DEum amorem, potueris,

filio

filio Tuo (actu enim, DEI mandato interveniente, parcebat ei,) *unigenito mea cauſa. Exod.* VIII. 14. &c. ויעשׂו כן Et ita *faciebant* i. e. *facere tentabant* incantatores(Ægyptiaci,)ut pediculos producerent, *ſed non poterant. Joſ.* VI. 1. אין יוצא ואין בא, *non erat egrediens & non ingrediens*, i. e. *nemo aut egredi aut ingredi poterat. Pſ.* VIII. 8. Juva me o DEVS trinue! nam *percutis*, (הכית) i. e. *percutere potes* omnium hoſtium meorum maxillas, eisque alapam impingere. Ut plura taceam.

§. XVII.

Speciatim vero hic ſignificatus obtinet, *ſi duo, potiſſimum ejusdem radicis verba, ſive diverſi ſive ejusdem temporis, ita ſe ſubſequantur, ut alterum protbaſin, alterum apodoſin conſtituat: tum modo prius, poſterius modo facultatem ſaltem actionis innuit.* Comprobatum id iterum dabimus exemplis aliquot. v. c. Levit. VIII. 12. Si ſacrificium laudis *offerre velit; offerat* tum pro ſacrificio laudis placentas azymas &c. Gen. XXVIII. 26. *Si invenire potero*, Sodomæ, quinquaginta juſtos intra urbem; tunc *feram* univerſum iſtum locum propter illos. Evolue exempla a Summe Rev. DANZIO producta, & videbis, iisdem meam ſententiam corroborari. v. c. ex Exod. IX. 15. *Nam extendere potuiſſem* manum meam atque percutere &c. Adi Pſ. LI. 18. N[illegible] *non deſiderare poteris* ſa-

crificium; profecto *darem.* Du wirſt nicht Opffer gnug verlangen können/ ich gäbe es/ wo es ſonſt hülffe. It. 2. Sam. XII. 8. ubi ita divinum os per Nathanem Vatem ad Davidem; *Tradidi* Tibi domum domini Tui, item uxores Domini Tui in ſinum Tuum; Tradidi etiam Tibi tribus tam Iſraëliticas, quam Judaicas; & ſi parum Tibi viſum fuiſſet, *adjicere etiam* Tibi *potuiſſem, voluiſſemque* alia atque alia. Reſtaret exemplorum ſylva, ex qua, ſi opus foret, indoles iſta linguæ Ebrææ monſtrari poſſet, & comprobari, quod, in dicta potiſſimum conſtructione, *facultas ſaltem* alicujus *actionis*, & ut ita loquar, *posſibilitas* innuatur, *non vero actio ipſa.* Talis autem conſtructio noſtro in loco adeſſe a quovis deprehenditur. Sed mitto nunc illa, & obſervo porro.

§. XVIII.

Quod ipſum verbum רחם ſub hac modificatione in S. litteris aliquoties exprimi non tantum poſſit, ſed etiam debeat, v. c. Zach. X. 6. Et roborabo domum Judæ, & poſteritatem Joſephi ſalvabo, *nam miſereri potero eorum.* Adeoque erunt, ac ſi non repulerim eos, nam ero DEus eorum, qui exaudiam eos. Sie werden ſo beſchaffen und diſponirt ſeyn/ daß ich mich ihrer werde annehmen können. Daher will ich ſie erhören. Poſteaquam devoti, pœnitentes & ſupplicantes apud me auxi-

auxilium petierint, exaudiam & juvabo eos. Adde Hoſ. I. 6. nam *non amplius miſereri potero tribuum Iſraëliticarum, ideo puniam*, auferam *eos*. It. *cap. II. 4.* etiam filiorum ipſius *miſereri non potero, filii enim ſunt ſcortationibus dediti*. Quia in peccato idololatriæ aliisque ſcientes volentes hærent mordicus, pœnitentiam nullam promittentes, non miſereri eorum amptius potero. &c. Idem obſervatum velim de radice חנן. conſ. v. gr. *Deut. VII. 2.* Percutito eos (populos Cananæos,) penitus exterminato ipſos, ne pangas cum illis fœdus, *nullam gratiam præſtato ipſis*. Du ſolt ihnen keine Gnade erweiſen. Adde *Amos V. 8.* &c. Patet ex his, quod tam radix רחם, quam verbum חנן non ſemel hanc naturam induat.

§. XIX.

Jam vero noſtri textus circumſtantiæ ita comparatæ ſunt, ut eædem explicationem noſtram non ſuadeant tantum, ſed etiam poſtulent, adeoque non parum inde opinioni meæ accedit roboris. Imprimis ſi conſideremus, quod populus Iſraëliticus ita fuerit comparatus, ut nunc gratiam DEI non reſpuerit, atque ſic DEus largiri eis ſuam gratiam potuerit. Accedit, quod niſi noſtra admittatur explicatio, verba non tantum duriſſima ſint, ſed & cum præcedentibus ægre cohæreant. Cum ſecundum noſtram explicationem præcedaneo-

rum in ſe rationem contineant, & ſponte fluant. Pœnitet populum peccati, implorat auxilium divinum, & impetrat. Petit præterea Moſes extraordinariam DEI gratiam & viſionem, cumque non omnino indignum ſe ea geſſerit, impetrat. Cujus itaque *DEus miſereri poteſt, ejus miſeretur*, & quidem libenter, quantum & in quocunque modo gradu poteſt. Si modo gratiam cuidam præſtare poteſt, ut non impediat id homo ſuis peccatis; ejusmodi, inquam, homini *libenter* ſuam impertit benignitatem.

§. XX.

Lubens atque volens hæc ita eum emphaſi expreſſi, quod DEus *libenter* nobis gratioſus ſit, ſi modo, nobis non renitentibus, queat. Ea enim ut ita a me exprimerentur, & major inde etiam lux loco huic affunderetur, poſtulabat natura conjugationis *Piel*, idque eo magis, quia alias idem verbum in *Kal* quoque obvium eſt. Vti enim cognitum tironibus eſt, nullam aliam ob cauſam in Piel inflectitur, quam *ut intenſior miſericordiæ gradus* indigitetur, ex §. *interpretis Danziani* 84. (min. edit. 59.) Quemadmodum ergo radix רחם ſine additamento conjugationis Piel per ſe jam idem eſt, ac *ex intimis viſceribus aliquem amare*; ita quando *in Piel magis adhuc intenditur* ille ſignificatus, nihil aliud

quam

quam pereximium prorſus divinæ miſericordiæ gradum indigitat, quem forte non incommode per latinorum *deperire* exprimeres. Da GOtt von Hertzen und im höchſten Grad liebt/ wo er nur kan/ und von den Menſchen nicht gehindert wird. Non ſecus ac pater lubens miſeretur filii ſui, *deperit illum*. Pſ. CIII. 13. Sicuti mater liberos ſuos amat, Eſ. XLVIII. 15. erga quos non niſi intenſiſſimo fertur affectu. Quæ omnia meam mentem recte ſeſe habere, hactenus declaratam, abunde teſtabuntur.

§. XXI.

Eandem meam ſententiam effectus comprobat, qui non ſolum in populo Iſraëlitico & Moſe, ſed in omnibus hominibus peccatoribus eſt conſpicuus. Si modo eorum vera parari poſſit, & compareat etiam pœnitentia & fides, quo DEO placere poſſunt, eos quam lubentiſſime & benigniſſime complectitur & amplexatur. David, Rex cæteroquin DEO gratiſſimus, in peccatis aliquando atque flagitiis homicidii & adulterii hærebat, & hactenus vel nulla vel exigua admodum pœnitentiæ ſigna ediderat, adeoque non poterat ei non iratus eſſe DEus. Qui per Nathanem Vatem ipſum duriter objurgat, 2. *Sam*. XII. 7. eumque virum mortis faucibus inſidentem recte pronunciat. conf. v. g. 10. 11. 12. Nihilominus, quando ipſe locum re-

linquit divinæ objurgationi, eademque ad agendam pœnitentiam commovetur: *DEUS, quia poteſt, miſeretur ejus.* vid. v. 13. Nebulo iſte, qui una cum Chriſto cruci affigebatur, mundi univerſi Salvatore optimo, ſeſe flagitiis maximis usque ad ultimum vitæ halitum dederat; nihilominus, quando Chriſti cum ipſo morientis paſſionem & mortem in ſe efficaciter operari ſinit, eademque ad pœnitentiam atque fidem commoveri ſe patitur; DEUS ipſum non deſtituit, ſed ſtatim ipſe JEſus eum in gratiam aſſumtum eſſe declarat. Quod hactenus de quibusdam individuis dictum, de integris regionibus aſſeri, & ex hiſtoria Eccleſiaſtica demonſtrari poſſet, quomodo DEUS ſalutis occaſionem ſuppeditarit, earum miſertus, quando modo poterat, h. e. quando earum indoles, ſtatus, & conditio, id ferebant, DEOque remoram non injiciebant. Sed nolo hæc pluribus declarare, quia quilibet nunc meam mentem capiet, ex qua variæ conſequentiæ haud inutiles tam theoreticæ quam polemicæ atque practicæ necti poſſent. Non permittit autem illud inſtituti noſtri ratio.

§. XXII.

Ideo unicam potius iſtam objectionem e medio tollere conſtituimus, quæ formari nobis poterat ex *Rom. IX. 15.* ubi gentium ſanctiſſimus Legatus, Paulus D. ad verba noſtra,

ut

ut videtur, provocans, longe alium in ſenſum ea citat, qui duræ Reformatorum opinioni magis favere videtur, quam noſtræ. Abſolute enim & ſine quadam modificatione, quam nos hactenus evicimus, pronunciare videtur; *non cujuscunque poteſt*, ſed ὃν ἂν ἐλεῶ *cujus miſereor, miſereor, &c.* Sed præterea, quod etiam Græca N. T. verba eandem, quam Ebræa V. T. effata ſæpiſſime admittant ſignificationem, (vid. e. gr. *Matth. II. 4.* ubi Chriſtus naſci *debebat. Marc. II. 2. ut ne divertere poſſent*, qui circa Januam erant, *Job. XI. 57. ut comprehendere poſſent* ipſum, &c.) in verſu ep. ad Rom. citato ſine negotio applicandam: apparet, Paulum eadem pro more & neceſſitate illorum temporum allegaſſe ex LXX. interpretum verſione, ubivis tum recepta, quam exprimit penitus. Quid? quod, ſi rem ipſam ſpectes, increduli ſunt, qui Paulo hanc objectionem ex loco V. T. formabant, quam ipſe vero D. Apoſtolus ſatis diluit. Quod cum ab aliis jam ſit obſervatum, nos hic diutius non morabimur.

Obſervatio CXCVI.

M. HENR. JOANNIS BYTEMEISTERI,

Cellenſis,

ſiſtens

Diſcuſſionem ſententiæ CL. Dn. M. REIME, de Significatione vocis סֶלָה,

cui annexa

genuina dictæ vocis

explicatio.

QVodſi unquam vox aliqua torſit atque in varias ſententias abripuit ſacri Codicis interpretes atque commentatores, adeoque dubiis atque vexatis vocibus fuit annumeranda, certe סלה ejusmodi meretur nomen, ſiquidem exquiſitiſſimæ alioquin eruditionis interpretes GESNERUS, GEIERUS, GLASSIUS, SENNERTUS, aliique complures, in ejusdem ſenſu explicando certi quid pronunciari poſſe dubitarunt, atque, variis variorum illius vocis explicationibus propoſitis, inter voces dubiæ ſigni-

gnificationis eandem retulerunt. * Ipſe, *Thaumaſiander* LUTHERUS, prouti in fontibus occurrit, eam verſioni inſeruit. Singulas vero explicationes hic exponere, neq; ob ſpatii, huic animadverſioni deſtinati, anguſtiam, licet, neque in præſentiarum mei eſt inſtituti, cum recentiorem quandam ſententiam, quæ eſt *Præcl.* M. REIME, *Facult. Philoſ. Jen. Adjuncti*, brevibus ſub examen vocare mihi propoſuerim.

Inſerta eſt hæc ſententia in peculiari obſervatione *Miſcellan. Lipſienſ.* TOM. III. p. 61. qua *invita Minerva vocem* סלה *pro una voce hactenus habitam, nulli radici commode & ſatis pertinenter applicabilem* aſſerit, atque omnes remoturus difficultates, *in iſta abbreviaturam quandam latere ſtatuit.* Hinc ſecundum ipſius mentem ſequentes involvit voces: סלחלי לכוד השם vel סלחלי,

* *VIII variantia gloſſemata recenſet* M. JO. PASCHIUS, *Adj. Witteb. in diſſert. cujus titulus:* Selah philologice enucleatum, *Witteb.* 1685. *quibus nonum addit, dum* nomen DEI *eſſe, demonſtrare ſibi videtur.*

condona mihi, vel nobis DEUS. Multa vero *Vir præclariſſimus* in argumentis ſuis ſupponit, quæ minime concedenda.

Præmiſſa etenim ulteriori explicatione (ut priora argumenta generalia p. *62*, 63. prætereamus) I. ſententiam ſuam pag. 64. ex *ſimili Scripturæ S. precandi more* ſtabilire conatur, Num. XIV, 19. סלח לעון העם הזה, *condona iniquitatem populo huic*: collato Amoſi c. VII, 2. Hæc vero CL. DN. REIME tamdiu tantum, quamdiu ejusdem ſtat hypotheſis, *de abbreviatura* concepta, favet formula: hac vero ſolidis deſtructa rationibus, hocce ſua ſponte cadit argumentum.

II. Alterum *ab accentuatione* petitum, p. 64. nullius quoque eſt valoris, cum ipſi potius contrarietur accentuatio. Quod ſi enim vox כַּלֵּה pro tribus poſita foret vocibus, accentus etiam, ſenſus ſemper habentes rationem, eo deberent reſpicere; poſterius vero non occurrit, ergo & prius, quod loco trium vocum ſit poſita, concidit. Quivis accentuationis Ebrææ peritus perſpicit facile, (ut unicum addam ex-

em-

emplum,) Pſalmo III, 5. in voce ויענני non poſſe obtinere *Munach* pro *Rbbia Gereſchato* collocatum, cum iſte accentus in τῷ סלה jam eſſet incluſus. At vero cum *accentuatio* vocem סלה pro una agnoſcat ubivis, eadem CL. VIRO repugnat evidenter.

III. Rationem ſuæ ſententiæ depromit pag. 65. *ex tono, qui quoniam in penultima hic eſt, ideo* ה *neque radicale, neque eſſentialiter ſervile dici poſſe.* At vero cl. Autorem prima linguæ Ebrææ rudimenta non attendiſſe miror, quod nimirum *tonus ob Sillukum ex ultima retractus ſit ad penultimam*, uti infra ex accurata vocis סלה analyſi clarius conſtabit. Tonus itaque, quo minus pro una voce haberi queat, non impedit.

IV. *Si quis notionem* τῦ השם *pro DEO in dubium vocare vellet*, iſtam cl. Auctor p. 66. conatur evincere ex Deut. XXVIII, 58. Ubi ליראה את השם vertit: *pro timendo DEO majeſtatico & venerabili*. At vero cum ibi de veneratione nominis יהוה ſermo ſit, idque ſtatim quoque ſequatur, facile patet, ſignificationem τῦ השם pro

DEO

DEO in ſacris literis obviam, fruſtra eſſe excogitatam. Eadem ratione res ſe habet Levit. XXIV, 11. Ubi יהוה per ellipſin eſt omiſſum, ſed v. 16. additum.

V. Opinatur p. 66. cl. Auctor *vocales τῷ* סלה *adjectas, ſibi fore patrocinio, quia in abbreviaturis non ſolum vocalis A, ſed etiam E adhibeatur.* Sed, cum fingere non liceat, ut exemplū aliquod, in quo ſine litera Jod vocalis E occurreret, in medium protuliſſet, vellem. Notum eſt iis, qui primis labris Rabbinicam literaturam deguſtarunt, in abbreviaturis, niſi Jod adſit, vocalem ubivis A uſurpari.

VI. Objectioni, quod in ſacro Codice abbreviaturæ non occurrant, resque ſit ſine exemplo parallelo p. 67. reſpondere ſufficienter ſibi videtur, aſſerendo, τὸ סלה *inter* ἅπαξ λεγόμενα *eſſe referendum.* At enim vero ſunt talia, quibus non data amplius occaſione, ſemel tantum Spiritus Sanctus eſt uſus: Quare vero *hanc unicam abbreviaturam* adhibuiſſet, cum alibi multoties potuiſſet, non video. Spiritus S. nobis dedit voces integras, quas nullum

lum immutavit ævum, non vero vocum initia.

VII. Antiquitatem *abbreviandi* ex Paraphraſibus Chaldaicis p. 68. annititur probare; harum vero tum autoritas tanta non eſt, ut cum codice Ebræo poſſit comparari, tum etiam a paraphraſibus ad codicem ipſum velle argumentari, eſt incongruum.

VIII. Virgularum ad abbreviaturam indicandam communiter neceſſariarum defectum per ſimile a Maſorethis deſumtum, qui, quando ſemel aliquid annotarunt, deinde, quando vox aliqua ſæpius occurrit, omittunt, conatur excuſare. At vero nullum CL. REIME produxit locum, neque impoſterum producet, ubi *Maſora ſemel tantum abbreviaturæ hujus injecit mentionem*; quæ ſane hoc notabile admodum non præteriiſſet. Quum itaque *accentuatio*, *puncta*, *antiquitas*, aliaque, huic ſententiæ contrarientur, abbreviaturam in τῷ סלה latere CL. DN. REIME, *invita Minerva*, aſſeruiſſe, patet cuivis harum rerum perito.

Ut

Ut vero tandem de mea quoque opinione atque ſententia conſtet, derivo τὸ סלה a radice arabica صَلى (non a سَلى uti B. PFEIFFERUS in ſuis *dubiis vexatis voluit,*) quæ inter alia ſignificat *propitius fuit*, eſtq; *Imperativus in Kal* ſpectans ad verba לא, ה tantum pro א poſito, ſecundum celeberrimi D. DANZII Inſtitution. lingvæ Hebrææ. §. 49. Obſ. I. p. 138. Schva ſub ס mutatum eſt in (ֶ) ob Sillukum juxta §. 27. n. 3. p. 64. adeoque accurata vocis סלה ſignificatio eſt: *Propitius eſto* (DEUS.) Lector benevolus de cetero vivat & valeat!

Ob-

Obſervatio CXCVII.

Quil repreſent

L'Explication d'une Medaille d'un Prince anonime Fils de Domitien, addreſſeé

a

MONS. FORMOND DE LA TOUR.

par

ſon tres humble ſerviteur,

JEAN JAQUES SCHEUCHZER.*

On peut regarder l'Hiſtoire & la ſcience des medailles comme deux amies dont l'une a beſoin de l'Aſſiſtance de l'autre: *altera alterius poſcit opem.* L'hiſtoire

* *Scheuchzerianam hanc obſervationem Tomo VIII. Miſcell. horum Lipſienſ. pag. 155. promiſimus.*

re eſt une ſcience des medailles envelop-pées, & les Medailles ſont comme une Bibliotheque vive, ou une hiſtoire tantot developeè, tantot myſterieuſement cacheè.

La Medaille, dont il eſt queſtion, & dont la ſincerité eſt indubitable, eſt un, je ne ſai quoy. La beautè charme les yeux, l' integritè auſſi bien de la tete, que du revers ſupplèe le defaut de la Legende, la tetè de cet enfant couronnè ſemble quaſi par-



ler, & ſon voile develope le miſtere de la conſecration: le genre du metal, avec le S. C. qui eſt au revers, en tourè d' une Couronne de cheſne, eſt un indice manifeſte de l' immortaliſation d' un Enfant nè Prince, arreteè par le Senat, a qui appartenoit jusqu' au temps d' Antonin le droit de l' Apo-

Apotheoſe, comme pluſieurs autres, qui ne reſtoient a cet illuſtre & ombratique corps, que pour flater le ſouverain, & pour affermir ſa domination. Cette Medaille eloquente & muette nous donne occaſion ci chercher un Prince mort enfant, immortaliſè par le Senat, & la beautè de l'ouvrage nous mene comme un guide dans le beau champ du haut empire.

Mais la maniere auſſi bien, que la fin nous ouvre un nouveau Theatre de conſecration. Nous ne voyons ici un bucher, ni une perſone ou ame elevleè ſur les ailes d'une Aigle, comme dans les medailles d'Antonin, ni un autel comme dans celle de claude Gothique, ni une Aigle ſimple, comme dans pluſieurs autres, ni une Aigle ſur un couſſin comme dans M. Antonin, ni des colonnes, temples, jeux, ſtatues, chariots tirès par des Elephans, point des Paons, ou d'Etoiles, comme ailleurs. Une tete d'un Enfant voilée & couronneè dit tout *CONSECRATIO*, ou *DIVO*, ou *AETERNITATI*. L'Intention n'etoit pas d'inſpirer un certá in reſpect pour la domination, comme Tibere faiſoit immor-

taliſer Auguſto, *ut Majeſtatis Numen indue ceret*, *Plin. Paneg.* ni pour ſe moquer d'un Prince Anteceſſeur, comme Neron fit conſecrer Claude

Ille ſenis tremulumque caput deſcendere juſſit
in Cœlum.

Juvenalis Sat. 6. ni pour temoigner une marque d'amitiè, & de pietè, comme Veſpaſien fut immortaliſè par Tite, Tite par Domitien; mais apparemment pour temoigner une compaſſion au Prince d'avoir perdu l'esperance d'une ſucceſſion. Nous ne voyons auſſi immortaliſſer un prince heureux, qui à laiſſè après luy des enfans pour ſucceſſeurs, comme etoit autrefois la coutume de deifier ceux, qui laiſſorent apres eux des fils. Nous en avons un temoignage dans *Herodien. L. IV.* ἔθος γὰρ ἐςι ῥωμαίοις ἐκθειάζειν βασιλέων τοὺς ἐπὶ διαδόχοις παισὶ τελευτήσαντας. Mais nous voyons un enfant mort, à qui la ſucceſſion etoit deſtineé, & mes me nous ne ſcavons pas encore, ſi c'eſt uo male, un une femelle, etant difficile de diſtinguer les fils d'avec les filles dans le berceau.

C'eſt à nous a cette heure de chercher ce

enfant, & s'il eſt poſſibile de le trouver. La choſe ne paroit pas trop difficile, par'ceque nous trouvons fort peu d'enfants deifiés.

Le premier, qu'on trouvera c'eſt *Poppaea* fille de Neron, morte dans le quatrieme mois de ſon age. Tacite en parle *Annal. XV. c. 23.* diſant que la flatterie etoit alleè ſi loin, que de dedier à l'honneur de cette petite Deeſſe un couſſin, un Temple avec un pretre. *Exortæ adulationes, cenſentium honorem divae, & pulvinar aedemque & ſacerdotem.* L'hiſtorien un des plus exacts & circonſtantiès auroit bien ajouté, qu'on faiſoit auſſi battre des monnoyès à l'honneur de la defunte. Au moins nous trouverions quelques lumieres parmy les medailles de Poppaee la Mere, ou de Neron meſme. Ainſi nous paſſerons celle cy, la laiſſants dans ſon repos, ſi elle y eſt.

Marcus Annius Galerius Antoninus fils d'Antonin & de Fauſtine, à ce qu'on croit, mort enfant. Nous trouvons que cet Empereur avoit encore un fils, & deux filles apparemment mortes dans leur Enfance

fance, mais il n'y a aucun veſtige d'une Conſecration à leur honneur.

Annius Verus fils de M. Aurele & de Fauſtine eſt mort à l'age des ſept ans par une malheureuſe operation faite d'un chirurgien, qui apparemment n'entendoit pas trop bien ſon metier. Mais nous ne trouvons autre choſe dans Capitolin in M. Anton, qu'une ordre expreſſe, qu'on honore les defunts par des ſtatues, & qu'on mene ſon image en or, comme les pompes, dans les Jeux dits Circenſes, & enfin, qu'on celebre le defunt par des vers ſou chanſons publiqs. *Juſſit, ut ſtatuæ tantummodo filio mortuo decernerentur, & imago aurea Circenſibus per pompam ferenda, & ut ſaliari carmini nomen ejus inſerretur.* Ainſi nous ne pouvons attribuer notre medaille à cet enfant, qui auroit eté exprimè par ſon nom, ni quelqu'autres de ſes fils ou filles, dont nous ne trouvons, que les noms Commodus, Lucilla, Fadilla.

Pertinax avoit une fille & un fils de *Flavia Titiana.* Nous n'en avons que le nom du fils. Il eſt bien vray, que le Senat fit

fit appeller le fils Caeſar, mais la modeſtie du Pere ne permettoit pas, qu'on allat plus outre, il ne donnoit meſme à ſa femme le Titre Auguſta, & diſoit de ſon fils, qu'il le faiſoit honorer, quand il le meriteroit; *Filium ejus Pertinacem ſenatus Caeſarem appellavit, ſed Pertinax nec Uxoris Auguſtæ appellationem recepit, & de filio dixit: Quum meruerit. Capitolin. in Pertin. c. 6.* Les Medailles de cet Empereur etants ſi rares comme elles ſont, celle cy, qui regarderoit ſon fils, ſeroit neceſſairement encore plus rare. Mais il n'eſt pas croyable, que le pere auroit permis une Deification pour un fils mort, qu'il ne vouloit meſme avant les temps des merites honorer pendant ſa vie, quand meſme il auroit etê mort; mais nous liſons dans Capitolin. c. 13. qu'il laiſſoit un fils, & une fille apres ſa mort; & que le Pere n'à regnè qu'environ 3. mois.

Le brave & rare *Peſcennius* avoit auſſi des fils, dont les noms nous ſont inconnus, auſſi bien que celuy de ſa femme. Mais nous ſcavons, qu'il fut obligé de quitter le ſceptre peu apres, quil à commencé,

à Regner, & les circonſtances du temps ne permettent pas, que le ſenat eut deferè une telle honneur à un fils d'un Prince perſecutè par ſevere.

Nous deſcendrions jusqu'au temps de *Gordien* Afriquain, qui à laiſſè outre Gordien le Jeune encore un autre fils, ſi la beautè de la medaille ne nous obligeroit de monter plus haut, & outre cela il n'ya aucun lieu de ſoupçonner, que le ſenat auroit decretè une honneur ſi grande au fils d'un Prince, qui fut fait Empereur en Afrique malgrè le Gouvernement de Rome. Il eſt donc temps de remonter plus haut.

Nous trouvons dans la vie de *Domitien* faite par Suetone c. 3. que *Domitia Longina* lui à engendrè un fils pendant ſon deuxieme conſulat, qvi repond ſelon *Rupert Epiſt Reines* 48. à l'an 832. de la fondation de Rome. Mais nous ne liſons rien de ſa deification. Le paſſage merite pourtant d'etre inſerè ciy. *Deinde uxorem ſuam Domitiam ex qua in ſecundo ſuo conſulatu filiam tulerat, alteroq; anno conſalutaverat ut Auguſtam, eandem Paridis Hiſtrionis amore deperditam repudiavit, intraque breve tempus impatiens diſci-*

ſcidii quaſi efflagitante populo reduxit. Il faut que ce Prince ait aimè eperdument une femme adulferé ſervie par un Comedien, parce qu'il l'a recue en grace ſeulement pour obeir à la voix publique du Peuple. *Martialis* nous fait beaucoup esperer de ce fils de Domitien, dans les vers, qu'il a composés a l'honneur de ſa naiſſance. *Livr. VI. Epigr. 2.* qui ſont un temoignage authentique de la joye publique, qu'on avoit alors.

Naſcere Dardanio promiſſum nomen Julo,
Vera DEUM ſoboles, naſcere magne puer.
Cui pater æternas poſt ſecula trabat habenas:
Qui regas orbem cum ſeniore ſenex.
Ipſa tibi niveo trahet aurea pollice fila,
Et totam phryxi Julia nebit opem.

Statius Sylv. L. I.

& nocte ſilenti
Cum ſuperis terrena placent, tua turba relicto
Labetur collo, miſcebitque oſcula juxta:
Ibit in amplexus, Fraterque Paterque
Et ſoror.

Silius Italicus:

Siderei juxta radiabunt tempora nati.

Mais tout ceci ne ſuffit pas pour demontrer, ce que nous pretendons dans un ſi grand ſilence des hiſtoriens, nous avons notre recours aux autres medailles qui nous pourront ſervir comme des Lieux parelleles, & qui ſont des temoins irrefragables de la deification de ce fils ou petit prince de Domitien. Parmy les medailles en argent & en or de la mere Domitia, nous trouvons un enfant aſſis ſur un globe environné de ſept etoiles avec l'Inſcription DIVUS CAESAR IMP. DOMITIANI. F. que Patina fait graver dans ſon Suetone f. 419. & parmy celles de bronze nous trouvons. DIVI CAESARIS MATER S. C. & DIVI CAES. MATRI. S. C. Le mot CAESAR nous marque que ce jeune enfant fut declaré Prince: le mot DIVUS qu'il a eté deifié: le S. C. marque l'applaudiſſement du Senat, l'or & l'Argent enfin la permiſſion de l'Empereur meſme, ainſi nous pouvons bien conjecturer, que notre petite medaille de bronze peut etre un temoignage particulier d'affection pour le

Prince

Prince defunt, & de compaſſion adreſſé a l'Empereur.

Le voile eſt une marque connuë de la Deification: Les couronnes, qui ſe trouvent ſur l'un & l'autre coté de la medaille meritent une attention particuliere. On peut dire, que comme la medaille eſt unique, la couronne le ſoit auſſi. Elle eſt ni royale, ni militaire, ni populaire, ni dans un certain ſens divine; je dis, dans un certain ſens, par ce que les divines ont eté donneés a leurs Dieux, a leurs Temples, Autels, victimes, pretres, mais celle cy eſt propre a un enfant recu parmy les divinités. Si cette couronne eſt d'un chiendent elle eſt empruntée des Parthes, qui s'en ſervoient: ſi elle eſt de la Plante Papyrus, elle eſt priſe des Aegyptiens, qui ont couronnè de cettè Plante Nilotique leurs divinités, ſi Domitien auroit etè portè pour le Judaiſme, ou pour le chriſtianiſme, il y auroit lieu de conjecturer, que cette petite tete couronnée auroit un rapport a l'hiſtoire de Moyſe mis ſur l'eau de Nil, dans une coffre faite la Plante, dont nous faiſons mention. Le principal eſt, que nous

avons dans la ſuite des Auguſtes Prince anonyme fils de Domitien: De la vient la coutume des chretiens d'enſevelir avec les corps des fils, ou des filles vierges avec des couronnes composés des toutes ſortes de fleurs.

Obſervatio CXCVIII.

POLYCARPI LYSERI,
Profeſſ. Helmſtadienſis,
exhibens
Mantiſſam, ad dubia
C. Viro Dn. EGENOLFO
circa hiſtoriam lingvæ Germanicæ olim mota.

Tantam agnoſco eſſe utilitatem, ſi quis in origines lingvarum ſtudioſius inquiſiverit, ut malim erraviſſe, dummodo refutatione errorum meorum veritas dilucideтur. Exiſtimet CL. EGENOLFUS pervelim, me non ſine voluptate reſponſionem Ejus ad animadverſiones meas legiſſe. Utinam vero omnes eruditi de principiis quibusdam univerſalioribus,

ribus, atque in origine linguarum indaganda neceſſariis convenirent invicem. Niſi enim hoc fiat, andabatarum more pugnabitur. Ego hujus rei occaſionem dedi, cautionibus quibusdam evulgatis, quæ me hucusque non fefellerunt. Eas uti alii hoc in genere perſpicaciores examinarent, propoſui. Fateor etiam me in Reſponſione Cl. *V.* regularum mearum impugnationem quæſiviſſe. Iis enim admiſſis non unas CL. EGENOLFI hypotheſes ſubverti poſſe perſvadeor. Placuit tamen alia monere, quæ quamvis ſalva mea ſententia concedere poſſem, inſiſtam nihilo minus *Cl. Viri* veſtigiis & nonnulla explicata dabo.

Obiter obſervo, ea quæ *p.* 234. de voce quadam obſcœna, monentur, mihi fruſtra objici. Nam nihil ego ejusmodi T. II. *Miſc. Lipſ. pag.* 549. dixeram. Interim autor Muſei noviter aperti P. XI. ex ſola Cl. Egenolfi obſervatione, mea non inſpecta, certe non intellecta, anſam arripuit mihi injuriam faciendi. Brevibus quæ olim obſervaveram repeto. Scilicet voces Germanicas 1. *Schützen* (tueri) 2. *Schützen*

ten (aut ſecundum dialectum Saxoniæ inferioris *Sebüllen* agitare, quatere, concutere.) 3. *Schieſſen* (Saxonica communi lingva: *Scheiden*, jaculari, telo petere &c.) non eſſe ex communi fonte monueram. Num in aliquo horum vocabulorum obſcœni quid lateat ipſe CL. EGENOLFUS definiat quæſo.

Sed minutiora non tangam. Duo præcipua defenſionis momenta *Tom. III. Miſcel. Lipſ. pag.* 235. conſtituuntur. PRIUS eſt, quod quæſtionem: *num hodiernæ Europææ lingvæ confuſioni Babelicæ ortum debeant;* à nemine motam unquam, aut affirmatam eſſe aſſero. Scilicet ipſo *Cl. Viro pag.* 49. Hiſtoriæ ſuæ eos impugnante, qui Gallicam, Italicam, Hiſpanicam & alias lingvas a Babylonia accerſunt, indicare debui, quæſtionem illam, ſine reſtrictione poſitam de ſingulis lingvis agere. Cum nunc mentem ſuam planius declarat *Cl. Autor*, non pugno contra illum. Miror autem Virum Optimum in ea eſſe opinione, quaſi communiſſimam illam, de *origine lingvarum* cum vetuſtiorum, tum primarum Europæarum, ſententiam ignorem,

rem, atque hanc ob rem me ad hypotheſeos vulgatæ defenſores §. V. & VI ablegare. Nam vel ex ſola regularum mearum cum memoratis ſcriptis collatione patet, me ea, quamvis non nominata, indicaſſe, tamen & oppugnaſſe.

ALTERUM momentum verſatur *circa literas Germanicas*, quas CL. EGENOLFUS a *Japheto* & *Runis*, ego a *Latinis* immediate, mediate aliunde, duximus. Inhæreo adhuc ſententiæ meæ. Sive enim a Francicis, ſive ab Anglo-Saxonicis, ſive abs Gothicis, ſive a Longobardicis characteribus antiquioribus hodiernas Germanorum literas derivet CL. EGENOLFUS, mea ſententia erit ſalva. Nam [illegible]

I. Germanicarum cum latinis literis harmaniam inſpectio probat. Niſi ergo *Cl. Autor* vicerit Romanos ſuas litteras a Gothis & Runis habuiſſe, nulla ratione aſſertum ſuum demonſtrabit. Interim & hoc conceſſo incommodius origo ſcripturæ Germanicæ a Runica peteretur, quam a Latina literatura.

II. Aliud fundamentum regulæ meæ ſuppeditant. Scilicet eruditionis Germanicæ

nicæ ad noſtra usque tempora continuatæ origo *monachis medii ævi debetur*, qvippe per quos Germanorum ſcientiæ maxmie ſunt conſervatæ. Hi vero ex Italia venerunt, & a Romanis ſua acceperunt. Qui ſeriem temporum & viciſſitudines reſpexerit, non poterit non in meam ire ſententiam.

III. Si veteres Germani, & Gothi ipſi Hiſpaniam incolentes, Runicam ſcribendi rationem adhibuerunt, qui fit, quod nulla ejus rei veſtigia in antiquis vel monumentis vel ſcriptis vel numis reperiuntur. Literas Runicas antiquiores eſſe Græcis ex liberalitate quadam largior. VOSSIUS tamen & VULCANIUS nulla nituntur veterum ſcriptorum fide, nec mihi valde contrariantur. Nam Gothos ante ULPHILAE tempora characteribus quibusdam uſos fuiſſe concedo, iisdem quibus Ulphilas poſtea, nego ex PHILOSTORGII & aliorum auctoritate. RABANUS MAURUS mihi prorſus favet. Theodiſcum enim characterem veterem latino ſimillimum eſſe, neque ab hodierno Germanico adeo diverſum conſtat, antiquiſſimæ inſcriptiones, inprimis in numis, non

ſiſtunt

ſistunt Runico - Gothicas, ſed Gothico-Latinas figuras, ideoque CL. EGENOLFO non ſuccurrunt. Nec puto, Eum ex ſcriptionibus, ſeptentrioni a RUDBECKIO vindicatis, characterem in his olim regionibus, in Gallia quoque, Italia & Hiſpania adhibitum probare poſſe ſine confuſionis formidine.

Ut in ſummam omnia contraham: Conſulantur numi antiquiſſimi. Conferantur in codicibus vetuſtiſſimis veteres Germanorum literæ. Reſpiciatur gentium atque eruditionis, quæ apud Germanos viguit, origo & propagatio. Vix credo ſcrupulus meam premens ſententiam ſupererit. Interim in lectione veterum Gothi diverſi non ſunt confundendi aut lingvæ Gothicæ. Characteres Germanici recentiores dicuntur Gothici, quod non Runicis illi ſint ſimiles, ſed quia Gothis (non Svecis, ſed meridionales incolentibus terras) uſu venerunt. Præterea & hoc tenendum eſt, duplicem fere hodiernorum Germanorum eſſe patriam, duplex ſtemma. Alii ex Svecia, certe ſeptentrione, migrarunt, & ut populorum, ſic lingvarum Saxonicæ, Francicæ,

quæ

quæ hodiernæ Germanicæ matres ſunt, conditores habendi. Cave tamen, ne a lingva ad characteres concludas. Alii ex Polonia, Ungaria, imo forte Tartaria, & aliis orientalibus terris venerunt, & lingvas Slavonicam, Bohemicam, Polonicam, hisque affines, apportarunt. Poſteriores atque priores ſuam eruditionem, ſuas literas a Græcis partim, partim a Romanis habuerunt.

Ob-

Obſervatio CXCIX.

M. JOH. AUGUSTINI EGENOLFI,

Gymn. illuſt. Grim. Colleg. Tert.

ſiſtens

Reſponſionem Ad Mantiſſam* CL. DN. PROFESS. LYSERI,

qua probata alias ſententia: *Germanos ab antiquiſſimis temporibus proprias ſuas literas habuiſſe* 1.) confirmatur. 2.) Nummos Runicos & ſimilia *monumenta Gothica* hodienum *ſupereſſe* oſtenditur.

§. I.

Transmiſit nuper Vir Ampliſſimus, horum Miſcellaneorum *Dn. Collector*, Mantiſſam manuſcriptam Celeberrimi LYSERI, quam ille reſponſioni meæ ad dubia ipſius oppoſuit, benevolo cum monitu, ut, ſi quid ſit, quod laudato jam Dn. LYSERO veritatis eruendæ & pu-

* *Præcedens CXCVIII. obſervatio hanc Mantiſſam Lyſerianam exhibet.*

publici commodi cauſa opponere velim, propediem ita inſinuem, quo *conjunctim & Mantiſſa & Reſponſio* in publicum prodire, ſicque oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcere queant. Equidem cauſæ non defuerunt, quæ videbantur ſvadere, quo minus huic animum desiderio. Ut enim taceam, illud fere mihi impoſuiſſe ſilentium, quod, quæ jam breviter dicturus ſum, prolixius legantur in *Hiſtoria* mea *de Ling. Germ. Part. 2. Sect. 2. cap. I. ſeqq.* attamen certus, CL. LYSERO ipſi non ingratam reſponſionem fore meam, iniquior in illum eſſem, niſi mentem meam prima oblata occaſione eidem aperirem, & breviter indicarem, quæ dictam legens Mantiſſam monenda circa eandem eſſe duxerim.

§. II. Ut vero ſciant Lectores, qua in re CL. LYSERUS & ego conſentiamus, & qua etiam ab eodem diſſentiam, juvabit breviter repetere ortæ inter nos controverſiæ originem. Impugnabat ille, aut ſaltem mihi videbatur ab initio impugnare, publicata, *Parte priore Hiſt. meæ Lingv. German.* duas haſce meas theſes: *I. Origines lingvarum Europæarum in confuſione Babylonica non eſſe quærendas. 2. Germanos a primo ſuo in patriam adventu perpetuo proprias ſuas habuiſſe literas.* Ad primam quod ſpectat, cum e laudata *Dn. Profeſſ. Lyſeri* Mantiſſa perſpicuum ſit, eundem plane mecum facere

cere, meamque approbere penitus ſententiam: nihil de ea proferendum ſupereſſe intelligo, niſi hoc unum forte, quod eam nuper ſuam quoque fecerit Dn. Auctor libri, qui vocatur: *Einleitung zum Teutſchen Müntzweſen* Mittl. Zeit, pag. 138. Contra ſecundam vero dictarum poſitionum, præcipue ſcriptum nominatum diſputat, ita quidem, ut Cl. LYSERUS non modo ſuam opinionem ejusdemque argumenta explicet, verum etiam a me adducta refutare det operam. Ipſius proinde inſiſtens veſtigiis, expoſita ejus ſententia, probationes, quas addit, ejusdem conſiderabo; quo facto meas quoque lucubrationes adjiciam.

§. III. Theſis itaque ipſius, quam mihi oppoſuit, his verbis conſtat: *Ego a Latinis immediate, mediate aliunde duco Germanorum literas*, hoc eſt, *Germanis a Latinis artem ſcribendi accepere*, unde ſequitur, *eos ante converſationem cum Romanis caruiſſe literis.* Quod conſectarium ipſe quoque *Dn. Profeſſ. Lyſerus* illo loco, claris verbis habet, quem ſubſeqv. §. 4. adducemus. Antequam hoc aſſertum ejusque connexionem conſidero, de argumentis diſpiciam, quibus illud confirmare Dn. Auctor quærit. Primum eorum deſumtum eſt, *a Similitudine literarum Germanicarum & Latinarum.* Aſt licet ea concedatur, quam vero nullo modo eſſe concedendam antiqua, monumenta ſatis ſuperque

probant, (quippe quorum character Latino plane diſſimilis:) Opinio tamen Lyſeriana neutiquam corroboratur, quia res ſibi invicem ſimillimæ, diverſiſſima ſæpe agnoſcunt principia. Hac quoque occaſione exiſtimat Vir Clariſſimus, me negantem, quod noſtrates ſuas literas Latinis debeant, ſimul tacite affirmare & ſtatuere, Romanos ſuas a Gothis habuiſſe, quas vero a Græcis ad hos perveniſſe antiquitas ſatis perſpicue teſtetur. Ita enim ille: *niſi Egenolf. evicerit, Romanos ſuas literas a Gothis & Runis habuiſſe, nulla ratione aſſertion ſuam* (Germanos ab antiquiſſimis temporibus uſos eſſe literis) *demonſtrabit*. Sed ut brevibus mentem meam hac de re explicem, exiſtimo, primos advenas ſecum e Græcia in Italiam apportaſſe literas, quos fuiſſe poſteros τοῦ *Kitim* vel *Chitim*, filii *Javanis*, admodum probabilibus argumentis demonſtravit BOCHARTUS *Phaleg. l. 3. c. 5.* Quod ſi & illi opinioni aliquid veri ineſt, quæ ſtatuit, Umbros, nationem Germanam, e Germania tranſiiſſe in Italiam antiquiſſimo tempore, vide *Hiſt. noſtr. Lingu. Germ. Part. I. par. 71.* forte & hi ſuas attulerunt, e quarum cum Græcis conjunctione Alphabetum Latinum compoſitum eſt. Videtur hæc opinio ex eo confirmari poſſe, quod Latini in denominatione literarum potius cum Germanis, quam cum Græcis faciant, & e. g.

dicant:

dicant: a, be, ge, non alpha, beta, gamma; neque veteri adverſatur ea traditioni, quæ *vult*, ſi aliquid veri fabulis ineſt, Saturnum advenam aut Evandrum Italiæ populum Romanum literas docuiſſe. Vide inter alios MINUTIUM FELICEM *c.* 22. §. 9. Quid enim frequentius illis, qui res priſcis temporibus geſtas memoriæ prodiderunt, quam inventionem alicujus artis illi tribuere, qui eandem excoluit & reformavit? Quæ cum ita profiteat, & ſemper crediderim, non video, qua cauſa inductus *Dn. Prof.* LYSERUS exiſtimaverit, quod ego Latinas a Gothicis literis deducere voluerim.

§. IV. Alterum ipſius argumentum eſt, Germani a Romanis accepere religionem & eruditionem, E. & literas. Hoc enim innuunt, niſi me fallunt omnia, hæc ipſius verba: *Scilicet eruditionis Germanicæ ad noſtra usque tempora continuatæ origo monachis medii avi debetur, quippe per quos Germanorum ſcientia maxime ſunt conſervata. Hi vero ex Italia venerunt, & a Romanis ſua acceperunt &c.* Obiter addo, hanc theſin nuper admodum prolatam denuo, & argumentis nonnullis, illis vero non adeo firmis probatam eſſe in libro Germanico, cui titulus: *Einleitung zu dem Teutſchen Müntzweſen Mittler Zeit.* Sed ad hæc tam *ratione Lyſeriani modi concludendi*, quam *ratione ipſius rei*

 non-

rei nonnulla monenda erunt. Non velim cum *Dn. Profeſſ.* LYSERO aſſerere, *omnes primos doctores Chriſtianiſmi & eruditionis in Germania fuiſſe Italos,* quippe cujus aſſerti contrarium ex hiſtoria Eccleſiaſtica ſatis apparet. Probe hic diſtingvenda tempora, ut concordet hiſtoria. Qui prima fundamenta Chriſtianiſmi in Germania poſuere, *ex Aſia veniſſe* potius creduntur, quam Italia. SOPHRONIO teſte, ipſe Apoſtolus THOMAS *primus Germanorum doctor* fuit. MATERNUS & CRESCENTIUS, qui huic ſucceſſiſſe dicuntur, Latina quidem habuere nomina, ſed credidit antiquitas, illos *Aſiaticos* fuiſſe, & Apoſtolorum diſcipulos. Taceo, quod illa Garmaniæ pars, quæ vicina Galliæ & Britanniæ, multo citius Chriſtianiſmo imbuta ſit, quam quæ vergit verſus Italiam, unde patres Eccleſiæ non raro conjungunt Eccleſias Gallicas & Alemannicas. *Conf. Tertullianus adverſus Jud. c. 7.* Quemadmodum vero Apoſtoli & eorum diſcipuli in eo toti fuerunt, ut recens converſi ipſa Scriptura Sacra (cujus lectio non niſi ultimis ſeculis cœpit interdici laicis,) convincerentur; *Conf. Act. 17, 11.* Sic nullum eſt dubium, quod Germani in propria lingva legerint Scripturam, ut Gothæ opera *Ulphila*, quodque ex ipſis Germanis ita eruditi nonnulli fuerint, qui deinceps docere alios potuerint. Sed orto præjudicio,

ctio, (quod jam ſeptimo p. C. N. ſeculo pullulare cœpit, & a Papa NICOLAO demum Ao. 849. canonis vel legis inſtar introductum eſt, cujusque cauſam §. *V. ſq.* exponam,) quod *ſacra ubique in ſola lingva Latina peragenda ſint*, dictæ verſiones a Clericis ita ſuppreſſæ ſunt, eoque ipſo ita raræ factæ, ut non niſi paucula fragmenta earundem ad GOLDASTI, diligentiſſime inquirentis, oculos pervenerint. Carolum *M.* mirum quantum reformaſſe, & exornaſſe ſtatum Germaniæ Eccleſiaſticum, nemo negabit, verum neque qvos ille inſtituit, neque poſt ejus diſceſſum ordinati doctores eccleſiæ Germ. omnes in Italia nati erant, ſed maximam partem in Germania non excluſis Gallis & Anglis. HRABANUS MAURUS, WALAFRIDUS, STRABUS, HAYMO, KILIANUS Monachus, WILLBRORDUS SUIBERTUS, WILIBALDUS, WINIFRIDUS, ab Italis dictus *Bonifacius*, & alii, qui ſi omnes colligerentur, non dubito, fore manifeſtum, tot ad minimum Chriſtianiſſimi doctores floruiſſe in Germania, Germanos Gallos & Anglos natione, quam quot eorundem e vicina advenerint Italia.

§. V. Neque ſine omni limitatione aſſerere velim, *omnem eruditionem ab Italis ad nos perveniſſe*. Iudæi ſane multi diu inter Germanos vixere ante Chriſti adventum, quorum nonnulli cum

Pythagoræ, Platonis & Ariſtotelis Philoſophiam ab antiquiſſimis temporibus didicerint, aliqualis earundem & ad Germanos potuit perveniſſe cognitio. A ſeptentrionalibus quoque ſcientiarum aliquas didicere Germani, præcipue artes magicas, ſicut ex verbis MAURI §. 8. *a nobis adductis* apparet. Imperator vero Germ. FRIDERICUS II. fere ignotam ſuo ſæculo Græcorum Philoſophiam ex Arabum & Saracenorum libris verti curavit. Jura quoque ſua Franci & Germani habuere, antequam jus Romanum in forum Germanum introductum eſt, quod Imperator Germanus LOTHARIUS II. reſtituit, & ſatius fuiſſet omnino ex multorum ICtorum ſententia, ſi vetus Jus Saxonicum & Francicum Germani retinuerint, neque eidem miſcentes Juſtinianea jura, effecerint, *ut ſummum jus ſit hodie ſumma ſæpe injuria, & proceſſus in infinitum procedant.* Sed de hac re h. l. noſtrum non eſt prolixe judicare, neque in illius cauſas inquirere. Quod vero tandem *ſeculis* illis, quæ vocamus *Scholaſtica*, literatura Latina, Jura Romana, & quicquid Italiam redoluit, tantum in Germania æſtimatum ſit, cauſa non fuit *defectus literarum germanicarum* ſed longe aliæ, inter qvas primo loco nominanda *ambitio & πολυπραγμοσύνη Clericorum*, qui illo tempore, ubi, neglecta pietate, in omnes res etiam politicas affectarunt imperium,

um, effecerunt, *ut omnia acta publica Latina lingva peragenda eſſent*, cujus cum ſe magiſtros eſſe affirmarent, nihil expediri poterat ſine ipſorum ope, qua ratione quodcunque modo agebatur, neceſſario ipſis innoteſcebat, ſine qua re auctoritatem, monarchiam clericalem, & divitias ſuas non ita augere potuiſſent, ut jam ante me obſervavit mox mihi laudandus *b. Dn. D.* SCHUBARTUS. vid. Miſc. Lipſ. Tom. V. p. 52. Acceſſerunt aliæ cauſæ politicæ, quales fuere, ut lingva Latina, quæ per notabiles illas gentium migrationes in Hiſpania, utraque Gallia, ipſaque adeo Italia, valde corrumpi cœperat, pura aliquo modo conſervetur, cum in ſacris ubique adhibenda eſſet. *Conf. quæ §. 4. de Nicolao I.* adduximus. Ex his rationibus non modo acta publica conſcripta ſunt Lingva Latina, verum & ipſe ſermo Germanus relegato & abrogato charactere veteri Runico vel Germano, quaſi impuro & ſuperſtitione polluto, ut BRYNOLPHUS ait, literis cœpit ſcribi Romanis, quod præcipue annotante AVENTINO, poſt Friderici II. tempora accidit. Quæ quidem conſvetudo per longum temporis tractum duravit; & licet jam Anno 1275. ſe glorioſ. Cæſar RUDOLPHUS Habsburgicus indigno huic Germanis mori oppoſuerit, publico ſanciens edicto, ut omnia acta patriæ noſtræ publica *Germanice*

tractentur, idemque FRIDERICUS III. Anno 1441. urgentibus Imperii Ordinibus confirmaverit denuo: vix tamen ante MAXIMILIANI primi tempora hæ monachorum fraudes & lingvæ Germanicæ neglectus extirpari potuit, unde deinceps *commune* ortum eſt *præjudicium*, Germanos ante dicti RUDOLPHI tempora nullas plane habuiſſe literas. Sed eodem illud fundamento & eadem veritate nititur, ac ſi hodie aliquis diceret: Judæi ſæpe literis Hebraicis ſcribunt textum Germanum, E. nullis aliis poteſt ille ſcribi, vel nullas habent Germani literas.

§. VI. Inter incommoda vero, quæ hæc conſvetudo peperit, hoc primo loco ponendum, quod lingva Germana culturæ maxime patiens, ſaltem in illis rebus hactenus exculta fuerit, quæ non ad eruditos pertinent. Ditiſſimam eſſe noſtram lingvam, & propterea omnibus aliis præferendam, in denominationibus terminorum, qui ad *rem metallicam, nauticam* & ſimiles pertinent, unanimi teſtantur conſenſu, quicunque in hiſce ſtudiis aliquid vident. Magnam vero ejus *eſſe inopiam ad exprimendas abſtractiones mentales & terminos artium liberalium*, ſatis ſuperque notum & certum eſt. Hæc inæqualitas, quod in altera parte lingva eadem ſit ditiſſima, in altera pauperrima, ſane non ipſi tribuenda lingvæ, quæ,

ſi

ſi ab indoctis exornari tam bene potuit, potuiſſet eo magis, ab eruditis. Sed durat è *ſeculis Scholaſticis* usque hunc in diem *præjudicium* illud, quod *artes liberales ſola lingva Latina proponi poſſint ac debeant*, in plurimis eruditorum Germaniæ animis, adeo, ut ſecus ſentientes neſcio cujus criminis & quantæ inſcitiæ accuſentur, ut pluribus demonſtravi *in Diſ. contra Dn. Burmannum.* §. 8. Optandum proinde hac occaſione, ut illi, qui in Academiis vel commoditatis vel alius rei cauſa auditores ſuos Germanice docere præſumunt, illud inprimis agant, ut terminos technicos in toto eruditionis circulo occurrentes, ad exemplum aliarum prudentum nationum, præcipue vero fratrum noſtrorum Belgarum, vocabulis pure Germanicis exponere, atque ita hac quoque in parte lingvam noſtram expolire ſtudeant, de cujus ſtudii fructu ut prolixius hic agam, ratio inſtituti mei non concedit. Sed ut ad rem redeam, pone, *nos omnino & eruditionem & ſacra noſtra ſolis debere Italis*, certe inde non ſequitur, *noſtros majores* ante converſationem cum iisdem *literis plane caruiſſe.* Omnes Chriſtiani Europæi prima religionis ſuæ fundamenta a Judæis acceperunt, nulli vero illis literas debent,

§. VII. Tertium argumentum *Cl. Dn. Prof.* LYSERI eſt, quod Gothi, exteras regiones peten-

petentes & incolentes, nullum reliquerint monumentum, quo convinci poſſit, quod uſi ſint literis Runicis. Ita enim ipſius ſe habent verba: *Si veteres Germani & Gothi ipſi Hiſpaniam incolentes Runicam ſcribendi rationem adhibuerunt, qui fuit, quod nulla hujus rei veſtigia in antiquis vel monumentis vel ſcriptis vel nummis reperiantur?* Sed utrumque quod negat Vir Cel. affirmandum erat, quod pace ejus dixerim. *Gothi* quam maxime *uſi ſunt literis Runicis, & monumenta* etiam literis iisdam conſignata *reliquerunt.* Prius vel inde certum, quod nonnullæ gentes, quæ e Gothorum patria, ſcaturigine illa gentium peninſula nempe ſeptentrionali & adjacentibus locis prodierunt, in novis etiam ſuis ſedibus adhuc *Runici* dicti ſunt, quod nomen in prima patria illis datum erat, qui in literatura Runica maxime excelluerant. Sic olim Pomerani quidam Runicam excoluérunt literaturam, & propter eam *Runi* dicti ſunt, de quibus ADAMUS BREMENS. Hiſt. Brem. l. 2, c. 13. ita loquitur: *A civitate Jumne brevi remigio trahuntur ad Diminem urbem, quæ ſita eſt in oſtio Paanis fluvii, ubi & Runi habitant.* Sic quoque in Deſc. Daniæ cap. 225. *Altera inſula eſt contra Wilzos poſita, quam Rani vel Runi poſſident, fortisſima Slavorum gens, extra quorum ſententiam de publicis rebus nihil agi lex eſt. &c.* Conf. SCHURZFLEISCHIUS Diſ. de

Reb,

Reb. *Slav.* §. 14. ubi probatur, hos Pomeranos a Runarum ſtudio *Runos* eſſe vocatos. Ad monumenta a Gothis relicta Runica quod ſpectat, miror *Dn. Prof. Lyſerum*, horum ſtudiorum amatorem affirmare: *nulla ſupereſſe monumenta Runo-Gothica*; neque repetam, quod jam aliis occaſionibus de *cippis* monui *antiquis*, quæ in Islandia, Svecia, Norvegia, Dania, ipſaque adeo Germania conſervantur; hoc loco tantum oſtendam, quod non minus, quam in jam dictis regionibus, in cæteris quoque nobilioribus Europæ regnis *veſtigia literaturæ Runicæ vel Gothicæ* reperiantur. In ſola *Carniola* ſupra trecentos lapides, quibus runici characteres & Gothicæ literæ inſculptæ ſunt, exſtare, auctor eſt *VALVASOR in der EHRE DES HERTZOGTHUMS* Crain, libro II. c. 22. Angli Saxones, ſi non, quod vult RUDBEKIUS, e Svecia prodierunt & orti ſunt; ad minimum cum vicinis Gothis multa non modo habuere commercia, ſed etiam religionem & literaturam communem, quin & tandem cum Danis in Anglia in unum quaſi populum coaluerunt. Illos vero usque ad ea tempora, quibus Chriſtiana imbuti ſunt religione, literis eisdem Runicis, quas ſecum e Germania in Angliam tranſtulerant, quasque habuere Cambri, Gothi, Sveci &c. uſos eſſe, lapides in Anglia ſuperſtites, & eodem modo, ut Svecici, Danici, Norvagici, compa-

rati,

rati, niſi quod epigrammata dialectum redoleant Saxonicam, ſatis convincunt. Quidni igitur tales lapides, pro monumentis Runicis, vel quod idem eſt, Gothicis habeamus?

§. VIII. In Alphabeto etiam recentiore Anglo Saxonico, quo inter alia quatuor Evangelia conſcripta ſunt, quæ Argenteo codici JUNIUS addidit, nonnulla Runicarum literarũ reperiuntur veſtigia, licet Latinæ ſint cæteræ vel etiam Græcæ, inſolito more pictæ, hic patet, quod antiquiſſimi Britanniæ incolæ literis Runicis uſi fuerint, antequam Latinæ cum religione ipſis innotuerint. Dantur vero etiam ejusmodi monumenta in Anglia, in quibus & Anglo-Saxonicæ & Runicæ literæ ſimul occurrunt. Tale eſt *Scutum* illud, cujus imaginem & deſcriptionem ex *Theſauro Lingv. Vett. Septentr.* *DN. GEORGII HICKESII*, & ejus quidem *Libro I. ANDREÆ FOUNTAINE Numiſmata Saxonica & Dano-Saxonica complectente, p.* 186. excerpſimus. Vide Scuti imaginem in *Frontiſpicio* hujus *Tomi IX. Figura I.*

Runas in uſu habuiſſe Gothos, in Hiſpania habitantes, extra controverſiam eſt, & poteſt videre nummos Gothicos, quicunque vult, cum inſcriptionibus Runicis, quas ex *Antonii Auguſtini Inſr. Numiſm. Hiſp.* adducit *WORMIUS Lit. Run. p.* 69. Refert quoque CLAVD. DVRETVS *Libr. de Orig. Lingu. c.* 69. Alphon-







Fig. III.

Fig I.

Concava.



Miſcoll. Lipſ. Tom. IX. p. 252.

Miſc. Lipſ. Tom. IX. p. 260.

Fig. II.




phonſum Regem Caſtiliæ & Navarræ in Concilio Lugdunenſi, praſente nuncio Papali, REGNERO, decreviſſe, ut ſcribæ & notarii poſthæc non uterentur characteribus Gothicis &c. Eandem teſtatur rem RODERICVS TOLEDANVS *L. 6. Rer. Hiſp. c. 30. & L. 10. p. 154. & 396.*

§. IX. Francos in Gallia habitantes ante CHILPERICI I. tempora alias a Græcis & Latinis, nempe *Gothicas* habuiſſe literas, ex hiſtoria patet, quam alibi e GREGOR. TVRONENSI adduximus *vid. Miſc. Lipſ. Tom. I. pag. 254. conf. GERH. VOSS. Art. Gram. L. I. cap. 19.* De Normannis, qui poſt longa itinera tandem in Gallia conſederunt, bene ſentit BRYNOLPHUS SVENONIVS Epiſc. Auſtralis Islandiæ in ſuis ad Saxonem Conjectaneis, ubi citante WORMIO l. c. p. 155. ita loquitur: *Literas Romanas, ut ſanctiores Normannicis, tanquam gentili ſuperſtitione pollutis, commutare conſultum viſum eſt.* De eo agit tempore, ubi Normanni, quos e Gothia proveniſſe novimus, Chriſtianam religionem accepere. De iisdem Normannis ita quoque TRITHEMIUS, adducente laudato WORMIO p. 68. differit: *Normanni, (qui cum Dacis Aſiaticis de inſulis Scandianis, quæ nunc Gothicæ nuncupantur) quondam egresſi, Galliam annis plus quadraginta pervagantes, graviſſime devaſtarunt, ejus* (SCILICET GOTHICI VEL

RUNI-

RUNICI) *Alphabeti miniſterio, quicquid inter ſe voluiſſent habere occultum, tantum ſecura traditione ſcribebant.* Probatio vero hujus aſſerti maxima eſt HRABANI MAVRI *Abbatis Fuldenſis* teſtimonium, jam alibi a me adductum. Quare plane non capio, quomodo ſua verba intellecta velit Cl. Dn. Prof. LYSERVS, dum dicit: *Maurus mihi prorſus favet. Theodiſcum enim characterem veterem Latino ſimillimum eſſe, neque ab hodierno Germanico adeo diverſum conſtat.* Conjicio vero Cl. LYSERVM Mauri librum *De Inventione Lingvarum & notis antiquis* ad manum non habuiſſe, quare ejusdem verba hac de re excerpere h. l. juvabit: *Literas*, inquit MAURUS l. c. *quibus utuntur Marcomanni, quos nos Nordmannos vocabamus, infra ſcriptos habemus, a quibus (LITERIS) originem,* SI SCILICET LITERAS EORVM SPECTES, *qui Theodiſcam loquuntur lingvam, trahunt. Cum quibus carmina ſua incantationesque ac divinationes ſignificare procurant, qui adhuc paganis ritibus involvuntur.* Ipſum Alphabetum, quod ſtatim ſubjicit, hoc eſt:



Runicas literas nullas unquam vidiſſe illum crediderim, qui non maximam inter eas & hoſce convenientiam obſervet; quare etiam OL. WORMIUS & HIKESIUS hoc Alphabetum *inter Runica* referre non dubitarunt, ſecuti in hac re membranas antiquas, quæ in Romana, Florentina & Gottorpienſi Bibliothecis conſervantur. Tria vero affirmantur ab hoc digniſſimo fide teſte, qui e Marcomannicis h. e. Germanis manuſcriptis hoc ſuum Alphabetum congeſſit 1.) Nordmannos & Marcomannos i. e. *Germanos* nonnullos *ad Rhenum habitantes*, qui deinceps in Galliam & Bohemiam miſere colonias, & a relicta olim patria *Nordmanni* etiam dicti ſunt, quod e Septentrione quondam progreſſi erant, his uſos eſſe literis. 2.) Ex iisdem recentiores literas Germanorum ortum ducere, & 3.) hiſce literis tractari adhuc ſuo tempore incantationes & divinationes ritu paganorum in Germania. De virtute *literarum Latinarum* in rebus magicis nihil unquam legiſſe memini, de *Runis* vero tam certa eſt, ut ſi priora etiam duo argumenta deeſſent, hoc ultimum ſufficeret ſolum, ad probandum, *Germanos olim uſos eſſe literis* R*unicis*. De cetero additum Alphabetum etiam habet WOLFG. LAZIUS *libr. 9.* affirmans, ſe illud collegiſſe *e membrana longe antiquiſſima*, ut

ipſe pag. 644. loquitur, *Francorum hiſtoriam & Caroli M. genealogiam continente.*

§. X. In Italiam quoque literæ Runicæ per Gothos, Vandalos, Longobardos, & Francos delatæ ſunt, ita ut ex iisdem vulgo dictæ Toſcanæ vel Longobardicæ formatæ ſint. Novi non neminem harum rerum peritiſſimum ſecus ſentire, atque aſſerere, *Longobardorum literas parum vel nihil cum unis Septentrionalibus commune habere.* Verum enim vero quamvis facillime largiar, Longobardos Germanas ſeu Runicas ſuas literas, quas ſecum attulerant in Italiam, (alias enim incorruptas Latinas aſſumſiſſent, ſi ante adventum ſuum nullas plane habuiſſent,) ſucceſſu temporis *magis magisque ad formam Latinarum literarum pinxiſſe*, ſicut tandem etiam Latinam lingvam didicere, & ex ea hodiernam Italicam effecere, quamvis etiam ſciam, quod neſcio quos Orientales in ſubſcribendis vocalibus dicti Longobardi quandoque imitati ſint: manifeſta tamen Runarum veſtigia etiam in eorundem inveniuntur Alphabeto. Sic literæ N. h. I. i. N. n. X. t. Longobardorum etiam in nonnullis Alphabetis Runicis eadem plane figura & valore reperiuntur. vid. HISKESII *Tab. II pag. 4. Germ. Island.* Quod ſi vero nullas plane ſecum literas e ſua patria in Italiam Longobardi attuliſſent, cur Latinæ literæ ab ipſis ita detor-

tæ fuiſſent; & unde dictæ figuræ in Alphabeto alias Latino?

§. XI. Gothos vel Getas detuliſſe e Gothia has quoque literas in Daciam, ibique uſos eſſe illis, donec *Ulphilicum* ex iisdem confectum ſit *Alphabetum*, non ſolum viri in hiſce ſtudiis verſatiſſimi conſenſu unanimi teſtantur, verum & inſpectio argentei codicis edocet. Literæ λ. a. & l. o. eædem plane ſunt in codice Argenteo & ſcriptis Runicis. Sed ut de affinitate lingvæ Runicæ, quæ eadem fuit quam Islandicæ, & Greticæ vel Gothicæ, L. B. judicare poſſit, exempli loco Orationem Domin. Islandicam, quod in plurimis convenit cum recentiore Runica, quam habet CHAMBERLAYNIUS *Orat. Dom. pag. 45.* & Gothicam literis Latinis addimus:

Orat. Dom. Goth.

Atta unſar thu in himinam. Veih nai namo thein. Quimai thiu dinaſſus theins. Vaiitbai vilja theins, ſue in himina, jabana airthai. Hlaif unſarana thana ſinteinan giſuns himmadaga. Jab aflet uns thatei ſkulans ſi jaima ſua ſve jab veis afletam thaim ſkulam unſaraim. Jab ni briggais uns in fraiſtubnjai. Arlauſei uns af thamma ubitin. Unte theina iſt thiud anjardi, jab maths, jab vulthus, in aivins. Amen.

Orat. Dom. Island.

Fader vor thu ſemert a Himnum. Helgeſt thitt Nafn. Tilkome thit Ryke. Verde thinn vilie, ſo a Jordu, ſem a Himne. Gieff thu oſſi dag vort daglegt Braud. *Og fiergieff oſſ vorar skullder, ſo ſem vier ſyerergiefun vorum Skuldinautum. Og inleid oſſecke i Freiſtne. Heldr Frelſa thu oſſ fra illu. Thujad thitt er Ryked, og Maatr, og Dyrd, in alld er allda.* Amen.

Voces plurimæ parum diſcrepant, & manifeſto ſunt Germanæ, in utraque verſione, nonnullas tamen Gothi in Vallachia viventes, vel in itinere e Septentrione, vel deinceps habitantes inter populos Slavonicos ex eorum lingvis aſſumſerunt. v. g. *atta* i. e. pater, *blaif* (gleba Polonice) panis &c. licet & hæ ad antiquiſſimam originem Germanam trahi poſſint. Eleganter hac de re ita ſcribit RUDBECK. *At. T. I. c. 38. §. 3. p. 834. Proinde nihil verius aut certius, quam Gothos, expeditionem in Thraciam ſeculo p. C. n. 4. facientes, Runas quoque noſtras, quæ 16. fuerunt, pluribus literis Græcis & Latinis auxiſſe, donec 25. fierent, quas Cl. Junius in ſuo ad Ulphilam Alphabeto Runico, & Cl. Verelius Runogr. c. 13. p. 69. inſtituta Runarum noſtrarum cum Ulphilanis collatione recenſent. Unde equidem manifeſtum*

evadit, Alphabetum Ulphilanum non ſolum noſtro plenius profectiusq́ eſſe, ſed etiam in id receptas eſſe Runas noſtras. Conf. Diſp. de ULPHILA, a Cl. M. HEUPELIO habita *Witth. 1693. in Notis ad §. I. lit. n.*

§. XII. Ad Germanos nunc pedem promoveo, vixque credere poſſum Dn. Prof. LYSERUM non habere perſpicuum, quid circa hæc Goldaſtus, Lambecius, aliique prodiderint memoriæ, de hic illic in Germania latentibus monumentis antiquiſſimis. Non ſine ſingulari animi delectatione legi nuper Tom. V. *Miſc. Lipſ. Obſ.* 97. epiſtolam quandam B. DN. D. SCHUBARTI, *Eloqu. & Hiſtor. quondam Prof. Celeberrimi in Acad. Jen.* quam Cl. Dn. M. GRUNDMANNUS dictis Miſc. addidit, eoque omnes, quicunque hæc ſtudia æſtimant, non parum ſibi obligavit, & a me in primis ingentem iniit gratiam, quia laudata hac epiſtola quædam continentur, *præcipue p.* 43. quæ ego hactenus omni defendi ſtudio, licet ne nomen quidem SCHUBARTI mihi notum fuerit. De cetero quanquam ætati & forte fatis auctoris tribuendum eſt, quod circa finem epiſtolæ ſentit, idemque contra ipſum urgeri poſſit, nempe *ambitione agi,, qui circa culturam lingvæ Germanorum occupati ſint*: interim non inepte dictæ linguæ hiſtoriam breviter expoſuit, & præcipue de antiquiſſimis eorundem literis gravi judicio veritatem de-

fendit. Ut ne igitur ipſius verba exſcribam, & quod alibi expoſui, (*conf. Diſſ. m. contr. W. §. 15.*) repetam, tam ad laudatas SCHUBARTI literas, quam ad dictas meas qualeſcunque lucubrationes *Cl. Dn. Profeſſ.* LYSERVM ablego.

§. XIII. De nummis, ad quos provocat Cl. LYSERUS, jam ante non nihil dixi; quod ſi vero urgeat, cur non in Germania facti reperiantur literis Runicis inſcripti? reſpondeo cum Tacito c. 5. de Mor. Germ. *Deos aut iratos aut propitios uſum Germanis negaviſſe pecuniæ.* Interim & nummos Runicis literis inſignitos vidiſſe memini, quos ſine dubio cuderunt Gothi illo tempore, ubi a vicinis ſuis vel illis populis, cum quibus in aliqua mixti fuere regione, uſum pecuniæ didicerunt. Exempli loco unicum proferam illorum, quorum antea facta mentio, nempe nummum, *in Frontiſpicio* hujus *Tomi IX.* & quidem *Figura II. occurrentem*, & quem exhibet WORMIVS Literatura Danica ſ. Runica, pag. 71. ex Antonii Auguſtini Archi-Epiſc. Taraconenſis Dialogis, & quidem editione Italica *Dial. 6. p. 193.* Bene monet laudatus WORMIUS, quod dictus Antonius expers plane literaturæ Runicæ fruſtra defatigaverit ingenium in explicando epigrammate hujus nummi, tandem concludens:

deus: il piu certo é che non le intendiamo. Ipſa inſcriptio hæc eſt:



De tempore, quo confectus ſit, WORMIVS recte ſtatuit, quod cuſus ſit durante regno in Hiſpania Gothorum; explicationem vero non addit, neque ego audeo conjecturam adjicere, ne mihi accidat, quod nonnullis olim monachis in Hiſpania, qui invento quodam lapide, cui inſculptæ erant hæ literæ: SVIAR, hoc monimentum eſſe credebant, *Sancti VIARIS* cujusdam, nec deerant, qui hujus Sancti vitam, & hiſtoriam exponebant. Sed cum in eo eſſent, ut fundamentum ponerent ædis cujusdam, quam in honorem hujus Sancti extruere volebant, duos adhuc reperiebant lapides, quos ſupra dicto tanquam medio adpoſitos fuiſſe videbant. Alter continebat has literas TERMINU, alter UM. Cum itaque conjungerent ſcripturam, exinde naſcebantur verba: TERMINVS VIARVM; atque ita *Sanctus* ille V*iar* in lapidem tranſformabatur. Hæc vero, ſalvo aliorum judicio de iſta re aſſerere licebit: ᛏ. ᛋ. ᛘ vel ᛘ i. e. T. S. M. ſunt Runæ antiquæ, & eædem inveniuntur in Cippis Svecicis, Norvagicis & Anglicis; litera ᛋ i. e. S, &

S. & ita ſcribitur N. ut eſt in fine vocis, ſed L. U. & G. recentiores figuræ ſunt. Si quis igitur ingenij experiri vellet vires, dicere poſſet, eſſe nomen viri *Mug.* cum articulo Gothico, & terminatione Latina *us. Mug*, heros (valens) forte nomen fuit a *Moe* radice Runica vel Islandica, unde hodiernum noſtrum *moegen, vermoegen.* Articuli vero loco præpoſita forte eſt litera Runica þ, quæ etiam per ᛏᚺ poteſt exprimi, & efferebatur, ut Anglorum *th.* Hanc enim tanquam articulum proponi Subſtantivis Runicis, *præcipue in caſibus obliquis*, poſſet multis exemplis demonſtrari. *Pagaſus* & *corona* vel *roſa addita* celerem herois adventum ejusdemque victoriam denotaſſe potuit. Sed ex ſuo quisque ingenio demat vel addat quidlibet. Danorum & Saxonum nummos in Anglia cuſos, quos Gothico-Latinos DN. LYSERVS vocat, charactere quidem recentiore, nempe Anglico-Saxonico, cui tamen Runicæ literaturæ multa & manifeſta inſunt veſtigia, magno exhibet numero ANDREAS FOUNTAINE ante cit. libro, cui titulus: Numiſmata Anglo-Saxonica & Anglo-Danica. Plures nummos Runicos ſi quis videre vult, adeſt etiam LAURENZENII *Muſeum Regium*, vel, quæ nonnullos eorundem excerpſerunt, *Act. Erud. Lipſ. Ao. 1710. p. 288.*

§. XIV. Ad meam denique quod attinet

ſententiam, ſtatuo, *literas Runicas eſſe revera Japheticas, quas Septentrionales æque populi, quam Græci primo ſuo ex oriente in patriam adventu attulerint*. Maxima ſane eſt vetuſtiſſimarum Inſcriptionum Græcarum, ſicut GRUTERUS eas exhibet, cum literis Runicis convenientia. Græci fatentur, ſe ab initio pauciores habuiſſe literas; illud etiam de Runicis valet, quarum primo non niſi *undecim aut duodecim* fuerunt, quæ deinceps *quatuor vel quinque novis auctæ* ſint, ut, quemadmodum Græci, cum quibus magna olim fuit populis Septentrionalibus amicitia, ſedecim literas & hi haberent. CADMUS ſi aliquis unquam fuit, atque Græcos in literatura inſtruxit, *reformator* certe *fuit Alphabeti Japhetici* i. e. vetuſtiſſimi Græci, *non inventor*. Eo demum tempore, quo Chriſtianiſmus cœpit illuſtrare Septentrionem, crevit literarum Runicarum numerus ad Latinorum atque Græcorum recentiſſimam rationem. Hiſce literis Runicis uſi ſunt omnes populi, qui vel Gothorum vel Nordmannorum & Marcomannorum vel quocunque demum nomine e *Septentrione tanquam vagina gentium* prodierunt, aliaque ſibi domicilia quæſiverunt, easque Germaniam undiquaque pervagantes ad minimum docuiſſent Teutonas, ſi vel maxime hi eas antea plane ignoraſſent, unde ſine dubio audiendi ſunt illi, qui hanc ſententiam, *quod*

Germana lingua non niſi a Rudolphi I. tempore ſcribi ceperit, tanquam jam olim refutatam atque exploſam rident. Huc pertinet LAZIVS, HARSDOERFFERVS, ut MORHOFFIVM taceam. *Conf. Miſc. Lipſ. Tom. III. p. 242. & Tom. V. p. 44.* Adde WEGENERI *Comment. in Onomaſt. Luth. p. 232.* Et jam Aventinus ſe oppoſuit erroneæ huic opinioni, aſſerens: *Germanos ante Rudolphi tempora aut Gothicis uſos eſſe literis aut Græcis*, citante GESNERO *Mithr. p. m. 39.* Sed dicendum ipſi erat, *& Gothicis & Græcis.* De Gothicis jam dictum eſt, de Græcis teſtem habemus Cæſarem & Tacitum. Quid, quod noſtro tempore effoſſa ſit tabula *in Cygneo agro*, cui Græcus ſermo literis Græcis inſcriptus fuit. Vide SCHVRZFLEISCH. Diſſ. *de rebus memorabilibus Jutreboci in notis ad §. 7. pag. 39.* Neque ego primus de literis Japheticis ita ſentio, ut adverſarius quidem meo exiſtimat aliquis: Sed recepta hæc eſt ipſorum opinio, qui *in Antiquitatibus Germanicis* exponendis ſtudium & tempus ſuum collocarunt. Liceat inter alios adducere teſtimonium GODOFREDI WEGENERI, qui in Commentario ſuo ad Onomaſticum B. Lutheri ita diſſerit p. 53. *Es iſt gewiß, daß vor Caroli M. des erſten Teutſchen Kayſers Zeiten unſere Vorfahren ſolche Schrifft und Buchſtaben nicht gebrauchet, als wir itzo haben; ſondern es hat der Teut-*

ſchen

ſchen Ertz-Vater Tuitſch, oder Tuiſco, wie viel Hiſtorici einhellig bekrafftigen, beſondere Schrifft und Buchſtaben erſtlich erfunden, oder ja aus des lieben Noah Anweiſung aus Orient mit in Teutſchland gebracht (poſterius magis credibile priori) derer Kunde und Ubung Kœnig Ingewon, (der zu Zeiten Abraham, da Sodom mit Feuer verdorben, regieret) bey ſeinen Teutſchen in Orient angerichtet habe &c.

§. XV. Vt breviſſimis etiam ad reliqua minoris momenti *Dn. Prof. LYSERI* dubia nonnihil regeram, Voſſius & Vulcanus non modo hiſtoriæ teſtimonio, ſed rei etiam nituntur veritate, ut quilibet facile e collatione argentei codicis, & Runarum ſeptentrionalium videbit. *Vid. ſupra §. VII.* Ignotus eſt mihi ille Scriptor, qui aſſeruit, quod recte negat DN. LYSERVS, quod Ulphilicæ literæ eædem ſint, quam Gothicæ, licet ego aliique dixerint, Vlphilæ literas e Gothicis eſſe formatas, & ab Vlphilæ tempore omnes literas, non Græcas nec Latinas in Europa generali nomine GOTHICAS eſſe dictas. *Vid Miſc. Lipſ. Tom. III. pag. 244.* Cautiones, quas *Celeb.* DN. LYSERVS dedit *de Principiis qvibusdam generalioribus in ſtudio Lingvarum obſervandis*, maximam partem mihi placent. Pauca vero, quæ contra easdem forte monere poſſem, commodiore occaſione proferre non intermittam. Hæc fue-

fuerunt, quæ hac occaſione monenda eſſe judicavi, ſingulorum ulteriorem probationem libellus noſter ante citatus ſuppeditabit. Interim hiſce paucis jam *ad Mantiſſam Dn. Prof. Lyſeri reſpondiſſe* ſufficiat.

Clariſſimo Viro AND. FOUNTAINE Equiti Aurato GEORG. HICKESIUS. * S. P. D.

D*um ſub prelo eſſet* de Numiſmatibus Saxonicis & Dano-Saxonicis *diſſertatio Tua, Vir Doctiſſime, ad me miſit* Clypeum argenteum *ejusdem peripheriæ, quam in icone illius ex adverſo vides, Reverendus & pereruditus* JOHANN. TAYLOR Eccleſiæ paroch. de Harlovv in Com. Eſſex. Vicarius & Eccleſiæ Cathedr. Petroburgenſis Canonicus. *Repertus erat ante X. annos a colono quodam, qui illum forte cum terra vertebat, dum aratro proſcinderet agrum*

* *Hickeſii epiſtolam, ad explicationem Scuti iſtius maxime facientem, addidimus.*

agrum quendam, qui juxta Sutton *jacet, Inſulæ, quam vocant,* Elienſis *oppidum. In lamina plumbi, cum quinque magni ponderis & pretii aureis annulis, centum Nummis argenteis, Wilhelmo Conqueſtore regnante percuſſis, catinoque argenteo, cui nihil inſcriptum erat, ipſe qui in ora ſuperficiei concavæ inſcriptionem Dano-Saxonicam præ ſe ferebat, affabre erat coagmentatus. Hunc igitur, qui inter Antiquitates Saxonicas locum ſibi vendicare videbatur, ne in opere noſtro ſculptum collocare gravarer, monebant quidam* φιλαρχαῖοι, *præſertim in literis ad me datis vir præclarus* JOHANNES COVELL, Collegio Chriſti apud Cantabrigienſes præfectus. *Res etiam ipſa monebat, ut a quo conſumendo tempus omnium edax forte temperaſſet, id publici juris faciendo, poſteris & æternitati donarem. Quamobrem, cum de loco illi deſtinando mecum cogitarem, nullus alius antiquæ Literaturæ Septentrionalis duobus in libris magis idoneus viſus eſt, quam is, qui Numiſmata Tua continuo ſequeretur, tum quod a re nummaria non prorſus alienum cum foret, cum Tuis id connecti Te non moleſte laturum crederem;*

tum

tum etiam maxime, quod in fine Numiſmatum a Te explicatorum locum opportunum nactus eſſe viderer, in quo gratum ac beneficiorum memorem animum in Te meum oblato hoc munuſculo declararem; qui cum magni laboris, majoris ſumtus, & maximi quidem ingenii ac doctrinæ libello Tuo opus meum ornare ac amplificare voluiſti. Accipe igitur pro ſumma humanitate Tua Tabellam hanc, quam perinde officii in Te mei, ac antiquorum temporum Monumentum in duabus faciebus exhibeo; quarum ambæ prototypum clypeum ad magicum uſum eſſe fabre factum ſvadent. Id ut credam faciunt, Primo, Gyri Runici qui in ſuperficie convexa cernuntur, quamvis Runarum expertes. Secundo, Runæ ſive potius Runarum jugationes, ut opinor, Magicæ, quas cælatas in fragmento anſæ argenteæ illi clavis umbellatis fixæ (qua quis prehenſum tenebat Clypeum) ſuperficies Concava oſtendit. Tertio, ipſa inſcriptio, quam Incantamenti genus eſſe conſtat; quo quisquis Clypeum in prœlio portabat, a metu Mortis ſecurus factus, ſe invulnerabilem eſſe putabat. Sic autem a ſigno Crucis diſtinctis verbis inſcriptio legenda eſt:

†

† ÆDVVEN MEA GAGEHY O DRIHTEN DRIHTEN HINE A Y ÆRIB DE ME HIRE ÆT FERIE BVTON HYOM SELLE HIRE AGENES YILLES.

Vt vero magis & incantatoribus, iisve qui ſe tales fingunt, ſuum arcani ſermonis genus ſemper eſt, quo in ſuperſtitioſorum animis fidem & reverentiam creent: Sic iſta, quæ ſuppoſitis punctis notavi, ex Magico iſto & occulto verborum genere eſſe cenſeo, utpote quæ nihil, quod ſcio, ſignificant: aut ſi quid forte ſignificent, illorum ſenſum me prorſus latere fateor. Reliqua autem Inſcriptionis pars, ſic, ni fallor, Latine interpretari fas eſt:

O DOMINE DOMINE! ILLUM SEMPER DEFENDE, QVI ME SECVM CIRCUMGESTAVERIT; ILLI VOTA SUA CONCEDE. *Hæc* precationis formula *adeo conſecratos & quaſi munitos Clypeos,* ἀποτροπαίους *eſſe factos, ignari creduli que cujusvis ordinis homines exiſtimabant. Adeo, ut qui id genus ullum contra plagas* quaſi Amuletum *in prœlio geſtaret, ſecurus a metu vulnerum pugnaret.*

Supra dixi, Clypeum hic exhibitum in

agro

agro quodam Inſulæ Elienſis *eſſe inventum. Quæ paluſtris regio, eaque maxima, cum olim eſſet, loci ingenio freti Proceres quidam Angli contra* GUILIELMUM CONQUESTOREM *arma illic movebant. Hinc vero ſimile eſſe puto, illum cum Gaza, quæ cum eo applumbata erat reperta, Magnatis alicuius fuiſſe peculium, qui cum aliis Normannici jugi impatientibus in paludoſa terra, Natura adeo munita, a Normannis novis Dominis ſe ſuosque cum armis tutari voluit. Hæc ad* Te *raptim, verbis tantum non extemporalibus ſcripſi, celeberrime Fountaini. Quæ oratum candidum Lectorem velim, usque adeo ut accipiat, donec aut* Tu, Tuusve *Williſius, avo* Thoma *nepos digniſſimus, aut alius aliquis rei Antiquariæ ſcientia vobis par, rei tam ſpiſſa Nocte obvolutæ uberiorem Lucem accerſat. Vale. Dabam pridie Kal. Octob. Anno Dom.*

MDCCIV.

Obſervatio CC.

M. JOH. LAURENTII MOSHEIM, Lubecenſis, De

Loco vexato Æl. Lampridii: SANCTUM NOMEN *in penetrale DEI ſui* tranſtulit.

Probatur hac Obſ. per *Sanctum nomen* ATTYN, *Cybeles amaſium*, intelligi.

Jure TVO a me poſtulas, PEZOLDE *Ampliſſime*, ut quas conſignare cœpi *de litterario ſtudio Cogitationes* * quales-cumque, quam id fieri poſſit celeriter abſolvam, ne elegantiſſima TUA Miſcellanea defectu quodam laborare diu videantur. In ære, fateor, TVO ſum, nec tam TVO, quam omnium, qui nugas noſtras aliquid eſſe putant, qui, ne permoleſto fe-

Tom. IX. Obſ. 200. & 201. S rant

* *Partem primam* Cogitationum de ſtudio litterario *Erud:tiſſimus hic* DN. DE MOSHEIM Tom. VI. Miſcell. Lipſ. p. 63. ad p. 82. *communicavit, quæ legi meretur.*

rant animo, datam a me fidem aliquando tardius liberari, nihil pertimeſcendum eſt. Ego vero etiamſi noſtro labore litteratos cives facile carere poſſe intelligam, quam tamen vellem, ne lenocinii nomen jure quodam videri poſſim. Sed, cum citra meam culpam iſtud mihi periculum ſubeundum ſit, non defore ſpero, æquos videlicet rerum æſtimatores, qui cunctationem noſtram a vitio remotam eſſe judicabunt. Eo ſcilicet in loco meæ res ſunt, ut ab otio omnium maxime relictus mox huc, mox illuc ferar, continuaque negotiorum ſerie premar certe, ſi non obruar. Ex quo magis ſua ſeſe gravitate iſta commendant, eo citius ad tranquilliorem ſtatum, qualem huius generis labores requirunt, omnes intercludunt aditus. Ipſæ illæ horæ, quæ ab opere mihi relinquuntur vacuæ, invitum penitus ab elegantioribus iſtis diſtrahunt, aliarumque rerum immergunt diſquiſitionibus. Non ergo, *Vir Ampliſſime*, homini vehementer occupato propterea ſuccenſebis, quod continuationem levis opellæ *paululum cogatur differre*, donec, id quod proxime expecto, liberalius

aliquod

aliquod obtingat otium, meditationibus hiſce litterariis neceſſarium. Habe vero interea, memoris animi TIBIque addictiſſimi pignus quoddam, conjecturam, nimirum Criticam, non quidem doctam, aut acutam, fortaſſis tamen non injucundam; quæ, ſi TIBI ita videbitur, aliquem *in Miſcellaneis TVIS locum* occupare poterit, dum, quantum per ſuſceptas vitæ rationes licet, meliora poſſim ſubmittere. Conatum ſane, ſi TVVM recte perſpexi animum, non adſpernaberis, quantumvis ipſum merito adſpernanda videatur. AELII forte LAMPRIDII, aut ſi major Palatinis Excerptis, ab Ill. SALMASIO laudatis, 1.) fides, SPARTIANI, ſi Summo Viro, HENRICO DODWELLO, qui diligentiſſime omnes hiſtoriæ Auguſtæ, ut vocant, Scriptores excuſſit, credamus, JVLII CAPITOLINI 2.) vitam ANTONINI HELIOGABALI hiſce evoluebam diebus, cum ecce! neſcio quo fato, ſta-

 tim

1.) *Notis ad Scriptores Hiſtor. Aug. Tom. I. p. m. 790. ed.* Hackianæ.

2.) *Vid. Dodwelli Prælect. Cambdenianas, Prælect. III. Proœmiali §. III. p. 71. 72. Oxon. 1692. 8.*

tum mihi occurrit locus vexatus: 3.) *Affixit autem caput inter præciſos phanaticos, & genitalia ſibi devinxit, & omnia fecit quæ Galli facere ſolent: ablatumque SANCTVM NOMEN in penetrale DEI ſui tranſtulit.*

Criticos, eosque maximi nominis, circa SANCTUM NOMEN hic hærere videbam. V. C. ISAACVS CASAVBONVS, NVMEN, eleganti certe conjectura, emendat. Rectius vero JANVS GRVTERVS vocem illam plane expungit, eo quod Palatini & Gallici Codices manu exarati eam ignorarent. Conſentit huic CLAVDIVS SALMASIVS, qui, ut CASAVBONI lectionem penitus evertat, addit: *Non moris eſſe pedeſtribus auctoribus NVMINA vocare ſimulacra Deorum.* Curate ſatis hæc a Viris doctis animadverſa ſunt: nec ego tantis nominibus ullo modo refragari auſim. Id vero neſcio, an verba illa: *SANCTVM in penetrale DEI ſui tranſtulit*, recte *de typo matris Deûm*, LAMPRIDIO paullo ante memorato, cuncti ceperint interpretes?

3.) *T. I. Script. Hiſt. Aug. p. 805. 806. 807.*

tes? Si, quid vere ſentiam, dicendum ſit, ſalva reverentia manibus ſummorum virorum debita; veram LAMPRIDII mentem neutiquam eos tetigiſſe, adfirmarem. Ego quidem per SANCTVM non alium quam ATYN, ſeu ATTYN *Matris Deûm amaſium*, cujus in ſacris hujus ſolennis frequensque erat memoria, intelligendum eſſe, putem. Præterquam enim, quod de typo illo ab Heliogabalo erepto jam ſupra LAMPRIDIUS dixerat: *Tauroboliatus eſt, ut typum eriperet*, quæ, ut paullo poſt repeteret, non erat neceſſarium, mentio Gallorum, quos ATY ſacra feciſſe vel ex LACTANTIO 4.) ISAACO VOSSIO, 5.) infinitisque aliis conſtat, rem ſatis manifeſte declarat. Quorum cum hic ſignate ritus ſuſcepiſſe dicatur HELIODABALUS, num de alio quam ATY hic cogitari poſſit, equidem dubito. Conjunctus præteterea ſemper huic Matri Deûm ſeu CYBELE erat ATTYS, qua propter ſuaviſſimo

4.) *Divinar. Inſtitut. L. I. c. XVII. p. 108. ed. Cl.* Walchii,

5.) *Obſervationibus in* Catulli Atyn. S. Attyn *p. 163. ſ.*

LVCIANO 6.) hæc τὸν Ἄττιν ἐπὶ τῶν λειπόντων φέρεσθαι dicitur. Idcirco non fieri poterat, quin, cum Matrem CYBELEN in Dei ſui adyta raperet HELIOGABALUS, ATYN etiam inſimul eo transferret, ne ſuo injuſte privaretur amatore; quem itaq; ab LAMPRIDIO nominari quoque, par erat. Omnium vero maxime noſtram id confirmat opinionem, quod SANCTI Titulus ATY ſpeciatim a Romanis datus fuit. ARNOBIUS: 7.) *Nonne illum Atym Phrigem abſciſſum & ſpoliatum viro, magnæ Matris in adytis, Deum propitium, DEUM SANCTUM Gallorum conclamatione teſtamini.* Quid ergo hoc evidentiq eſſe poteſt, κατ' ἐξοχὴν hic etiam per SANCTVM, LAMPRIDIVM ATYN indicare voluiſſe? Denique & hoc accedit, quod HELIOGABALUS novum ſuum Numen ſuo nomine dedicatum SOLEM eſſe voluerit, Phœnices imitatus, qui, referente JULIO CAPI-

6.) *Tom. I. Opp. ed.* Belgicæ *p.* 365. περὶ Θυσιῶν.

7.) *Libro I. adverſus gentes, p. m.* 30. *ed. nitidæ* Deſid. Heraldi, Paris. 1605. *in* 8. *cujus utor exemplo illo, quod* Heraldus *ipſemet Summo* Scaligero *dono tranſmiſit, ut ipſius in limine libri manus indicat.*

CAPITOLINO, 8.) *Heliogabalum ſolem vocabant.* AELIUS SPARTIANUS 9.) *Fauſtinæ templum & divale nomen eripuit: certe templum quod ei ſub Tauri radicibus fundaverat olim marito Antoninus, in quo poſtea filius hujus Baſſiani Heliogabalus Antoninus ſibi vel Jovi Syrio, vel* NB. *Soli templum fecit.* LAMPRIDIUS 10.) *Opera publica ipſius præter ædem Heliogabali Dei, quem SOLEM alii, alii Jovem dicunt - - nulla extant.* Idem DIO CASSIUS 11.) idem alii docent, quos enumerare nihil nunc adtinet. At vero ATTYN Solem eſſe, dicebant. Romani, ut ex ARNOBIO 12.) aliisque conſtat. Hinc apud SALMASIUM 13.) in antiquis inſcriptionibus MENOTYRANNUS, quaſi menſium dominator, dicitur. Quocirca, ſi ſuum Numen Solem eſſe, & Solis in-

S 4 ſtar

8.) *In vita Opilii Macrini T. I. Hiſt. Aug. p. m. 759.*

9.) *In vita Caracallæ T. I. Hiſt, Aug. p. 732.*

10.) *In vita Heliogabali p. m. 826.*

11.) *Hiſtoria Romana Lib. LXXVIII. p. 899. ed.* Francof. 1592. 8.

12.) *Lib. V. adverſus gentes p. m. 234.*

13.) *Notis ad* LAMPRIDII *Heliogabalum p. 805.*

ſtar coli cupiebat HELIOGABALUS, id proximum erat, ut ATTYS, quemadmodum Deorum reliqui, ſuo faſces ſubmitteret, in ejusque deportaretur ſacrarium.

Propoſita hæc ita promtaque eſſe exiſtimo, ut plura adjicere, præter rem neceſſitatemque fore putem. Commentatoris vero vice hic non fungor: facili alias negotio de ATTY, priſcis Scriptoribus admodum decantato, plura commemorare poſſem. Id mihi obſervare liceat, minime enim cum aliis hujus nominis confundendum eſſe, ATTY, Lydorum Regis Crœſi filio, de quo paſſim veteres, ATTY, Lydorum Rege, Manis filio, de quo HERODOTVS 14.) aliique. Prolixius de eo egit JO. LUDOV. VIVES, Vir egregie doctus, 15.) Quam variæ vero dubiæque de eo inter veteres ſint ſententiæ, ac narrationes, vel ex ARNOBIO 16.) & LU-

14.) *Hiſtoriarum Lib. I. cap. VII. p. 4. c. XCIV. p. 40. L. VII. c. LXXIV. p. 409. edit.* Francof. Jungermanni.

15.) *Ad* Auguſtinum *de Civit. Dei, Lib. I. c. IV. p. 1561,* Paris 1613. fol.

16.) *Lib. V. contra gentes, p. m. 200. 234.*

LUCIANO 17.) intelligi poterit, quibus in CATULLI ATTYN commentatores, maxime doctiſſimus vir, ISAACUS VOSSIUS, adjungendi ſunt. NERONEM Auguſtum ATTYN & Bachas coram magno militum numero & univerſo populo ceciniſſe auctor eſt DIO CASSIUS, 18.) unde quanti Romanis, quamque celebris fuerit, liquet. Aureum Dei hujus fuiſſe ſimulacrum LUCIANUS 19.) docet, apud quem BENDIS, ANUBIS, ATTIS & MITHRES ὅλοι ὁλόχρυσοι, καὶ βαρεῖς, καὶ πολυτίμητοι dicuntur. Ab eodem cum PANE & SABAZIO inter τοὺς μετοίκους καὶ ἀμφιβόλους θεοὺς, collocatur. 20.) Gentilium ſapientiores, more ſuo, omnes de ATTY narrationes in meras convertebant Allegorias, ne ſcilicet riſum deberent Chriſtianis, aliisque cordatioribus. Fabulas eſſe, quæ de ejus & CYBELES amoribus referantur, ſine tergiverſatione confitetur PLUTARCHUS.

17.) *De Dea Syria* T. *II. Opp. p.* 662. 663. *Conf. Dialogi Deorum* T. *I. p.* 206.

18.) *Hiſt. Rom. lib. LXI. p. m.* 697.

19.) *Jove Tragœdo*, T. *II. Opp. p.* 132.

20.) *Icaro-Menippo*, T. *II. Opp. p.* 207.

21.) Ingenioſius alii, ut ſupra monui, Solem eſſe dicebant, quos falſe perſtringit ARNOBIUS. 22.) PORPHYRIUS vero, pro eo, quo valebat, acumine, flores, eorumque prematurum interitum iſta de ATTY fabula adumbrari, ſapienter præcipiebat. 23.) Elegans ſane tanti, ut ſibi videbatur, viri commentum. Tantum ſcilicet myſterium eſt, florum occaſus & ortus, omnium quotidie expoſitus oculis, ut involucris fabularum indigeat, ne, ut conjicio, in metum & ſtuporem ſubito converterentur homines! Sed vide, quam ſuaviter hominis coërceat ſtuporem optimus AUGUSTINUS: 24.) invito fortaſſis EDMUNDO DICKINSONIO, cui perſuaſum eſt, 25.) Ῥεαν gentilium nihil aliud eſſe, quam *per anagrammatiſmi metamorphoſin*, ut ſuperciliose loquitur, Ἔραν, nempe terram.

21.) *In Numa. Vitarum parallel.* T. I. *p.* 112. *ed.* Francof. 1592. 8.

22.) *Lib. V. in gentes p.* 234.

23.) *E libro de ratione naturali Deorum, ut Cl.* VIVES *citat ad* AUGUSTINUM *de* C. D. *p.* 1651.

24.) *De Civit. Dei, Lib. VII. c. XXV. p. m.* 438.

25.) *Diatriba de Noa in Italiam adventu, ejusque nominibus Ethnicis, p.* 176. *ed.* Thom. Crenii.

ram. Quo pacto ſaluus eſſet PORPHYRIUS, niſi forte utrumque ſomnia ſibi finxiſſe, iſtum malo, hunc bono conſilio, quis diceret.

Sed quo feror? Alibi hæc diſcutiuntur, &, ſi DEus valetudoque permiſerint, a me diſcutientur in *Libro, de ſtudii myſtici & allegorici inter Gentiles veſtigiis & præceptis*, quo fabulas interpretandi rationem, illis in more poſitam, quo potero, ſtudio perſecuturus ſum. Hic itaque deſino, cum præfixos mihi limites jam præter opinionem meam migraverim.

TUUM erit, Vir Ampliſſime, indicare, quo numero locoque noſtra hæc hariolatio habenda ſit. Teneat, niſi TU aliter ſentias, interim in TVIS Miſcellaneis locum quendam, meque acutiorum experiatur judicium. Ego, ſi quis umquam, meliora docenti facillimas aures præbiturus ſum. Ita vale, mihique porro fave. Dabam Kiliæ d. XX. Januar. MDCCXVIII.

Ob-

Obſervatio CCI.

PETRI SIGISMUNDI PAPENII,

Reg. Soc. Scient. Pruſſ. Membri, & ad D. Petri Coloniæ ad Spream V. D. M.

in locum

Jesaiæ V. 1.

Dilectus, cujus eſt Vinea, & in cujus honorem cecinit Propheta Canticum amati ſui.

§. 1.

Rationes, quod Propheta per ſuum יְדִיד ipſum Chriſtum intelligat, ſuppeditat VITRINGA ſequentes: *α*) quia officia ſ. beneficia, quæ hic *a dilecto* collocata dicuntur apud Iſraelitas, ut vineam, (*Vinea* enim *Domini*, eſt annotante LIGHFOOTO ad Marc. XII. 1. fol. m. 451. ex Tauchum, בֵּית־יִשְׂרָאֵל *Domus Iſraelis.*) a Jeſaia ipſo alibi referuntur ad Angelum Faciei DEI Cap. LXIII. 9. isque idem eſt, cujus

cujus regimini, curæ, providentiæ, commiſſus fuit hic populus Exod. XXII. 20. qui erat ὁ κληρονόμος vineæ Matth. XXI. 30. β.) idem eſt dilectus Prophetæ, hujus Vineæ *Dominus*, cujus hæc eſt oratio verſ. 3. Et *nunc incolæ Hieroſolymorum & viri Jehudæ judicate quæſo inter me & vineam meam.* Atqui hæc eſt oratio Domini in Evangelio ad Judæos Matth. XXI. 40. γ.) Nomen dilecti nos commonefacit de illa Perſona, ſi quæ ſit in divinitate, *quæ eſt objectum peculiaris amoris DEI & hominum*, Chriſtus nempe, in quo DEus ſibi complacet, & in quo ſibi complacent homines &c. δ.) Filius DEI, *verus ſponſus eccleſiæ & animarum credentium* omnis temporis, inſignitur ſæpius nomine דוֹד, quod non diſtat ſignificatione & origine a יָדִיד in Cantico Salomonis Cap. I. 13. II. 3. fol. m. 119. ſq.

§. 2. Manifeſtat proinde Propheta hoc ipſo titulo *ſuum intenſiſſimum amorem unionis & deſiderii in Chriſtum*, quem fide poſſidebat, ſicuti *Eva*, inquiens Gen. IV. 1. קָנִיתִי אִישׁ אֶת־יְהוָֹה *Poſſideo Virum, Jehovam ipſum*, poſſideo, fide nempe, qui vir Jehova eſt Chriſtus, Θεάνθρωπος. Meren-

rentur conſuli circa hæc ipſa verba Evæ SEBASTIAN SCHMIDIUS. *in Faſc, Diſpp. Theol. Philol. de fide Matris Evæ, p. m. 46. ſqq.* Et JOHANNES FRANCK in Dyade novarum obſervationum, quæ ſiſtit Aſylum piorum omnium antiquiſſimum p. 4. ſqq. Nec non complacentiæ, redamando illum amore paſſivo, in gratiam amoris Chriſti activi.

§. 3. Dicis: Eſtne amatus, cujus canticum Propheta cecinit Chriſto, idem, qui *dilectus* Prophetæ audit, Chriſtus nempe, cum inter utrumque vocabulum in fonte ידיד & דוד ſumma ſit harmonia ſignificationis? Reſp. Pro una eademque perſona habent alii. Et hoc videtur melius. Nam יְדִיד eſt is, cujus eſt vinea, ſingulari modo, quem h. l. Propheta intendit. דוד eſt etiam is, cujus eſt vinea, eodem modo. Ergo una, eademque Perſona, Chriſto videlicet, ſenſus Prophetæ verborum eſt, ſe velle canere ſuo dilecto Canticum de ipſo ſuo dilecto contra vineam ſuam. Velut alii vertunt, לְכַרְמוֹ, *propter vineam ſuam.* Non autem, *de vinea ſua*, ceu vertit LUTHERUS, cum ל vix habeat ſignificationem præpoſitionis, *de*,

ita

ita ut antecedens pro Relativo emphatice poſitum ſit. Emphaſis enim major eſt: Cantabo dilecto meo, vel cauſa ipſius dilecti mei contra vel propter vineam ſuam; quam: Cantabo dilecto meo canticum de cauſa ipſius contra vel propter vineam ipſius. Jam quod duo diverſa ſunt nomina, etiam ex Hebraiſmo eſt, in quo ſæpe pro nomine ſynonymum ejus uſurpatur. *SCHMIDIUS* ad Textum p. 26.

§. 4. Duas de ידיד seu amato (in Germanica: Vettern:) citat ſententias VITRINGA. Altera intelligit *Spiritum Sanctum*, per quem locuti ſunt Prophetæ. Altera autem *Moſem*, ex Cujus Cantico materia hujus deſumpta, & ad cujus imitamentum & exemplum hoc noſtrum compoſitum & conſcriptum eſt. Priorem vero tutiorem eſſe inquit, & hoc ipſo commendabiliorem, quod Perſonas Filii & Spiritus Sancti Propheta cognatis nominibus appellet, & Moſes denique ac ipſe per eundem locutus ſit Spiritum. Ut ut hoc ipſum ſit veriſſimum, Jeſaiam contraſſe canticum ſuum per Spiritum Sanctum, malumus tamen in ſententia SCHMIDII antea citata ſubſiſtere, ubivis in Textu ſermonem eſſe *de ſolo Chriſto*, qui infra verſ. 7 dicitur: *Jehova Zebaoth*, ut ita egregium divinitatis Chriſti argumentum habeamus: *Qui eſt Jehova Zebaoth, DEUS ſane ſummus eſt: Atqui Chriſtus &c.* Ergo! Vel ita, ut apud FORSTERUM eſt pag. 114. Vinea, de qua hic ſermo eſt Prophetæ, eſt vinea Jehovæ exercituum.

Vinea, de qua hic ſermo eſt Prophetæ, eſt vinea Jeſaiæ Patruelis,

Ergo patruelis Jeſaiæ eſt Jehova exercituum.

§. 5. GROTIUM, qui per utrumque nomen ידיד & דוד intelligit DEUM Patrem, ſicuti & CALVINUS ante Grotium fecit *in comment. ad. Jeſ. V.* refutat CALOVIUS, *ad Jeſ. V. in Bibl. illuſtrat. fol. m.* 24.

ratio-

rationem adjiciens eam, quare Propheta nominet Chriſtum, ſuum דוד, *Patruelem*, ut ſonat in verſione Germanica: Quia cognatus ei eſt, traditurque, quod Amos, Jeſaiæ Pater, Amaſiæ, Regis Judæ, qui inter Majores Chriſti ſecundum Carnem recenſetur Matth. I. 9. *frater* fuerit. Id quod FORSTERUS ita deducit clarius *in Comment. ad Jeſ. p. m.* 114. Matth. I. 9. in Genealogia Chriſti expreſſa fit mentio inter reliquos Chriſti proavos Regis Oſiæ, Oſias autem genuit Amaſiam, Amaſias vero, ut vulgo traditur, fuit frater Amoſi Patris Jeſaiæ. Amaſias igitur unus ex proavis Chriſti fuit patruus Jeſaiæ; Jeſaias vero ejusdem patruelis. Ex quo facile colligi poteſt, Chriſtum a Propheta jure ac merito pro Patruele venditari, (voce דוד ſumpta ἰδικῶς.)

§. 6. Canticum vero, quare Propheta noſter ſua ſtatim inſequentia verba, & quidem Chriſti appellaverit, ratio eſt ea, quod Spiritu noverit, Chriſtum ſuo tempore N. T. iisdem uſurum eſſe verbis contra Judæos, ſicuti & Matthæus factum eſſe teſtatur, cap. XXI. 33. ſqq. Parallelismum enim eſſe verba inter Prophetæ Jeſ. V. & Chriſti Matth. XXI. nemo inficias ire poteſt, paululum diſcriminis ſi excipiamus, quod GERHARDUS *in Harmonia ad Matth. XXI* annotavit *fol. m.* 327. *Tom. II.* Exactior ſane ratio eſt ea, quam habet CALVINUS, Chriſtum ex Cantico Ieſaiano deturbans, & ſolum Prophetæ affectum quo dixerit, verba ſua, raſpiciens, quando commentatur ad Textum: Hac igitur ratione Jeſaias hoc canticum compoſuit, ut populo fœditatem ſuam magis conſpicuam faceret. Nec vero dubium, quin iſta magnifice & magis ſonora voce tractarit, ſicuti etiam graviore artificio carmina componi ſolent. fol. m. 52.

F I N I S.

MISCELLANEA
LIPSIENSIA,

AD INCREMENTUM REI LITTERARIÆ EDITA.

TOMUS X.

LIPSIÆ,

Sumpt. *HÆREDUM* LANCKISIANORUM.

M DCC XXI.

Viro Per-Illuſtri, Generoſiſſimo, atque Excellentiſſimo,

DN. OTTONI HENRICO DE BüNAU,

Sacræ Reg. Maj. Polon. & Elect. Saxon. a Conſiliis Aulicis & Juſtitiæ, ut & intimo Referendario, nec non Curiæ Supr. Prov. Aſſeſſori ſplendidiſſimo.

Viro Illuſtri & Magnifico,

DN. D. ADRIAN. STEGERO,

Sacræ Cæſar. & Cathol. Maj. Conſilario ut & Sacræ Reg. Maj. Polon. & Elect. Saxon. a Conſiliis Aulæ & Juſtitiæ, Reipublicæ Lipſ. Conſuli, & ad D. Petri ædem Antiſtiti graviſſimo.

Viro Illuſtri atque Ampliſſimo,

DN. D. JO. AUG. HOELTZL,

a Sternſtein, Comiti Palat. Cæſ. inclytæ Acad. Lipſ. adhuc Syndico, in Curia Supr. Provinc. ac Conſiſtorio Eccleſiaſtico Cauſarum Patrono, jam Pro-Conſuli JCtiſſimo.

Viro Præ-Nobiliſſimo & Conſultiſſimo,

DN. D. CAR. FRID. ROMANO,

Urbis Lipſ. Prætori h. t. Regenti & Senatori, Facult. Jur. & Jud. Infer. Luſat. Aſſeſſ. ac Curiæ Supr. Provinc. Advocato dexterrimo.

PATRONIS MEIS

obſequioſe colendis,

Tomum X. Miſcellaneorum Lipſienſium,

Sacrum eſſe cupit

M. CAROLUS FRIDERICUS PEZOLDUS,

Fac. Philoſ. Aſſeſſ. & Scholæ Thomanæ Collega.

MÆCENATES,

Dum Patroni quærendi erant, quibus TOMUM HUNC X. MISCELLANEORUM LIPSIENSIUM debita & qua par eſt animi ſubmiſſione conſecrarem, Vos utique MÆCENATES SUMMI, in primis mihi, conſcientia officii mei freto, eligendi eratis, quorum in manibus felicitas mea eſſet poſita, & quibus ſalutem meam commendarem; Quanquam Vos maximis diſtineri occupationibus me non fugiat, propterea quod omnibus curis rempublicam Vobis tuendam arbitramini.

Igitur nuptiale Tuum feſtum, POSTRIDIE CELEBRANDUM, & Gamica tua gaudia turbanti atque interſtrepenti condonabis PER-ILLUSTRIS ATQUE EXCEL-

LEN-

LENTISSIME DN. DE BÜNAU, utpote quem & amor Tui ac reverentia, & virtutes Tuæ excellentiſſimæ impellunt, ut inter lætantes gratulantesque & ego connumerari exoptem. Cum enim aliis aditus ad Te pateat, quidni etiam VETERANO ANTHOLOGO in optatis ſit & liceat, Te abſentem & jam in ſinu gaudentem venerari, Tibique, juxta cum GENEROSISSIMA TUA ET SUAVISSIMA DE DOERING, felicia quævis adprecari?

Si mecum lætantur SOMMER. & WALCHIUS Tui, quin & mei, quis vitio mihi vertet, ſi publice, quo in te obſequio ferar, teſtor, cum, Cicerone teſte, non minus noſtra ſint, quæ animo complectimur, quam quæ oculis intuemur.

Novi incomparabilem Tuam eruditionem, dum ſtudia ad honorem diſpoſuiſti, novi in capi-

endis exſequendisque conſiliis dexteritatem, candorem Tuum, ac fidem, ſimul & inſignem bonas litteras promovendi ardorem, quæ cuncta AUGUSTISSIMUM NOSTRUM PATRIÆ PATREM jam dudum eo adegerunt, ut TE CONSILIARIO graviſſimo, ſapientiſſimoque REFERENDARIO uti conſtituerit, non ob Parentis tantum Optimi & Summi, CANCELLARII SAXONICI ILLUSTRISSIMI, ſed ob propria etiam merita, quibus Saxoniam totam quotidie magis magisque Tibi devincire niteris, & quibus rem litterariam adflictam, miſeris temporibus & perditis moribus, in veterem dignitatem ac decus vindicaturus, & magnam mali molem ab noſtris cervicib9 in poſterum repulſurus videris.

Macte ſumma Tua virtute, res tuas porro feliciter age atque

ANTHO.

ANTHOLOGORUM conatibus, quorum induſtria DECIMUS JAM TOMUS MISC. LIPS. publicatur, patrocinari haud dedignare. Te enim dirigente & gratioſe adſpirante felicia ſibi fata lætaque pollicentur hæc Miſcellanea, quæ ſane innoxia non ſine commodo rei litterariæ, ac non ſine adprobatione multorum eruditorum hactenus prodiiſſe conſtat,

Te vero, ILLUSTRIS ET MAGNIFICE DN. STEGERE multis nominibus adeundum mihi eſſe, non eſt quod multis profitear, cum candor Tuus atque integritas, qua PARENTEM TUUM MERITISSIMUM imitaris, non permittant, ut virtutes Tuæ ac merita in Rempublicam Lipſienſem extantiſſima, uti fas erat, collaudentur. Fucos odiſti, doloſque averſaris, veritati ſtudens, ut non tam verbis, quam re ipſa Tibi

dedi-

deditorum felicitatem juves.

Illud tamen ſilentio præterire non poſſum, me, tot eruditis BEATI CONSULIS STEGERI diſcurſibus excitatum, & per tres fere annos tot ſalutaribus TANTI OLIM VIRI doctrinis imbutum, jamjam allici & omnino compelli, ut juxta cum probatiſſimis DE CONSULATU LIPSIENSI, nuper admodum Tibi, Filio Ejus unico, ut mereris, collato impenſe gratuler. Quemadmodum enim ultima moribundi TUI PARENTIS verba ad me, lethiferum lectum circumſtantem, lacrimasque fundentem prolata, animo meo nunquam effluent: ADSIS, ADSIS, ADSIS, SPECTATOR PUGNÆ, ET TESTIS VICTORIÆ: ſic fieri aliter non poteſt, quam ut tacito ſemper amore & debita reverentia IN DOMUM STEGERIANAM ferar, & ut quavis oblata lætandi occaſione

gaudi-

gaudium ſimul meum inſignemque lætitiam & devota vota teſter.

Servet Te Deus, STEGERE, CONSUL GRAVISSIME, per quamplures adhuc annos, ut Reipublicæ noſtræ maxime ſalutarem operam præſtare, & diutiſſime ſupereſſe ac prodeſſe valeas, quo præſtanti præſidio Eccleſiæ & Reipublicæ Te fuiſſe & nunc ſentiant homines, & in poſterum memoria teneant. In mœſtitia hactenus non raro verſatus fuiſti, inprimis cum chariſſimam tuam SCHACHERIAM lugeres: in poſterum autem Numen optimum divina ſua gratia Tibi adſit, Te regat, Tuosque cuſtodiat & tueatur, ac mihi novam ſubinde gaudendi & gratulandi materiem concedat.

Lætus jam Te adeo, ILLUSTRIS ET CONSULTIS. DN. HOELTZL,

quam Sindicum, quam Orissa diu ac inclyta noſtra Academia experitur, Quanta dexteritate, quantove fructu atque emolumento publica hactenus commoda promoveris, & quam gratus ob humaniſſimam Tuam gravitatem, ſummis infimisque extiteris, verbis vix eloqui poſſum; Siquidem humanitas Tua, vel ſumma potius ſapientia, non jucunda ſolum, ſed etiam admirabilis omnibus videtur.

Quandoquidem omnes, quibus virtutes Tuas coram intueri licet, & intimius eas perſpicere datum eſt, Te colunt ac venerantur & Te Amplissimo Pro-Consulatus Lipsiensis munere, quod nuper felicibus auſpiciis obtinuiſti, digniſſimum uno ore confitentur. Per tot temporum intervalla meritiſſimus Cauſarum Patronus, isque feliciſſimus fuiſti,

& nullum eſt dubium, quin eodem cum ſucceſſu Urbis noſtræ curam in poſterum ſuſcepturus, eique conſilio & labore non defuturus ſis, utpote quem omnes egregia eruditione, agendi prudentia, & vivida conſiliorum ſuppeditandorum ratione inſtructiſſimum eſſe norunt. Certe optimorum quorumvis opinionem non falles. Hæc Tecum lætandi, Tibique, VIR ILLUSTRIS, gratulandi occaſio ſæpius mihi obveniat, de Tuo in me meosque favore propenſiſſimo nunquam vel ambigenti vel dubitanti.

Nec ſine animi voluptate de feliciter ſuſceptis officiis CONSULTISS. DN. ROMANO gratulandum eſſe cenſeo, quem & PRÆTOREM Urbis Ampliſſimum Magnificus Senatus, & Facultatis ſuæ Aſſeſſorem Illuſtris JCtorum Ordo haud ita pridem conſtituit. TE, ROMANE MERITISSIME, non aliunde quæſita, ſed propria extulerunt merita, dum multis exantlatis laboribus, tædioſiſſimis ſæpe & periculi plenis, pro publico vigilaſti, iisque curis intentus ſemper fuiſti, quibus Superiorum Tuorum voluntati ſatisfaceres, & publicæ rei utilitatem proferres.

Hoc tuum de publico bene merendi ſtudium Deus T. O. M. larga reſarciat benignitate, & Te per multa annorum luſtra ſoſpitem ſalvumque conſervet, ut PIENTISSIMA

Tua

TUA MATER, cum tota TUA FAMILIA, de Te gaudendi multiplicem cauſam nanciſcatur. Firmiſſima ſpes me lactat, fore ut mihi meisque patrocinari, atque amore Tuo me porro quoque complecti benevole ſis perrecturus, ut Tuam erga me benevolentiam, qua toto animo de me, ac de ornamentis & commodis meis cogitas, facile perſpiciam.

Dum igitur, PATRONI & PROMOTORES, Illuſtria Veſtra ſunt in Rempublicam merita, quorum nullam partem dicendo videor aſſecutus; dum etiam obſequium meum erga Vos maximum; & favor ac ſtudium Veſtrum in humaniorum litterarum ſtudioſos eſt ampliſſimum; dum etiam honeſtos atque utiles aliorum conatus nunquam non adjuvare conamini; pium utique & juſtum erat, ut VOS cumprimis Patronos mihi ſeligendos crederem, & cum me Veſtræ Gratiæ ac Patrocinio, non enim dimitto pudorem in rogando meum; tum HÆC MISCELLANEA LIPS. Veſtro affectui commendarem. Valete MÆCENATES, fulgete Reipublicæ ſidera, & me meosque cum conatibus meis honeſtis Veſtra gratia & benevolentia porro dignamini.

Dabam Lipſiæ e muſeo, ipſis idibus Junii, A. R. S. CIↃ IↃCCXXI.

INDEX OBSERVATIONUM,
Quarum DUCENTÆ & UNA
Tomis novem prioribus occurrunt.

Obſervatio CCII. de Exterorum, præcipue Gallorum, Erroribus Geographicis, beati *Dn. Chriſtiani Gryphii*, Rectoris quondam, Profeſſoris, & Bibliothecarii Magdalenei apud Vratislavienſes, p. 1. ad p. 43.

CCIII. de Percuſſore Ægypti, ad Exod. XII, 23. *Dn. M. Henrici Scharbau*, apud Lubecenſes V. D. M. p. 44. ad p. 58.

CCIV. de Theologis ex Jure Conſultis in Primitiva Eccleſia, *Dn. M. Chriſtiani Heinrici Bræmelii*, Paſtoris Marlishuſani, p. 59. ad p. 63.

CCV. de Eruditis, mortem ſibi præſagientibus, *Dn. M. Daniel. Friderici Iani*, Con-Rectoris Torgavienſis, p. 63. ad p. 79.

CCVI. Στιγματισμὸς veterum, tam Græcorum, quam Latinorum, ex antiquitate erutus, *Dn. Jo. Auguſtini Græbelii*, p. 79. ad. p. 98.

CCVII. de vexillis in altum erigendis, & Jeſu Signifero, in cruce exaltato ad Joh. XII, 32. *Dn. M. Jacobi Bruckeri*, p. 98. ad p. 106.

CCVIII. de latronibus abſque miraculo humi procumbentibus, *Dn. M. Georg. Ludovic. Oederi*, Illuſtr. Gymnaſ. Heilsbronnenſis Colleg. Tertii, p. 107. 117.

CCIX. de eo, qui a Ceramii equo graviter delapſus eſt, *Dn. D. Dan. Guilielmi Trilleri*, Medici Martisburgenſis, a p. 118. ad p. 131.

CCX.

CCX. de Vita Chriſtiani Francken, *Dn. Caroli Adolfi Henningii*, Gymn. Berolinenſis Sub-Rectoris, p. 150. ad p. 171.

CCXI. de Valentino Weigelio, ac inprimis ejus patria, *Dn. Jacobi Fartſchii*, Con-Rectoris Haynenſis, p. 172. ad p. 183.

CCXII. de Vero Creaturarum uſu, *Dn. Godofredi Benckeri*, Paſtoris Mülroſæ Meſomarchicæ, p. 184. ad p. 212.

CCXIII. qua exhibetur Furnus, fumo non moleſtus, brevique tempore & pauciſſimis ſumtibus magnum conclave calefaciens, *Dn. Johannis Gottofredi Büchneri*, p. 213. ad p. 230. *Figuram novi* hujus *&* *commodiſſimi Furni* vide *in Frontiſpicio hujus Tomi X.* æri inciſam, *Num. I, II. III. IV. & V.*

CCXIV. Conjectura de Perſica voce אחשתרנים, Eſth. VIII, 10. 14. *Dn. Johannis Georgii Schelhornii*, p. 231. ad p. 244.

NB. (Per feſtinationem Typographi factum, ut obſervationes CCXV. CCXVI. & CCXVII. minus accurate notata ſint, cum CCXIV. p. 244. ſit XXCV. praeterea CCXV. p. 252. ſit CCXVI. & denique CCXVI. p. 260. numeranda veniat CCXVII.)

CCXV. de arbore non eradicanda ad Deuteron. XX, 19. *Dn. M. Erdmanni Bickii*, V. D. M. Eislebienſis, p. 244. ad p. 251.

CCXVI. de præmaturo obitu Viri Clariſſimi Godofredi Hechtii, Rectoris Lyc. Luccavienſis ad G. F. P. epiſtola *Dn. M. Tobiæ Eckhardi*, Gymnaſ. Quedlinburg. Rectoris, p. 252. ad p. 259.

CCXVII. de Proverbio: Omnis mutatio periculoſa, *Dn. D. Chriſtiani* Gotthülff *Blumbergii*, Superintendentis Cyguenſis, p. 260. ad p. 280.

CCXVIII. de Chriſto ſubridente Marc. X, 21. *Dn. Johannis Martini Schamelii*, Eccleſiar. Numburg. Paſt. Primarii, p. 280. ad p. 288.

CCXIX. Spicilegium Obſervationum Criticarum ad Juſtinum, *Dn. Chriſtiani Schættgenii*, Rectoris Scholæ Francofurtenſis ad Viadrum, jam Profeſſoris Stargard. p. 288. ad p. 290.

Obſer-

Obſervatio CCII.

CHRISTIANI GRYPHII,

Rectoris, Profeſſoris & Bibliothecarii Magdalenei apud Wratiſlavienſes in Sileſia, d. 6. Martii An. 1706. pie defuncti,

De

Exterorum, præcipue Gallorum, Erroribus Geographicis.*

---

* Celeberrimo Viro DN. CHRISTIANO STIEFFIO, *Rectori* ibidem, *Profeſſori, & Bibliothecario Magdaleneo* apud *Vratiſlavienſes meritiſſimo* hoc Schediaſma Gryphianum debemus, qui illud ad nos mitti benevole curavit.

§. I.

Quam ſecure, quamque neglectim hiſtoriæ ſtudium a pleriſque Exterorum noſtra ætate tractetur, indicant inepti pasſim & Voluſiani annales, qui, ut alibi, ita in Gallia imprimis, quotidie prodeant. Non hic jam annotabo, quam contra fidem hiſtoriæ, ac ejus animam, *veritatem*, ſine omni pudore peccetur, quamque circa familias illuſtres & Procerum nomina turpiter ſedent muſtei hi ſcriptores: nam erit fortasſis alio tempore ea de re diſſerendi locus. In præſentia tantum ERRORES QUOSDAM GEOGRAPHICOS, licet non omnes, (hoc enim ſtabulum Augiæ repurgare Herculei foret laboris) aſt crasſiores tamen, & qui in omnium oculos facile incurrunt, recenſebo. Neque hic quæ alii, imprimis Eruditi Actorum Lipſienſium collectores, obſervarunt, exſcribemus, ſed quæ nobis ipſis inter legendum occurrerunt, cum auditoribus noſtris communicabimus; idque ea fini, ut mature ſcorias ab auro diſcernere diſcant,

ne-

neque exterorum ſcripta inconſulte admirentur, qui ſoli ingenium in numerato habere volunt, quibus ferrei Germanorum labores, & curata induſtria ſordent adeo, ut cum BOUHURSIO quodam ſine omni fronte quærere audeant, *an in Germania quoque præclara inveniantur ingenia?* Qui homines cum ex ſuis hic veſtigiis, tanquam ex ungve Leones agnoſcantur, modeſtius in poſterum forſitan de aliorum ingeniis judicium ferent, & ſe ipſos æſtimare dediſcent.

§. 2. Merito autem a GALLIS incipimus: quoniam iſti, tanquam in arena vacua, ſoli ſe jactant, ſolique, ut in aliis, ita in Geographicis quoque ſtudijs, regnare cupiunt. Abſit vero, ut egregios BAUDRANDI, BRIETII, SAMSONII, PETRI DUVALLII, & aliorum labores contemnamus; *Germani* enim ſumus, i. e. *candidi* alienarum laudum æſtimatores. Imo etiam, ſi quid magnis hiſce Viris exciderit, quod ipſi forſitan dictum nollent, facile hoc cœteris illorum meritis donamus. Aſt quod alii quidam ſuffeni fucique ſub horum umbra latere, Germanisque ſimul audacter illudere velint, enim

vero id non ferendum cenſemus, ſed larvam potius detrahemus ſemidoctis hisce homuncionibus, & quo digni ſunt lixivio, eos perfundemus.

§. 3. Prodeat hic primus in ſcenam, BOUSSINGAULTIUS quidam, ex Auguſtiniana familia Monachus, qui anno ſuperioris Seculi 82, *novum*, quod vocat, *Terrarum Orbis Theatrum* Lutetiæ Pariſ. chartis 12. paginarum publicavit. Hic tomo priore p. 374. *Vornam* Bataviæ Inſulam in *Bornam* transformat. p. 455. *Sluſam* Flandriæ munitiſſimam urbem ad Selandiam refert. p. 201. *Flogiam* regni Neapolitani, ob vectigalia, quæ ex armentis percipiuntur, vicum celeberrimum, Siciliæ inſerit. p. 205. Lacum *Pedanicum* pro Podamico ſcribit. Eodem errore p. 233. ex Stutgardia *Stugardiam* facit. Quid quod p. 242. *Egram*, Bohemiæ Regi nunc ſubditam urbem, inter liberas Imperii refert, ignarus, fuiſſe Trojam. Ejusdem commatis eſt, p. 258. ex *Iglavia Chilaviam*, ex *Crumnavia Crumenaviam* facere. Scire autem percuperem, quis ipſi perſuaſerit, *Vratislaviæ* tria eſſe, ut ipſe p. 263. loquitur, Collegia ſive Gymnaſia, & domum peſtiferorum uſibus deſtinatam

natam, magnifico palatio ſimilem, & in Inſula poſitam. Potuiſſet etiam a laudibus *Curiæ* & *Burgi Cæſarei* ſe abſtinuiſſe, quæ profecto ædificia nullam, niſi a vetuſtate, commendationem habent. Quis vero p. 271. niſi rerum Geographicarum & Germanicarum probe peritus intelliget, per *Keyſersveſtam* intelligi *Keyſerswertam*? Et quis non ridebit, p. 278. ex *Paderborna* contra genium linguæ effici *Paderbonnam*. Quæ p. 285. prædicat *excellentia Jenenſium vina*, libenter illi relinquemus, nos vero præ illis Hungarica, Rhenana, Nicrana & Moſellana eligemus. Hujus etiam farinæ eſt, quod p. 290. *Görlitio* Academiam ſive Univerſitatem aſſignat, & ex *Luſatia*, errore tamen forſitan typographico, *Luaſciam* facit. Sic p. 307. *Lalandia* Daniæ ipſi eſt *Laulandia*, ibidemque ex *Malmogia* urbe integram nobis provinciam exſculpit, nucibus avellanis ſapidiſſimis celebratam. Quam fabulam p. 321. dum repetit, intelligimus tandem, Malmogiam ejus *Huenam*, Baltici maris inſulam eſſe, TYCHONIS BRAHEI ſeceſſu, ſtudiisque Aſtronomicis, omnibus, præterquam Geographo noſtro, cognitam. Cur

vero p. 373. nullo habito delectu *Lublinum* & *Poſnaniam* immiſceat urbibus Lithuanicis, cum ipſe fateatur, Poſnaniam in Majori Polonia ſitam eſſe, cauſam non video, niſi quod integrum ſibi putet, omnia perturbare, & ſumma imis commiſcere. Huc pertinet p. 376. *Donamanta*, quam *Dunemundam* dicere debuiſſet. Neque multo melius ex *Leopoldtſtadio* p. 463. *Leopoldiam* efficit. Omitto infinita alia, errores imprimis orthographicos, quorum longe plures jam recenſitis ſuperſunt, Interim ſat ſcimus, ſi Germanus de rebus Gallicis ſcribens tam turpiter ſe dediſſet, elegantes iſtos homines ſannis & ludibriis infinitis ipſum, excepturos fuiſſe.

§. 4. Bouſſingaultium excipiat *editor Commentariorum* ſive *memoriarum* SIROTI BARONIS, neque enim ipſi Viro illuſtri tam fœdos, quales ibi reperiuntur errores, imputabimus. Is cum pleraque, quæ tangit, loca, ipſum heroa ſuum vidiſſe velit, tam ſecurus tamen eſt de judicio poſteritatis, ut ea ipſi affingat, quæ ne ſano quidem homini in mentem venire potuerunt. Non dicam, quod primo p. 77. *Septiam* nominat pro

Seltiã

Seltia, & *Hacquenoviam* pro *Hagenoa*. Sed hoc ferre non poſſum, quod p. 83. in Sileſia *Ingerndoſium* & *Leignitiam*, Jægerndorffio & Lignitio ſubſtituat, iisque tertiam addat, neſcio quam, *Bodenam*, & quartam *Bezolam*, quæ, egregia certe Geographia, in limitibus Sileſiæ, Moraviæ, Poloniæ & Wallachiæ ſita eſſe debuit. Si enim forte Buntzlaviam ſcribere voluit, neſcio, quid illi cum Polonia, Moravia & Wallachia, quam Sileſia nunquam attingit, commune ſit? Quis vero locus eſt p. 89. *Montheb* in Hungaria, per quem Mansfeldium Comitem tranſiiſſe narrat? Nam quod *Boniam* pro *Boſnia* ſcribat, nævis Typographicis, quamvis hic admodum frequentibus, annumerabimus. Simile eſt, quod p. 91. pro *Krempa* Holſatiæ ſcribitur *Kiempa*, & pro *Domitio* Gumitz; & p. 89. pro *Coldinga Folding*. Qualis vero regio ſit, quæ p. 205. nominatur *Lanzerris*, quo ſe exercitus Electoralis Saxonicus recepiſſe dicitur, fateor, me juxta cum ignariſſimis ſcire, niſi *Luſatia* vel *Lauſitz* intelligenda eſt. Oedipus quoque ſit neceſſe eſt, qui p. 206. ex *Schwenteitz* Schweinitz effecerit, & ex *Lesnille* Lignitz. Num vero p.

210. *Goſezinec* erit Grotkau? Nam Berlinum, quod ipſi p. 211. audit *Bertinum* & p. 227. *Birlinum*, ſusque deque habendum eſt. Omitto alios floſculos, qui magno numero in his commentariis occurrunt, & opus, alioqui præclarum, deformant.

§. 5. Vocemus jam ad partes PRADÆUM, *in hiſtoria Guſtavi Adolphi, Caroliqne Guſtavi*, Sveciæ regum. Ibi pudendum profecto eſt, Johannem, Guſtavi filium, Erici Regis fratrem, Magnum Finlandiæ Ducem, audire p. 2. *Ducem Fridlandiæ*. p. 13. miram nobis in Livonia *Figalem* provinciam, ejusque urbem Principem *Perſaviam* fingit. Nam quod p. 14. *Graudrentz* pro Graudentz Pruſſiæ oppido, & *Statgard* pro Stargard ſcribit, libenter omitto, cum p. 21. quod ad priorem attinet urbem, errorem correxerit. Nec multum me moratur, quod p. 64. *Sprebn* ſcribit pro Sprea. Aſt p. 139. nemo facile intelliget, pro *Miltsburg* ſcribendum eſſe Wirtzburg. Fœdum inſuper eſt, quod p. 237. Lignitz transformatur in *Linkau*, & p. 238. Breitenfels prope Lipſiam in *Briltenfels*. Nec minus p. 241. *Freiberg* in *Fridberg*. Quid autem p. 242. ſit *Prerau*, & quodnam in Si-

leſia caſtellum vocetur *Wultenberg*, ubi Torſtenſohnius auri, quem vocant, millionem repererit, me ſane fugit, niſi fortaſſis ex priori loco *Brieg* exſculpas.

§. 6. Verum tranſeat & iſte, & interrogetur à nobis CRUCIUS, Oratoris Gallici ad aulam Ottomannicam Secretarius, ut vulgo loquuntur, qui Germanis noſtris quavis occaſione mirum in modum inſultat, & quantivis ſibi pretii videtur. Quid in *hiſtoria bellorum a Turcis in Polonia, Moſcovia, & Hungaria geſtorum*, quam Pariſ. Anno 1689. edidit, quid inquam p. m. 137. ſibi velit, cum dicit, exercitum Cæſareanum anno 1683. non potuiſſe impedire, quo minus Turcæ obſidionem *Pacis* continuarent, ego ignoro: nullum enim nec in Hungaria, nec in Auſtria novi locum, qui ita appelletur. Conjungemus vero cum Crucio *Auctorem anonymum motuum Hungaricorum*, II. partibus, Libris XII. Amſtelod. 1686. editum. Is cum alioquî ſatis bene ſe gesſerit, in Præfatione tamen, ubi Hungariam & Tranſylvaniam deſcribere conatur, mira paſſim portenta profert. Quis enim eſt parvus ille fluvius *Alveta*, quem terminum Hungariæ ab oriente facit?

cit? In tabulis certe quascunque inſpexeris, nusquam occurret. Si Chryſam forte fluvium, aut Maronem, aut Zazardum, aut Fekierkereſum dixiſſet, qui omnes Tranſylvaniam ab Hungaria diſtingvunt, tunc aliquid credo egiſſet. Si enim *Altam* vel *Alutam*, qui per Tranſylvaniam mediam fluit, quod quidem facile credo, ante oculos habuit, profecto is non eſt terminus Hungariæ ad Orientem, niſi forte Hungariam in mediam usque Tranſylvaniam extendat. Neque Hungaricarum rerum peritis admodum ſe probabit, cum *Poſonium* & *Tirnaviam* Hungariæ ſuperiori attribuit, quas urbes in Inferiore ſitas eſſe, vel illi norunt, qui nondum ære lavantur. Injuriam vero facit Germaniæ, & Circulo imprimis Auſtriaco, cum *Styriam* ab eo avulſam Hungariæ transſcribit. Error quoque eſt inſignis, cum ex *Collocza*, Archiepiſcopali Hungarorum urbe, *Colonizziam* facit, idque non ſemel, ſed bis & ter. Quis vero crediderit, quamvis hoc ad hiſtoriam potius pertineat, quam ad Geographiam, Principes Auſtriacos poſt amiſſum *Belgradum*, *Javarinum* & *Comoroniam* muniiſſe, cum primo *Alba Græca*, non ſub Auſtriacis, ſed ſub Ludovico

dovico Poſthumo Anno 1521. amiſſa fuerit; neque opus fuiſſet, modo reliqua Hungariæ loca in noſtrorum poteſtate manſiſſent, ob Belgradum amiſſum, *Javarinum* & *Comarinum*, longe diſſitas urbes munire. Certe cum Anno 1690. Turcæ iterum Chriſtianis Belgradum eripuiſſent, de *Petro-Waradino* muniendo, non vero de *Javarino* & *Comaronia* cogitatum fuit. Cum Auſtriam ibidem deſcribit, ex *Teja* fluvio Moraviæ *Teiſſam*, neſcio quo jure format, & ab oriente terminum ejus facit, neſcio quem fluviolum *Leck*, quem ego in tabulis nullum deprehendo. Nec illud concoquo, quod pro fluvio *Ens* tanti nominis, *Onodum* nobis mirabiliter ſubſtituit; Et quod ex *fl. Ips*, & urbecula cognomine, *Zips* facit, qui comitatus eſt in Hungaria Superiori celeberrimus. Undecim Viennæ propugnacula non minus monſtroſe enarrat, dum *Canit*, *Biber*, *Hollerſtauden*, *Debraim*, *Melitenſe* & *Hiſpanicum* profert, quæ ego apud neminem me legiſſe, aut in ulla urbis Scenographia conſpexiſſe ingenue fateor. Quid vero hoc ſibi vult, quod Tranſylvaniam ab Aquilone Hungariæ vicinam facit, cum hæc non ad Septentrio-

nem

nem, ſed ad occaſum Tranſylvaniæ obvertatur? Omnem vero fidem ſuperat, & riſum merito nobis excutit, quando Tranſylvaniam lingva Saxonica ſive Germanica idem eſſe dicit, quod Zainaen Burghen ſcilicet ita efferenda erat vox; Sieben-Bürgen. Quam vero lingvæ Græcæ peritus fuerit, ex eo deprehenditur, quod pro Stephanopoli *Hephanopholin* ſcripſit, quod æque tamen facile eſt, quam ex Cronſtadt, Cromſtadt efficere, & pro Ulpia Trajana, *Vulpiam* ſcribere. Bone Deus, ſi Germanus talia effeciſſet, quæ non Gallis ludibria deberet! Sed nondum ſatis eſt nugarum: ponit nobis inter principes Tranſylvaniæ fluvios *Savam*, fœmineo genere prolatum, ne fortaſſis putemus, ipſum ex Hungaria Savum, quem paulo ante agnoverat, huc transtuliſſe. Aſt cum nulla tamen in Tranſylvania *Sava* a nobis deprehendatur, vel credendum eſt, ipſum *Samos* fluvium deſignaſſe, vel ſui immemorem omnino ad Savum reſpexiſſe. Nam *Sajum* exigui nominis torrentem, qui in *Samos* minorem decurrit, ſi forte ante oculos habuit, æque vapulet neceſſe eſt, quam iſte, qui *Weidam* & *Cattum* principes Sileſiæ fluvios vocaret.

Wal-

Wallachiæ III. Principes urbes nominat, *Czernovicium* Hoſpodarii ſedem, *Brilam*, & *Treſſortum*, quarum nullam in tabulis deprehendas, quæ *Tergouiſtum* Wallachiæ caput faciunt. In Moldavia vero, dum Varnam ac alia loca minoris momenti nominat, Jaſſium ſedem Hoſpidarii ſive Principis, omittit.

§. 7. Jam accedimus ad MORERIUM, Dictionarii Hiſtorici famoſum ſcriptorem, de quo confidere poteramus, eum ab ejusmodi mendis liberum fore, tum quod *Ferrarii & Baudrandi* labores ante oculos habuit, tum, quod toties editus, & a nævis repurgatus, opitulare in inſuper doctisſimi CLERICI manum expertus eſt. Verum in editione ſeptima, quæ Anno 1694. Amſtel. prodiit, quaque nunc utimur, multa adhuc animadvertimus, quæ ſi in ſequentibus editionibus emendata ſunt, de quo nobis non conſtat, bene ſe res habet; ſin minus, cavendum profecto eſt, ne lectores ſemidocti, quibus hoc cymbalum in deliciis eſt, decipiantur. Idque eo libentius facimus, quod doctisſimus BAELIUS, in elegantisſimo *Lexico Critico*, cujus nova editio hoc ipſo Anno prodiit,

erro-

errores Geographicos, ad alia reſpiciens, raro correxit. Immorabimur autem potiſſimum Germanicis rebus, in quibus ſe hoſpitem eſſe, omnibus fere paginis oſtendit. Nimirum in ipſo de *Germania* articulo, T. 1. f. 97. b. *Veſprimum* Hungariæ urbem Turcici juris eſſe ſtatuit, quod falſiſſimum eſt. Et pro Nitria *Nitrach* corrupte ſcribit. Ibidem inter Academias Germaniæ *Elbingam* refert, ubi nulla unquam talis ſtudiorum ſedes fuit. Eadem ratio eſt *Neuſtadii*, *Lavingæ*, *Miſenæ*, & *Vratiſlaviæ* noſtræ, quæ hoc honore, ut nunc ſe res habent, facile & libenter carere poteſt. Cum montem *Cecium*, præeunte Strabone, cujus verba Græca apponit, ſcribere debuiſſet, *Lecium* pro eo nobis ſupinâ negligentiâ exhibet. Libenter vero ſcirem, quænam ſit *Sylva Heryciana*? nam *Spetharum* Speſſartum eſſe debere, ſatis ſuperque intelligo. f. 99. Ratisbonæ ex Ober- und Nieder-Münſter corruptisſimo Gallicam vocem *Mouſtier* format. Ibidem perperam in Circulo Franconico Comitatum a Principatu Hennebergico diſtingvit. In Suevia pro Oettingen *Oching* corrupte ponit. Ex Halla *Hali* facit, & ex

Leit-

Leutkircha *Leutick*, oppidumque S. Galli, Helvetiis fœderatum, inter urbes Imperii liberas refert. Quem errorem itidem in Rhenano ſuperiore circa Baſileam committit. *Magnum ordinis Teutonici Magiſtrum*, qui haut dubie ad Franconicum Circulum pertinet, Rhenano Inferiori inſerit, adeoque, ut videtur, cum *Magiſtro Equitum Johanneorum ſive Rhodiorum* confundit; quamvis & ille ad Circulum Rhenanum Superiorem pertineat. Nec minus fœdum, quod eod. ſ. *Ulzenam*, *Stadam*, *Buxtehudam*, *Wiſmariam*, & *Roſtochium* titulo liberarum Imperio urbium mactet. Eadem negligentia in Circulo Saxonico ſuperiore *Stralſundam*, *Gripſwaldiam*, *Anclamum*, *Stetinum*, *Stargardiam*, *Golnoviam*, *Colbergam*, *Rugenwaldiam* & *Stolpam* inter liberas refert, ingentes credo gratias a Rege Sveciæ & Novemviro Brandenburgico, quos tot urbibus, nullo ipſorum merito ſpoliat, relaturus. Cum e contrario *Mülhuſam* & *Nordhuſam*, haut dubie inter Imperiales reponendas, plane ſilentio prætereat. Utinam vero mihi Morerius noſter, aut alius quivis indicaret, quænam urbs ſit *Regia*, niſi fortaſſis Rigam intelligat,

quam

quam cum Revalia, Pernavia, & Dorpato, eodem jure, quo Gedanum, Thoruniam, Culmam, Marienburgum, Elbingam, Braunsbergam & Königsbergam Germaniæ attribuit. Tam ſecure & in diem ſcribere auſus fuit iſte homuncio, nam alio nomine vix dignandus eſt, qui, quotiescunque occaſio ſe ſuppeditat, tum Germanos, tum imprimis Proteſtantes laceſſit, adeo, ut profecto mirer, eſſe inter Germanos noſtros, qui nugas iſtas & quisquilias tanti æſtiment, ac pro putidis chartis tantum pecuniæ effundant. Ibid. f. 132. a falſo dicit *Alutam*, qui ut ſupra monuimus, per mediam Tranſylvaniam fluit, eam a Wallachia diſtingvere; Cum Biſtritia & Cronſtadium, nobiles Tranſylvaniæ urbes, adhuc trans Alutam jaceant, quas ſane Tranſylvani nequaquam Wallachiæ adjudicari patientur. Quænam vero fol. 155. eſt inſula Daniæ *Amrom* ſive *Amrot*, niſi forte Aröe in Ducatu Sleswicenſi, qui cum nunc ſui ſit juris, a noſtro ubique perperam Daniæ attribuitur, ipſe quidem, dum hanc inſulam exigui momenti eſſe dicit, eo ipſo quoque oſtendit, ſe quoque ſcriptorem eſſe nullius momenti. f. 187. b.

ex

ex *Schneberga*, notiſſima Miſniæ urbe Montana & Metallica, format *Schenebergam*. f. 441. a. Principem Bleckingiæ urbem facit *Rotembi*, quam in tabulis non invenio. f. 493. In Ducatu Bremenſi mirificam habet *Hamesport*, pro qua ſcribendum eſſe, duco *Himmels-Pfort*, quo nomine monaſterium eſt in illo Ducatu. Aſt quo non, f. 495. a. honore ſuperbit *Vratislavia noſtra?* quæ, ſi Morerio fidem habemus, curia gaudet, inter nitidisſima & venuſtisſima Germaniæ ædificia collocanda. Jurares nempe, hominem aut de Noriberga, aut de Auguſta Vindelicorum, aut de Amſtelodamo loqui, ubi curiæ miraculis Architecturæ annumerandæ cernuntur. Jam vero video, id quod eſt, nimirum, occurrit ibi horologium, admirabili tubarum concentu, ex ritu gentis (verba *Morerii* affero) reſonans. O miſerum homuncionem! qui putavit, cornicines noſtros, ſingulis diebus ex turri Senatoria modulantes, *horologium automaton* eſſe: Oportet ſane lepidum fuiſſe impoſtorem, qui Morerio ita os ſublevit. Aſt redeamus in viam. f. 376. T. II. (data enim opera multa in hoc ſtabulo Augiæ inſuper habeo & transmitto)

contra omnem hiſtoriæ fidem Geographiæque rationem in *Palæo-Dresda* Palatium Electorale arcem & armamentarium reponit, quod aliter ſe habere, vel pueri norunt. Eſt quidem in Palæo-Dresda ſeceſſus venatoruis Electoralis, ſed ille cum Palatio & arce non debebat confundi. Cœterum f. 409. b. miſer mons Pinifer ſive Fichtelberg primam ſui nominis literam perdidit, & in aliam translatus claſſem Eichelberg audit. T. III. f. 65. Gothlandiam Inſulam cum Gothia, *Sveciæ* provincia, confundit, & Gottorpium plane ἀγεωγράφως in *Jutia* collocat. f. 78. Ex *Mura* fl. qui Grätzium Styriæ caput alluit, *Meuram* nobis repræſentat. f. 108. b. *Guſtroviam* dicit eſſe oppidum Ducatus Mecklenburgici, in Saxonia, & omittit, quod tamen addere debebat, *Inferiore*. f. 170. Neſcio quo oeſtro correptus, ditiſſimos & fœcundiſſimos Metallorum in Hungaria montes inter Strigonium & Budam ponit, quod nemini cordato facile perſvadebit, cum ſatis conſtet, iſtos montes in Hungaria Superiore & Cis-Danubiana eſſe. Adde, quod f. 171. errores erroribus cumulans, deſcriptionem Hungariæ

Ano-

Anonymi, quam ſupra perſtrinximus, tanquam Emblema ſpecioſum, primoribus, quæ ſic ſatis bene ſe habebant, ſuperaddit. f. 389. a. Ducatum Lüneburgicum deſcribens, neſcio quam *Duneburgum* ex Livonia, aut Utopia potius, in catalogo urbium exhibet. Ut omittam, quod pro Giſhorn mendoſe *Giſorn* ſcribit. f. 479. b. *Sweer* & *Swerinum* ſynonyma eſſe dicit, idque contra omnem veri fidem. Et ex Monaſterio *Doberen* Oberan facit. Fœdum magis eſt, quod f. 502. b. *Merſeburgum* in Miſnia ad *Iſſelam* fl. jacere contendit, cum vel tironibus conſtet, *Salam* præterfluere. Ejusdem judicii eſt, f. 523. a. *Hallam*, Saxoniæ Inferioris & Archiepiſcopatus Magdeburgici notiſſimam urbem in Miſniam transferre. Unde vero didicit f. 539. a. cives Montpeligardenſes magis eſſe Calvinianos, quam Lutheranos? cum tamen contrarium veritati conſonet, & illi eadem cum Principe ſuo ſacra colant. Quam monſtroſum vero eſt, f. 563. a. pro Haimburg in Auſtria *Hajumbour* ſcribere. Cœterum non adeo nobis traducendus erat bonus iſte Morerius, cui Sileſia noſtra tot ac tanta debet, quod laudibus eam, ſæpe im-

meritis, augeat. Nimirum f. 578. b. *Münſterbergi* validiſſimam arcem & munitiſſimam eſſe contendit, quo ſane adeo nos devinxit, ut libenter ipſi debeamus remittere, quem mox errat errorem, cum more ſuo Aursſpergium Principem in Ursbergium transformat. Tomo IV. in quo cautior credo factus, in urbibus Germaniæ recenſendis non multus eſt. f. tamen 47. circa principem Patriæ noſtræ fluvium, *Oderam* ſcilicet, turpiter halucinatur, dum narrat, eum *Oppaviæ* aquis augeri: *Olàviæ* credo voluit dicere. Oſtia vero ejus tria venuſte exprimit, dum pro Pene, Svvine, & Düvenau, nimis lepide ſcribit, *Pſin*, *Sovine* & *Düwonow*. f. 140. b. ex Pieterkovia, non ignobili Poloniæ urbe, *Petrikoviam* exſculpit. Et ne in ſola Germania errare videatur, tandem, quaſi coronidem tot mendis impoſiturus, dicit: ad *Tetwanum*, Africæ prope fretum Gaditanum oppidum, appellere illos, qui mari ab Alexandria Ægypti per mare Rubrum Meccam ire velint. Enimvero ſi hoc non eſt quadrata rotundis miſcere, ſane Geographorum Princeps Morerius eſt habendus.

§. 8.

§. 8. Verum tempus eſt, ut quamvis longe plura adhuc afferri poſſent, a *Gallis* ad *Italos* tranſeamus; ubi mirari ſubit, neminem ferme pejus ſe geſſiſſe, in Orthographia præſertim locorum Germanicorum, quam GALEATIUM GUALDUM, non ignobilem alioqui hiſtoriæ ſeculi ſuperioris ſcriptorem, cum is tamen ipſe in Germania ſtipendia ſub Guſtavo Adolpho meruerit, & pleraque, de quibus agit, loca adierit, poſtea quoque diu ibi vixerit, & tandem, niſi fallor, Viennæ, quo, ut Hiſtoriam LEOPOLDI M. componeret, evocatus fuerat, e vita exceſſerit. Equidem ſæpe in eo fui, ut tam graves errores operis typographicis adſcriberem: novi etenim, quam ſegnes & incurios ſe apud Italos præbeant. Aſt cum omnibus fernie paginis illius, quod mox nominabo, operis occurrant, & recurrant, ipſe Gualdus vix ab Erroribus immunis declarari poteſt. Nempe publicavit ille Venet. Anno 1653. & ſqq. *Hiſtoriam bellorum Germanicorum*, ab anno 1630. usque ad annum 1648. ſ. pacem compoſitam. Placet ſpeciminis tantum gratia paululum Decadem I, & id quidem non usque adeo accurate examinare. Ubi L. I.

p. 6. non ferendum eſt, quod Stralſundiam civitatem Imperii liberam eſſe velit, cum ſemper Ducibus Pomeraniæ ſubjecta fuerit, licet majoribus forte gauderet privilegiis, quam aliæ urbes. Ibidem ex *Pena*, Oderæ brachio, facit *Pendam*, & mox p. 7. *Pendram*. p. 10. pro Stargard ſcribit per Methateſin *Stargrard*. p. 11. pro Albi (& hoc quidem perpetuo in toto opere) ſcribit *Elbis*. p. 12. pro Griffenhagen ponit *Friffenhagen*. p. 13. pro Sternberg *Stenerberg*. p. 22. Wartæ fluvio ſubſtituit *Varcham*. Et p. 26. errore prorſus intolerabili prope Croſſenam *Quiſſum* in Oderam illabi affirmat, cum tamen Bobera ſit. L. II. p. 61. *Gotham*, Thuringiæ ſatis notam urbem ad *Neſam*, neſcio quem fluvium ponit, cum tamen *Leina* ſit, qui eam alluit. f. 63. pro Bobenhauſen ſcribit *Bombenhauſen*. Ibidem pro Guben *Guden*, & pro Görlitz *Gortitz*. p. 66. Hanau ipſi audit *Harna*, idque non ſemel, ſed bis. L. III. p. 88. partem illam Pragæ, qua arx Regia continetur, a Germanis dicit appellari: Clainſtadt. Verum id minus recte, dicitur enim: Die kleine Seite. L. IV. f. 112. Duderſtad ipſi eſt *Durdeſtad*, nequaquam in Ducatu Brunſvicenſi, quod noſter

vult,

vult, ſed in Eichsfeldia, Moguntino Antiſtiti ſubdita, ponenda. L. V. p. 130. nemo, niſi Germanicarum rerum probe peritus, divinabit, pro *Stolboen*, legendum eſſe Stolhofen; & pro Sileſtad, Sletſtad. p. 132. miras agit nugas, dum dicit, Svecos, Niſſæ obſidium ſolventes, Machinas bellicas in munimento *Thum* depoſuiſſe, Inſulam Wratislavienſem Johannem deſignans. Adde, quod cum ſemel *Reichenbac* pro Reichenbach ſcribit, mox fœdius *Reimbac* ſubſtituat. Nec illud ſatis curate, quod p. 141. Bregam inter Olaviam & Oppoliam ponat. Debebat enim dicere, inter Wratislaviam & Oppoliam. Ibidem Namslau ipſi eſt *Nanſtau*. L. VI. p. 163. Ignorare me fateor, quiſnam ſit locus *Felinck*, niſi *Villingam* deſignat. L. VIII. p. 211. ex Jägerndorff facit *Jägerdoroff*, & p. 227. ex Hildesheim, *Higelsheim*. L. IX. p. 232. pro Groß-Glogau ſcribit *Glosgovia*, & pro Namslau *Nanſtau*. L. X. tandem p. 275. Schorndorff in Ducatu Würtembergico ipſi audit *Sciornedorff*, & p. 291. Stumsdorff Pruſſiæ oppidum, induciis inter Polonos & Svecos nobilitatum, *Stansdorff*.

§. 9. JULIUS quidam CÆSAR

SOLIS Paduæ Anno 1596. publicavit in 4to *Deſcriptionem multarum Inſularum celebrium*, ſimulque adjunxit deſcriptionem Italiæ, in qua inſulſe admodum & inficete verſatus eſt. Nam primo ordine nullo procedit, & modo de Roma, modo de Venetiis, modo de Neapoli, modo de Florentia diſſerit, quod certe non decebat Geographiæ accuratioris ſtudioſum. Deinde, neſcio quo fato, Maſſiliam, Conſtantinopolin, Trojam, Juliam Cæſaream, ſive Algeriam, Raguſam, Tedelen Africæ oppidum, Hipponem itidem in Africa, Peram ſive Galatam, quæ e regione Conſtantinopolis jacet, Carthaginem, Lutetiamque Pariſiorum, civitatibus Italicis immiſcet. Demum alios etiam errores pudendos committit, e.g. cum p. 11. *Angliam* nomine *Britanniæ majoris* venire affirmat, ſub quo tamen nomine *Scotia* quoque comprehenditur. Cum Inſulam iſtam in III. partes dividit, & ab Alemannia ſi Germania incipere dicit. Cum p. 12. Orçades *Horchas* appellat, & pro Thoule *Tille* ſcribit, eandemque cum Cambria eſſe dicit, quod falſiſſimum eſt. Cum in Hibernia multas Gemmas reperiri contendit, de quibus nemo alius. Cum

p. 20.

p. 20. Conſtantinopolim a Turcis captam, a Venetis & Gallis receptam, demumque a Palæologis occupatam eſſe narrat, qui tamen error magis ad Hiſtoriam, quam Geographiam pertinet. Cum p. 22. pro Phocenſibus ſcribit *Fucenſes*. Cum p. 29. Trojam a Poëtis *Ilionem* dictam eſſe nugatur. Cum *Algeriam* p. 34. b. Inſulis Balearibus proximam eſſe dicit. Cum p. 38. neſcio quo auctore, Peram ab antiquis *Cornobiſantiam* dictam eſſe aſſeverat. Et denique cum p. 65. pro *Medinat al Nabi* corruptiſſime ſcribit *Medina Tanalbi*. Taceo, quod p. 66. b. neſcio quam *Serinniam* & *Bogtaniam* inter provincias Turcicas recenſeat. Quod p. 77. b. a Conſtantinopoli iter in Aſiam facias per Natoliam atque Dalmatiam. Adeo, ut huic duci confidere periculoſum ſit atque ſtolidum.

§. 10. Majoris nunc dignitatis & nominis ſcriptorem in medium producimus, MAURITIUM nempe NITRIUM, *Comitem, Abbatem de* NOIRES. Scripſit is alioqui ſatis prudenter & cordate *Hiſtoriam prioris belli Tranſylvanici & Hungarici*, quod LEOPOLDUS M. ab Anno 1661-1664. cum Turcis geſſit. Aſt more, civibus

bus ſuis recepto, nomina locorum & regionum mirifice torquet. Omitto, quod L. I. p. 10. *Rigam*, Livoniæ caput, cum a Moſcis Anno 1657. obſideretur, Polonici juris fuiſſe velit, nam id ad errores hiſtoricos referendum eſt. Aſt ad noſtrum forum pertinet, quod p. 12. FRIDERICUM III. Daniæ Regem, *Olmiam* in Norvvegia occupaſſe dicit. Quænam eſt enim iſta *Olmia?* Sane Holmiam Sveciæ, non Norvvegiæ, caput novimus, quam nunquam occupavit Fridericus. Gemellum eſt, quod ibidem pro Wolgaſt ſcribit *Vorgaſt*, & exercitum Svecicum ibi a Danis victum cæſumque falſiſſime tradat. p. 18. pro *Jeno*, Hungariæ non ignobili arce, ſcribit *Leno*, quod nihil eſt. L. II. p. 52. pro *Zatmar* ſcribit *Zacmar*. p. 55. *Claudiopoli* ſ. *Clauſenburgi*, ſedem Principum Tranſylvaniæ eſſe profitetur, cum tamen ſit Albæ Juliæ ſ. *Weiſſenburgi*. p. 76. & multis aliis locis, corrupte pro Neuheuſel ſcribit *Neyhſel*. L. III. p. 102. famoſum Eſſecci pontem ſemper vocat pontem *Eſelebenſem*, & eundem errorem aliquoties errat, ut p. 103, 104. ubi mendaciſſime affirmat, Turcas integrum ſexennium huic ponti extruendo operam

dediſ-

dediſſe. Imo p. 120. pontem *de Eſchel* vocat, & p. 121. in literis Auguſti latinis pontem nobis *Eſſolcienſem* obtrudit. Aſt ridiculum eſt, quod p. 104. quinque Eccleſias nomine, Sericos ferme ſonos referente, ab indigenis *Tunchisheu* appellari velit, vocem, credo, Germanicam Fünff-kirchen ita mutilans. p. 108. iterum repetit, Claudiopolin eſſe Tranſylvaniæ Regiam. L. IV. p. 151. pro Erla ſcribit *Erva*. Et p. 160. denuo nobis ſuum pontem *de Eſelch* ingerit. Quis vero, niſi Germanus intelliget, quid ſit *Cle in Comorro?* nempe Klein Comorra. Sic p. 164. pro Freiſtetel ſcribit *Freiſtel*. Quod profecto turpe eſt, & librum, nitidiſſime alioqui, contra morem Italorum typis, exſcriptum vehementer deturpat.

§. 11. Enim vero nunc ſe nobis offert GREGORIUS LETI, vir ſcribaciſſimus, & qui non ſemel gloriatur, ſe centuriam propemodum librorum compoſuiſſe. Aſt optandum erat, ut pauciores, ſed majori cum cura & judicio elaboraſſet; Unde multi ultima ejus opera, *Theatrum* præſertim *Britanniæ*, *vitamque Cromwellii* & *Eliſabethæ*, fabulis Mileſiis annumerare non

verenr-

verentur, in quibus parum veri, plurima falſa. Certe elogio, quo ipſum in ſupplemento Lexici Moreriano, Gener, ſocero longe doctior, JOH. CLERICUS honeſtat, non ſatis dignus fuit. Nam ut ad noſtra accedamus, cujus quæſo judicii eſt, hiſtoriæ Cromwellianæ, ex Ortelii Theatro orbis terrarum, & parergis Geographicis Tabulam Antiquæ Britanniæ præfigere. Num enim Cromwellius in antiqua Britannia vixit? Num lector loca, ubi res, ibi deſcriptæ, patratæ fuerunt, in Britanniæ antiquæ tabula inveniet? Profecto niſi his meis oculis librum inſpexiſſem, manibusque tractaſſem, non poſſem in animum mihi inducere, negligentiam adeo ſupinam in tironem, nedum in hiſtoricum, qualem ſe jactat, Veteranum cadere poſſe. Verum videamus, quæſo, quas nugas agat, in libro alioqui non ſpernendo, cui titulum dedit *Ceremonialis hiſtorici & Politici*, Amſtelod. Partibus VI. Anno 1685. in 12mo publicato. Scilicet parte III. L. III. p. 138. Ducatum Brunſvicenſem & Lüneburgenſem delineans, pro Calenberg ſcribit *Gallenberg*. Pro Eimbeck *Eimbeth* p. 174. Dum Auſtriam in ſuperiorem & inferiorem recte dividit, male

male tamen hanc ultra, illam cis Danubium ponit, cum non eadem, ut Hungaria, ratione dividatur, ſed Auſtria potius ſuperior ad occidentem, inferior ad orientem vergere dicenda ſit? Quales vero fluvii ſunt *Kam* & *Seith*, pro quo *Leith* debuit dicere? Ejusdem partis L. IV. Marchionatum Brandenburgicum inter Pruſſiam & Pomeraniam collocat, cum Marchiæ termini nunquam ad Pruſſiam extendantur, ſed tota Pomerania ulterior intercedat. Et hoc auſus fuit in conſpectu quaſi GVILIELMI FRIDERICI M. Electoris Brandenburgici, cui hanc partem inſcripſit. Ibidem dum Marchiam in III. tantum partes, *Veterem, Mediam* & *novam* diſtingvit, *Uckeranam* & *Prignitziam* perperam omittit. Nec minus falſum eſt, quod p. 313. *Albim* cum *Viadro* per Canalem conjungi cupit. Canalis enim iſte, per quem commodior ad Albim via aperitur, non Albim, ſed *Spream* & *Oderam* ad Mühlroſam conjungit. Ibidem libenter ſcirem, quænam urbs ſit *Senneberg*, niſi Sonnebergam forte in animo habeat. Nam quod pro Werbem *Verberi* ſcribat, libenter ipſi ignoſco. Ibid. p. 329. Wetalariam miſere deformat, dum ex ea facit

Verſch-

Verſchlat. p. 350. pro Lübeck ſcribit *Lagenbeck*, & neſcio quem nobis Comitatum *Legemberi* in Holſatia exhibet, quem una cum urbe *Fiel* quærat, qui volet. Ejusdem farinæ eſt, p. 360. pro Durlach, quod recte antea ſcripſerat, *Daurlach* ponere, & pro Hochberg *Harberg*. Quam ineptum vero eſt, p. 369. ſcribere, Ducem Anhaltino-Serveſtanum Pontificium eſſe, reliquos omnes Lutheranos. Cum ex Anhaltinis Serveſtani Lutherum, reliqui omnes Calvinum ſequantur, nullus Pontificem. P. IV. L. VII. ineptiſſime *Mauiſtouiam* ponit pro Moskovia, Ruſſiæ Principe urbe. Ibidem p. 120. nemo exterorum facile intelliget, pro *Rheinfedel* legendum eſſe Rheinfelden, & pro *Laudau*, Landau. Aſt ſe ipſum fatuitate ſuperare videtur P. V. L. III. ubi X. Germaniæ Circulos eodem pene modo, vel deterius etiam, quam Morerius, deſcribit, & mira nominum ac locorum portenta nobis proponit. Nempe p. 252. in Circulo Franconico occurrunt, neſcio quis Præpoſitus *Camberenſis*, & *Abbas S. Gilgii* Noribergæ, quos, qui veris nominibus deſignaverit, magnus mihi habebitur Apollo. Nam quod pro Erpach *Erpanb*, & pro Schvvein-

Schweinfurt *Schevainolirt* ſcribit, libenter illi condonabimus. In Circulo Bavarico p. eadem neſcio quem nobis *Abbatem de Rempeſeilck*, & inter civitates liberas nullo jure *Freiſtadium* repræſentat. In Auſtria p. 293. neſcio quos *Comites de Schaimberg* & *Dominos de Senſter* producit. Ibidem dum Sveviam deſcribit, ſolennes ipſi deliciæ ſunt, pro Lindau *Litthau*, pro Rotem-Münſter *Rotemmuſter*, pro Guttenzell *Gutzenzell*, pro Ravensburg *Kavensburg* & ſimiles nugas ſcribere, & ex Gemunda & Weila, duabus urbibus, unam *Gemundweil* efficere. In Circulo Rhenano Superiore, quem ipſe ſimpliciter Rhenanum appellat, inter Duces *Bipontinos* & *Zweibrückenſes* accurate diſtingvit, & neſcio quem Principem de *Calein* ex Utopia profert: ſimulque pro Leiningen *Seiningen* ſcribit, & ex Hanau *Havare* format. Inter civitates *Heinſenzberg*, *Lindau*, *Wetzlar*, & *Gleichbauſen*, pro Keyſersberg, Landau, Wetzlar, & Gelhauſen, ſcribit: ac iterum admodum lepide *Kaufmanns-Sarbrucken*, perperam liberis Imperii urbibus annumeratam, in *Kaufanans* & *Sarbrucken* partitur, & ex Wetteravia *Varderaviam* facit. p. 255. in Circulo Weſt-

phalic-

phalico ex Abbatia Eſſen, *Heſſen* facit, & ne-ſcio quem nobis Marchionem Badenſem ob-trudit. Inter urbes liberas Veſaliam nu-merat, & neſcio quam civitatem *Storff* ſibi fingit. Eadem elegantia ex Saxonico infe-riore in ſuperiorem, Epiſcopatum Lube-cenſem transfert, & ut numero aliquid va-leat *Hamelburgenſem* & *Chominenſem* li-beraliter de ſuo addit: nec non Danti-ſcum & Elbingam urbibus liberis ejus-dem Circuli annumerat. Aſt tamen me-lius ſe gerit in Circulo Saxonico inferio-re, ubi probe memor eorum, quæ paulo ante dixerat, Lubecenſem iterum repræ-ſentat, & pro Svverin venuſtiſſime *Swerin*, pro Göttingen axiomate civitatis liberæ, licet minus recte donata, *Görzingen* ponit, *Comitesque* nobis ex terra Magellanica forte petitos, de *Rosfeil* exhibet. Ejusdem ju-dicii eſt p. 314. *Dravum* flumen in Auſtria ponere, eique, neſcio quem *Soram* comi-tem addere, & tandem affirmare, totius Auſtriæ *Ducatum Tirolenſem* nobiliſſimum eſſe; quod craſſus aliquis & in vervecum pa-tria natus Germanus, pace ſubtilis hujus Itali, forſitan ita extuliſſet: *Comitatum Tirolis in toto Circulo Auſtriaco nobiliſſimum eſſe.*

„Ve-

„Verum nos Bæotii non capimus delicias
„iſtas exterorum, qui cum ſoli ſapiant, no-
„ſtrum eſt, ipſis faſces ſubmittere, & Geo-
„graphiam omnem ad illorum placitum
„fingere, vel potius deformare! Sed non-
dum finis eſt ineptiarum; nempe L. V. hujus
partis p. 534. in Braſiliam abit, & *Todos San-
tos* nobis exhibet; cum tamen ex tabulis
Geographicis didicerimus, Sancti Salvato-
ris urbem in ſinu omnium ſanctorum ſitam,
neque iſta adeo temerarie confundenda
eſſe. p. 560. Regi Dano ingentem inju-
riam affert, cum *Croneburgi* munitiſſimam
arcem ei eripit, & Svecis transſcribit.
Quem floſculum, p. 566. tanquam inſigne
aliquod emblema iterum exhibet, adeoque
oſtendit, ſe in ſtudio Geographico homi-
nem nauci, & generatim ad quidvis potius,
quam ad bonos libros ſcribendos natum
eſſe.

§. 12. Cæterum non ſolus LETI in
Geographicis tam turpiter ſeſe dat, adſunt
enim alii quoque, & quidem ipſo longe me-
liores, qui cum plerumque ſatis bene & ſatis
accurate ſua digeſſerint, tamen nonnun-
quam ceſpitant, adeoque in viam, unde a-
berrant, regiam reducendi ſunt. Eſt inter

illos ſcriptor eruditus LAURENTIUS CRASSUS, cui *Elogia Imperatorum Seculi ſuperioris excellentium* debemus. Venet. Ao. 1683. in 4to impreſſa. Is ubique nomina locorum,& inter hæc Germanica quoque,ſanis curate exprimit. Sed tamen nonnunquam labitur, & humani aliquid patitur,mitius tamen a nobis tractandus, quam LETI, cum genium longe alium, induſtriamque longe majorem ad ſcriptionem adhibeat. Interim neſcio quo fato ubique pro Mansfeld ſcribit *Masfeld*, id quod ex p. 63. 66. & 94. conſtat. Ubi quoque pro Minden male ponitur *Menden*, &, neſcio quæ Blacheda, a Tillio obſidione liberatam, ac *Benneburgum*, nobis quidem adhuc ignotum, captum fuiſſe dicit. Sic p. 97. *Agam* Inſulam, mihi quidem incognitam, in vicinia *Uſedomi* ponit. Et p. 98. pro Grispswaldia *Grispaldiam* ſcribit, & Hennebergenſem Comitatum in urbem *Enneburgum* transmutat. p. 129. Anclamum, non ignobilis Pomeraniæ urbs, ipſi addit *Alcan*. p. 252. neſcio quam *Littaviam* Moraviæ urbem exhibet, pro qua Iglaviam, credo, ſcribere voluit. Et p. 253. ex Jankovia clade noſtrorum notiſſima *Jakonitz* facit. p. 384.

eodem

eodem quo *comes Nitrius*, ſupradictus, errore pro Eſſeck *Eſſelche* ſcribit, & Neuheuſel in *Neickſel* mutat. p. 451. pro Derpt Livoniæ urbe *Dopat* ponit, & non ſatis curate tradit, Moſcum, ſi Riga, quam obſidione cinxerat, potitus fuiſſet, toti Livoniæ jugum impoſiturum fuiſſe. Supererant enim adhuc Revalia & Narva, tum opibus, tum munimentis Riga nequaquam inferiores. Tandem p. 462. Elogium Chriſtophori Bernhardi, Epiſcopi Monaſterienſis texens, neſcio quod munimentum *Punterburgenſe* nominat, nobis quidem adhuc ignotum.

§. 13. VINCENTIUS FORTI Abbas, magno cum judicio paucis quidem, ſed lectu digniſſimis pagellis *Compendium bellorum in Republica Chriſtiana ab Anno 1612.-1640. geſtorum*, Venet. 1669 emiſit. Verum cum de rebus Germanicis agit, ejusdem culpæ poſtulandus eſt, cujus alios arguimus. Scilicet L. III. p. 70. cum *Plurium* ſcribere debuiſſet, *Piur* non ſatis curate ſcribit. L. V. p. 99. Ad Rugiam Pomeraniæ Inſulam, neſcio quam *Ildenſam*, quaſi ex medio mari producit. L. IX. p. 319, Leutmeritz, Bohemiæ urbem, male in *Lou-*

meritz, & Hohentvvilam, munitiſſimam Ducis Würtembergici arcem, in *Owiel* mutat. Denique ne in ſola Germania peccet, p. 328. Hulſtum, munitiſſimam Flandriæ urbem, in *Huſtum*, quo nomine alias Hungariæ ad limites Tranſylvaniæ urbs clara eſt, transformat.

§. 14. JOHANNIS BAPTISTÆ PACICHELLI *Itinera* elegantiſſima, quæ per utramque Germaniam, Angliam, Hiſpaniam, ſuamque ſuſcepit Italiam, quantivis ſunt pretii: Aſt interim tamen ſuis non carent nævis. Plurimos notarunt eruditi *Actorum Lipſienſium collectores* in recenſione Anni 1687. p. 57. & 58. menſe Septembr. Sed quidam tamen illos fugerunt, quos hic paucis recenſebimus. T. I. Ep. III. p. 117. *Urios*, Helvetiæ pagum, hæreticis, quos vocat, accenſet, cum ſint, ut ita loquar, *Catholiciſſimi*. Ep. XV. p. 349. notabili ſuos injuria afficit, dum inter Epiſcopatus a Proteſtantibus poſſeſſos, Wormatienſem, Spirenſem, Argentinenſem, & (qui tamen nullus eſt,) Erfurdienſem refert. Ibid. p. 352. neſcio quid de Landgravio *Rheisfeldenſi* affert, cum Rheinfeldenſem dicere debuiſſet. p. 353. inter Pontificias civitates libera

beras refert *Rotenburgum ad Tubarim*, & *Schvveinfurtum*, ſacris Evangelicorum addictiſſimas. E contrario p. 340. *Offenburgum* Proteſtantibus annumerat, quod tamen longe aliter ſe habet. Adde quod ibidem *Francofurtum ad Viadrum*, *Gröningam*, *Gorlitzium*, *Halam*, & alias, liberis Imperii civitatibus minus recte inſerere videatur.

§. 15. JOHANNES BENAGLIA luculenter deſcripſit *Iter Alberti, Comitis Capraræ, Legati Cæſarei ad Muhamedem IV. Turcarum Tyrannum*, Venet. Ao. 1685. typis exſcriptum. Verum & ibi dolendum eſt, fœdas paſſim mendas, præcipue circa Orthographiam locorum irrepſiſſe. Etenim p. 14. pro Fiſchau ſcribit *Fiſſa*, & pro Prater, quæ eſt Inſula Danubii, Viennæ proxima, *Proter*. p. 23. pro Waitzen vel Vacia ſcribit *Vazen*. p. 36. pro Illöch, *Ulloch*, p. 37. pro Peter-Waradein, *Pater-Varadin*, pro Carlovvitz *Carlatz*, & pro Salankemen *Slangemen*. p. 39. ad Belgradum Danubium, Savum, & Tibiſcum decurrere dicit: quod de *Tibiſco* minus verum eſt, qui infra Belgradum prope arcem *Titul* Danubio miſcetur p. 44. *Zagodina* ſcribit, cum Jagodina debuiſſet. Et p. 45.

Morua pro Morava. Quod autem p. 50. *Andrianopolin* pro Adrianopoli ponit, error eſt, aliis quoque perquam familiaris. p. 171. arcem Walcovvar prodigioſe transformat in *Wolscovar*. p. 206. *Scemptun* Schœnbrun eſt, qui locus erat in deliciis Eleonoræ Auguſtæ, Ferdinandi III. Viduæ. Facile tamen potuiſſet hoc ſubodorari auctor, cum ipſe nomen hoc Italice, & quidem recte interpretetur.

§. 16. Nec immunis eſt ab ejusmodi erroribus, quamvis parcius hinc inde occurrentibus, vir illuſtris, BAPTISTA NANIUS, *Venetæ hiſtoriæ* luculentus conditor. Parte enim II. æterni operis, L. II. quæ ſola nobis nunc ad manus eſt, p. edit. Bononienſis, quæ Anno 1618. in 4to prod. 36. *Crembam* & *Cronenburgum* pro Crems & Cornenburg ſcribit. Quid quod p. 268. pro Barckan ponit *Banchan*, & pro Neuſtad *Heuſtad*, qui tamen nævi, cum raro deprehendantur, pulcherrimam hanc Venerem nequaquam deturpant.

§. 17. MAJOLINUS BISACCIONIUS *Comes*, qui in Germania bello tricennali militavit, in *Commentariis hiſtoricis*, V. libris conſtantibus, & Venet. Anno 1647.

publi-

publicatis, quamvis longe melius GUALDO ſe gerat, tamen & ipſe paſſim peccat. Tale quidem eſt, quod L. I. p. 10. *Lithuaniam* Canali ſeu ſinu maris a Finlandia dividi affirmat, cum *Livoniam* dicere voluiſſet. Quod p. 90. pro Berenburg *Pernburgum*, & pro Anhalt *Hanalt* ſcribit, ſimulque ex Principatu iſto Comitatum facit. Quod L. II. *Lecbonitz*, quod rectius ſcribitur Lœcknitz, portubus Pomeraniæ annumeret, cum longe a mari diſtet. Quod L. II. p. 107. Ducatui Würtembergico neſcio quam urbem *Rinſiens* aſſignat, eidemque tribuit *Tilingam ad Nicrum*, quam ego hic nullam novi, probe gnarus, Dillingam Sveviæ non Nicro, ſed Danubio allui. Eadem deprehendas in ejusdem ſcriptoris hiſtoria bellorum civilium. Nam in tumultibus Anglicanis p. 83. pro Neumarck ſcribit *Nimvarch*, & p. 94. pro Portsmuth *Posmuth*. In hiſtoria item bellorum civilium Sarmaticorum p. 292. neſcio quam nobis Podoliæ arcem *Pollonam* repræſentat, nobis certe, licet ipſe inter munitiſſimas regni referat, incognitam. Tandemque in tumultibus Helvetiis p. 431. pro Thurgovia *Targoviam*, pro

Winterthur, *Vintertun*, pro Biſchofszell *Biſchockzell* ſatis negligenter ponit.

§. 18. Poteramus plura ex Italis negligentiæ hujus ſpecimina afferre, ſed tempus eſt, ut vaſa colligamus, ac receptui canamus, ſi hoc tantum addiderimus, mirandum eſſe, hanc incuriam, præcipue Orthographicam, recentioribus Italis adeo familiarem eſſe, cum vetuſtiores, & imprimis illi, qui XVI. Sec. ſcripſere, longe majori accuratione ſint uſi, quod ſi neceſſitas exigeret, & tempus ſupereſſet, facile demonſtrare poſſemus. Interim, ne ipſi & Galli ſoli arguantur, monemus ſub finem hujus Schediasmatis, *Hiſpanos* quoque & *Anglos*, licet rarius, imo ex noſtris aliquos ſubinde halucinatos eſſe. Ex *Hiſpanis* nunc quidem occurrit PRUDENTIUS SANDOVAL, qui in hiſtoria Caroli V. L. II. §. 44. f. 106. & 107. de Luthero verba faciens, Islebiam vocat urbem Saxoniæ in Comitatu *Melatfeld*, ſic enim ipſi libitum fuit, vocem Mansfeld immutare. Liceretque fortaſſis plura ex ipſo proferre, niſi nunc quidem ad manus non eſſet. Interim optamus, ut qui interpretationem ejus moliri dicitur, ADAMUS EBERTUS, Froncofurtenſis, emen-

emendatiorem eum & caſtigatiorem nobis ſiſtat. Sandovalio adjungimus BERN-HARDUM ITALUM, Monachum ex Familia Franciſci Aſſiſiatis, qui in ſuo *de Conſtantinopoli & aula Turcica, libello,* Neapoli 1633. Hiſpanice publicato, p. 138. ad Tanaim fl. neſcio quam urbem *Pragorum* nobis exhibet, 30000. imo 40000. hominibus inhabitatam, de qua altum apud reliquos omnes etiam accuratiſſimos ſcriptores ſilentium, adeo ut in cerebro tantum boni hujus Monachi extitiſſe videatur.

§. 19. Ex *Anglis* unus in ſcenam prodeat EDUARDUS PHILIPPUS, cujus *Theatrum Poëtarum* ſermone vernaculo ſcriptum, ut fœdis paſſim erroribus aliis ſcatet, ita nec a Geographicis immune eſt. Inde enim eſt, quod p. 50. *Caſparem Urſinum Velium*, civem noſtrum Sileſium, a patria ita dictum velit. Et quod p. 101. Vratislavia noſtra ipſi audiat *præcipua Poloniæ civitas.*

§. 20. Cæterum, ut noſtra quoque vineta cædamus, non poſſumus non mirari, quid in mentem venerit doctiſſimo alioqui & omnis hiſtoriæ peritiſſimo BOHUSLAO BALBINO, dum L. I. Decade I. Miſcell.

Bohem. C. IV. f. 7.6, hæc verba proferat: „Idem de aliis quoque fluminibus & fluviis „dici poteſt, (quod nempe ex Bohemia „originem trahant) ut de Steina, Warta & „Niſſa, qui in comitatu noſtro Glacenſi na- „ti Oderam intrant, & ad Lubecam effunduntur in mare. Quem ego tantum virum errorem commiſiſſe profecto nequaquam crederem, niſi ipſa, dum hæc propono, verba ante oculos haberem. Excuſandus tamen eſt vir ſummus, cui aliud agenti tale quid obrepſit, præcipue cum ſocium nactus ſit virum itidem eruditiſſimum, & fama per totum orbem literatum celebratiſſimum MARQVARDUM FREHERUM, cui *Originum Palatinarum* P. II. C. III. p. edit.: poſt. 10. aſſeverare libuit, *Francofurtum ad Viadrum urbem claram domicilii Principis Electoris Brandenburgici eſſe*, cum abunde cognitum ſit, jam diu, antequam Freherus hæc ſcripſit, *Berolinum* ſedem Electorum fuiſſe. His duumviris addere placet JOH. ARNOLDUM a BRAND, qui in *Hodæporico* hoc ipſo anno ab Henninio lingva patria edito p. 12. vehementer errat, dum pleroſque Gedani ſive Dantiſci cives a partibus Romanenſium ſtare affirmat; me-

rito ea de cauſa ab Henninio in annotationibus p. 311. caſtigatus. Qui tamen alium quoque ejusdem errorem perſtringere debuiſſet, quod nempe p. 13. ædem B. Virginis, quæ ibidem eſt, perperam Latinis adjudicat.

§. 21. Hæc utique admonere nos debent, quam caute, quamque circumſpecte agendum ſit, quoties in publicum prodire, orbique literato innoteſcere cupimus. Neque ego profecto, ſatis gnarus, me quoque hominem eſſe, tam acerbe prædictos, Gallos præſertim, notaſſem, niſi ipſi ſua modeſtia & in nomen Germanicum ferocia, indignationem noſtram provocaſſent. Enimvero, ſi præter Geographicos cæteri iſtorum hominum errores enumerandi & caſtigandi forent, non ſchediaſma paucarum aliquot pagellarum, ſed juſtus nobis liber evaſceretur. Exurget tamen fortasſis, cum nobis id quidem jam non integrum ſit, ex Germanis noſtris ultor, qui amici noſtri celeberrimi CRAMERI, *Regii apud Berolinenſes Conſiliarii*, veſtigia legens, obtrectatores gloriæ nominisque Germanici, ut meruere, tractabit.

Obſer-

Obſervatio CCIII.

M. HENRICI SCHARBAU,

apud Lubecenſes V. D. M.

de

Percuſſore Ægypti,

ad Exod. XII, 23.

QVI periodos & myſteria temporum in Scriptura Sacra ubiqve qværunt, ſeveriſſimas qvoqve Ægypti plagas in exemplum poſitas eſſe credunt Ægypti myſticæ, olim condemnandæ, & parallelas faciunt antichriſtianæ ſocietatis, quibus punietur ac vaſtabitur, plagis, deſcriptis *Apoc.* XVI. v. NIC. GURTLERI *Syſtema Theologiæ Propheticæ* c. VII. *art.* XXII. §. XLIII. p. 88. it. J. H. MAJI *oeconomia iudiciorum divinorum* ad iſtas plagas. Sed cum vel in ipſa plagarum Ægyptiacarum hiſtoria plurimæ difficultates occurrant, quæ negotium faceſſere queant; unam ex his ſeligam ſuperandam *de Percuſſore Ægypti*, cujus in ultima primogenitorum internecione mentio occurrit. Ita Moſes: ועבר יהוה לנגוף את מצרים ולא יתן המשחית לבוא אל בותכים לנגוף Exod. XII. 23.

II. Multum fuit olim diſputatum inter

eru-

eruditos de hoc *percuſſore* (ſive *exterminatore*, voce aureæ ætatis,) *Ægypti*. Nam qvemadmodum id extra dubium videbatur eſſe poſitum, qvod ipſe Deus ſupremus vindex & cauſa plagæ primaria omnino fuerit; ita, an ipſe Deus immediate, an vero mediate hanc plagam fuerit executus? an, ſi mediate egerit, aerem infecerit venenatis particulis? an angelum miſerit executorem? & ſi angelum miſerit, num bonus ille aut malus, num unus an vero plures fuerint? diſceptatum multum eſt. Qvibus dubiis diſcutiendis cum operam ſuam impenderint commentatores, & poſt alios M. CHRISTIAN. HENR. BROEMEL in *diſſert.* An. 1685. Jenæ habita, & recuſa in *Theſauro Theologico-Philologico* P. I. p. 301-307. *de angelo exterminatore*, otium illi nobis fecerunt.

III. Sed in alias qvasdam præterea inciderunt eruditiſſimi viri ſententias. Unam deprehendo in *commentario* JOHANNIS d' OUTREIN *in epiſtolam ad Ebræos* P. III. p. m. 513. ſq. *editionis Germanicæ*, ad cap. XI. v. 28. & in appendice p. 831. ſq. *peculiari commentatione*, qvi iſtum משחית interpretatur, *mortem*, alteram videre licet in cl. viri HERMANNI von der Hardt Groß-Hallel ad Pſalmum CXXXVII. qvi militem Iſraeliticum intelligit divinitus miſſum & excitatum, ad verſ. 10. hujus Pſalmi L. B. 6, 7. Sed qvid de utraque hac ſententia ſtatuendum, qvodqve merito in recepta

cepta de angelo malo interpretatione permanendum ſit, jam indicabo.

IV. Prima J. d'OUTREIN ſententia prolixius & multis argumentis roboratur. Primam claſſem conſtituunt ea, quæ probant, non aliam extra Jehovam perſonam neque plures intelligi poſſe aut debere, in quo iisdem armis pugnat, quibus illi ſolent uti, qui hunc ægyptiorum interitum Deo immediate tribuunt. Nam, ait, המשחית intelligi optime poſſe de ipſa plaga, immiſſa à Deo ædibus ægyptiacis, ut primogeniti percuterentur. Putat: verba Exod. XII. 23: לא יהוה בכם נגף למשחית de hoc ipſo interitu capienda eſſe, ita ut ſenſus ſit: non permittet perditioni, invadere domus veſtras. Nec minus alia proſtare loca, in quibus משחית denotet interitum. II. *Chron.* XX. 23. *Ezech.* V. 16. XXI. 11. *Dan.* X. 8. Coll. *Jerem.* V. 26. Sed, eſto, ipſum quandoque interitum & corruptionem dici משחית, non tamen inde ſequitur, niſi alia accedat ratio ex circumſtantiis loci & parallelis, hunc aut alium locum, eodem ſenſu eſſe accipiendum. Namque cum ſit participium Hiphil ſua forma, optime vi ſignificationis de perdente ſeu exterminante & percuſſore ſeu percutiente intelligetur. Neque vero loca allata contrariæ ſententiæ multum favent: verſiculus 13. optime de perdente capitur. vid. J. BUXTORFF *concord.* locus 2. *Chronic.* XX. 23. איש ברעהו למשחית ita

vertens

vertendus: alter alteri erat perditor vid. *verſio* JUNII & TREMELLII. Cum vero dubium eſſe poſſet, quis hic prævalere debeat ſenſus, an perditionis, an vero perſonæ perditoris? in ſubſidium vocanda ſunt reliqua Scripturæ loca, in quibus hæc plaga deſcribitur, & perſonæ tribuitur, de quibus deinceps.

V. Dicit porro: ſi מַשְׁחִית de ipſo interitu capiatur, reliquas expreſſiones & loquendi modos, nativam ſuam vim ſignificationemque retinere, in quibus Deus dicitur, ægyptios percusſiſſe, inprimis capitis noſtri verſiculo 12. ubi Deus ipſe dicit וְהִכֵּיתִי וְעָבַרְתִּי אֲנִי יְהוָה. Sed valerent hæc adverſus eum, qui cauſam primariam negare vellet, non vero contra eum, qui negat: cauſam primariam non intelligi debere cum excluſione ſecundariæ. Sæpius enim in ſacro codice *Deo* tribuitur, quod *per miniſtros* fecit. Angelos in excidio Sodomæ & Gomorrhæ fuiſſe occupatos, docet Geneſeos caput XIIX. 22. & tamen Dominus dicitur feciſſe pluere a Domino. C. XIX. 24. terramque evertiſſe, v. 29. Quin interdum verba, in quibus Deo aliquid tribuitur, non ſine crimine Deo immediate adſcribuntur, ut, cum dicitur aliquoties induraſſe cor Pharaonis. *Exod.* VII. 3. XI, 10. Neque tamen verendum erit, ne non aliis quoque locis creatum angelum concedere debeamus iis, qui divinam perſonam admittere nolunt, ut *Geneſ.* XIIX. 10. 13. 19. XX. 17. *Exod.* III. *Jud.* VI. & XIII.

Abſit

Abſit enim, ut manifeſtationibus divinis detra-ctum aliquid velimus,ut magnifice potius atque reverenter ſemper de Deo ejusque revelationibus ſentiamus, easdemque defendamus. In hac igitur bona cauſa non eſt opus dubiis falſisque argumentis, cum vel tria eaque ſolida ſufficiant.

VI. Inſtat D'OUTREIN: Si de interitu ipſo, non vero de interemtore intelligatur המשחית dubia omnia, omnesque *difficultates* ſponte ſua collabi: num bonus an malus, num unus an plures angeli intelligendi ſint? itemque an ſingulas ædes intrarint, an non? Nam nec hæc quidem, quam ille jactat interpretatio ita plana eſt, ut nullas relinquat difficultates; nec occaſio ſuperſit quærendi: An peſte an apoplexia, an alio morbi genere perierint? an aër contaminatus fuerit, quem reſpirarunt? an ſanguis in curſu ſuo turbatus, qui circulationem debebat perſequi? an ſuffocati fuerint, aut alia ratione ſublati? quis enim curioſo adeo hominum ingenio luxuriantive, aut notos in ſcirpo quærenti, ſatisfaciat?

VII. Jam propius accedamus ad ea, quibus ſuam ſententiam ſtabiliendam ivit, argumenta. Aſſerit: משחית atque ὀλοθρεύων *Hebr.* XI. 29. qua voce Paulus utitur, ubi mentionem facit hujus plagæ, mortem ipſam ſignificare. Dicit: mortem in hebræa lingva מות & in græca θάνατος, vocibus maſculini generis exprimi, adeoque utrinque ſubintelligi poſſe mor-

tem

tem מות המשחית & *θάνατος ὁ ὀλοθρεύων*. Sed ſi hæc valent, eccur nobis non liceat, eadem, qua ipſe uſus eſt, libertate ſubſtituendum eſſe credere angelum. Neque enim diverſitas generis obſtat, quo minus dicatur מלאך המשחית aut *ἄγγελος ὁ ὀλοθρεύων*. Multum vero minus valet argumentum inde petitum: quaſi mors atque interitus, mori etiam atque interire unum idemque ſint, ſæpiusque invicem permutentur, ut 2. *Sam.* XXIV. 16. &c. Nam & hoc noſtræ non obſtat ſententiæ, qui ſtatuimus, Deum miniſterio angelorum uſum fuiſſe ad perdendos interimendosque ægyptios. Neque ſequitur: משחית denotat interitum, interitus & mors conſpirant; ergo Deus non eſt uſus miniſterio angelorum in cædendis ægypti incolis; ſed tantum ſequitur: ergo plaga fuit mortifera.

IIX. Provocat hinc ad conſvetudinem omnibus temporibus gentibusque receptam, mortem deſcribendi, ceu perſonam omnia perdentem, ſibi ſubjicientem, in nihilum aut cineres redigentem. Mortem adeo dici *terrorum regem Jobi* XIIX, 14. & loquentem introduci c. XXIIX. 22. atque *exactoris* inſtar invadere mortales. *Pſalm.* LV. 16. conf. *Jeſ.* XXIIX. 15. XXXIIX. 18. Inprimis memorabile putat eſſe effatum Jeremiæ: *mors aſcendit ad feneſtras noſtras, & ingreſſa eſt in palatia noſtra.* c. IX. 21. quo cum plura ex profanis ſcriptoribus amice

conſpirare putat ex OVIDIO & HORATIO, qui inter alia canit: L. I. od. 19.

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas regumque turres.

Sed fac, mortem interdum perſonæ inſtar repræſentari, metaphoricas tamen iſtas ſcripturæ phraſes eſſe nemo dubitaverit, niſi quis ſibi mortem imaginatus fuerit σκελετὸν σῶμα, falce & clepſydra inſtructum, quale pictores pingunt. Sed fluunt omnia iterum ſua ſponte, neque ſermo aut metaphoricus aut ullo modo difficilis eſt, nec longe quæſitis indiget ornamentis, ſi angelum intelligamus exterminatorem, cui interdictus erat in ædes Iſraëlitarum a Deo ingreſſus. Quod vero tandem additur ad illuſtrationem confirmationemque repudiatæ hactenus ſententiæ: ipſam illam ultimam ægyptiorum plagam mortem & interitum primogenitorum fuiſſe, nihil probat. Nam hoc eſt, quod ambabus largimur manibus, ſed cauſam non acceſſiſſe miniſtrantem, hoc eſt, quod negamus.

IX. De loco vero Pauli 1. *Cor.* X. 10, adeo nobis parum metuendum eſt, ut potius allatæ HEINSII autoritati opponamus (ſi his placet uti armis) autoritatem COCCEJI, qui hæc in iſtum locum meditatur. Ulterius, inquit: *monſtrat Paulus, quod Iſraëlitæ ſe oſtenderint ſimulque murmurationibus, quæ ſatis frequentes fuerunt.* Inprimis notatur magna illa murmuratio, contra terram promiſſionis (de qua *Numer.* XIV. 37.)

37.) quam juravit Deus, ipſos non intraturos in eam terram; atque ideo cum in montem aſcendiſſent, cæſi ſunt, & deinde in deſerto proſtrati ad eum modum, quo & ὁ ὀλοθρευτὴς משחית primogenita exterminaverat in ægypto.

X. Sed longe aliam viam incedit circa hunc המשחית celeberrimus vir Dn. HERM. von der HARDT, quam expoſuit A. 1713. d. 9. Martii in feſto ſuo fontium, non viſam ante, nec cognitam forte ulli. Nolo jam inquirere, qua veritatis ſpecie dici poſſit: Davidem, cum ſolenni ritu arcam fœderis in arcem ſuam tranſtuliſſet, & juſſiſſet quotidie, Te Deum! ſeu הלל canere, reſonantibus harmonice inſtrumentis muſicis, cujus ſpecimen exſtet 1. *Paral.* XVI. occaſionem dediſſe Serubabeli & Joſuæ, tempore ſecundi templi ſimilia faciendi. Unde hic Pſalmus CXXXVI. enatus, cui titulum facit: Gros-Hallel. Sed illud ad noſtrum inſtitutum facit, ubi ita diſſerit ad verba verſ. 10. למכה מצרים בבכוריהם Es hatte Moſes beym Auszuge/ viel hundert Bewaffnete von den Juden bey ſich. Dieſe bewaffnete Iſraëliten ſind nach GOttes Eingeben mit einem Helden-Muth in die Götzen-Tempel gegangen/ haben die Götzen-Bilder zur Erden geſtürtzet / alſo auch Joſephs Sarck mit Gewalt heraus genommen . . . Es iſt ohnſchwer zu ſchlieſſen/

wie es nach GOttes heiligen Rath und gerechten Eifer wieder die Ægyptier hergegangen. Es gieng des Nachtes herum ἐξολοθρεύων. Haben ſie das gethan/ daß ſie die Götzen-Tempel geſtürmet/ ſo iſt auch leicht zu verſtehen/ wer משחית Verheerer geweſen. Es wird das Wort משחית insgemein von Soldaten gebraucht. Es iſt aber hierbey enallage numeri, da singularis pro plurali geſetzet/ welches gar offt auch in heiliger Schrifft fürkommt. Werden alſo durch die Verheerer/ die erbitterte bewaffnete Männer der Iſraeliten verſtanden; welche beym Auszug jederzeit bey Moſe: miles divinitus excitatus. -- Dieſe Zelotæ, wie ſie den Muth gefaſſet/ in der Ægyptier Tempel zu brechen/ und Götzen-Bilder herunter zu reiſſen; alſo ſind ſie auch von GOtt in eben der Nacht gegen die Feinde ſelbſt animiret/ daß ſie mit bewaffneter Hand in der Ægyptier Häuſer eingedrungen/ ein jeglicher den Aelteſten/ den Er angetroffen/ erwürget/ nicht eben præciſe lauter Primogeniti; &c. &c.

XI. Faceſſant jam omnes, antea enarratæ, motæque a viris eruditiſſimis lites, diremit eas facili negotio, unoque proſtravit ictu, quicquid curioſo harum rerum ſcrutatori in mentem venire poterat, dum omnes de angelo, aut plaga exi-

exitiali controverſias ſeponens, militem ſubſtituit Iſraëliticum. Sed ſi verum dicam: Non adeo expedita ſunt omnia, ut non liceat contra hiſcere, aut potius aſſerere: Explicationem propoſitam nullis ex textu aut parallellis locis deſumtis argumentis confirmari, multa vero, quæ pondus habent, opponi ipſi poſſe.

XII. Provocat vir longe celeberrimus ad ipſam vocis, המשחית ſignificationem, eamque maxime communem & ordinariam, qua *militem* notet. Sed nimis generalis hujus vocis eſt ſignificatio, quam ut ad ſolum militem primario referenda ſit. Si more Domino von der Hardt recepto luſus liceat quærere in voce שחת erit græcorum σκεδάω, σκεδέω, σκεδάννυμι, σκεδάζω, aut germanorum ſchaden/ quod de militibus vere dici poteſt, cum nulla ſalus, magnum vero damnum bello ſit; ita tamen, ut de aliis etiam, quæ damnum inferunt, uſurpetur. Hinc quicquid græcorum vocabulorum aptum eſt ad exprimenda damna & detrimenta humanæ vitæ, reperitur paſſim a LXX. interpretibus adhibitum, ubi שחת in fontibus occurrit. Mox adhibent in verſione ſua vocem φθείρω *Gen.* VI. 11. *Levit.* XIX. 27. *Jeſ.* LIV. 10. mox διαφθείρω, locis quamplurimis, interdum etiam καταφθείρω: mox ὀλοθρεύω Exod. XII. 23. *Jerem.* II. 30. XXII. 7. ἐξολοθρεύω *Exod.* IIX. 24. *Deut.* IX. 26. X. 10. XX. 19. 20. *Jerem.* IV. 7. XXXVI. 29. Mox ἐξαλείφω, Gen. IX. 15. *Ezech.*

IX. 8. *Oſeæ* XI. 10. Mox καταςρέφω, *Gen.* XIII. 10. Mox ἀπόλλυμι, ἐκτρίβω, ἐκχέω, ἐκτοφλάω, ἀναιρέω, ἁμαρτάνω, ἐμβάλλω, καταβάλλω, et; ἀφανισμὸν, τίθημι, λυμαίνω, αἴρω, ἐξαίρω, ἀδικέω, κατασκάπτω, πίπτω. Unus occurrit locus, ubi adhibuerunt πελεμέω. *Jeſ.* XXXVI. 10. In ipſa, qua noſtro loco adhibetur, forma, non perdentem ſignificat militem ſolum; ſed jam ipſe Deus dicitur משחית. *Gen.* XIX. 12. כי יהוה משחית את העיר it. 2. *Sam.* XXIV. 16. jam angelus 1. *Chron.* XXI. 12. ומלאך יהוה משחית בכל גבול ישראל. De prodigo adhibetur eadem vox *Prov.* XIIX. 9. ibi enim piger dicitur אח הוא לבעל משחית; Leo crudelis eſt juxta *Jer.* II. 30. אריה משחית. Neque tamen negandum eſt, interdum exercitum ſeu militem dici משחית. Ita enim de Philiſtæis, Iſraeliticam terram, ut eam devaſtarent, inundantibus ſcribitur: ויצא המשחית ממחנה פלשתים. Alia igitur omnino afferenda erit ratio perſuaſuro nobis, percuſſorem ægypti fuiſſe militem Judæum, quam communis vocis uſus.

XIV. Concedimus præterea, potuiſſe Deum jam tum excitare Heroas inter Iſraelitas, qui vindices adhiberent manus, & allatas antea ulciſcerentur injurias; Sed non eſt quæſtio: *quid fieri potuerit* per Dei omnipotentiam, ſed *quid factum ſit?* Sed qui noverit pavida Judæorum pectora, nullo hactenus rerum ſucceſſu ex-

cuſſa,

cuſſa, quæ vix ferebant Moſis in aula ægyptiaca molimina, & quævis ſibi mala ominabantur, & qui conſideraverit, quo terrore ad conſpectum Ægyptiorum, qui veſtigia legebant fugientium, & ad mare rubrum elapſos cingebant, perfuſi fuerint מאד וייראו *Exod.* XIV. 10. vix ſibi perſvadebit, aut vidiſſe Iſraelitas egregia facinora a commilitonibus edita, aut edidiſſe ipſos. Hæc enim erigere potuiſſent animos abjectos, prout eveniſſe videmus tempore Judicum, ubi datos ſibi a Deo Duces infracto ſequebantur animo.

XV. Sed dicitur, additum jam fuiſſe Iſraelitis animum, quod effractis Ægyptiorum templis faniſque, proſtraverant & confregerant idola, quibus ſacra fecerit gens ſuperſtitioſa & Idololatrica. Sed gratis hæc omnia eademque, qua cætera, temeritate aſſeruntur. Nam *Exod.* XII. 12, *Numer.* XXXIII. 4. Jehova dicitur judicia exercuiſſe etiam בכל אלהי מצרים & באלהים. Sed ſi templa fregerint, potuerunt hæc contingere clam & ſine ſtripitu, aut animo tali, qualis requirebatur in eis, qui violentas inferre manus auderent hoſtibus tam potentibus, & ipſis Dominis ſuis. Præterea, ſi de Idolorum ſtrage hæc intelligenda ſunt, cur non potius divinas miraremur manus, quæ cum Ægyptiorum primogenitis, objectum quoque idololatrici cultus proſternere voluerint? ceu poſtea evenit tempore ablatæ a Phili-

ſtæis arcæ fœderis, quæ cladem intulit victoribus, idolumque Dagonis humi affixum, capite, manibus, pedibusque truncatum, riſui & indignationi expoſuit adorantium. RASCHI de hac Idolorum clade ita diſſerit: ובכל אלהי מצרים של עץ נרהבת ושל מתכת נחשת ונתכת לארץ אעשה שפטים אני יהוה אני בעצמי ולא על ידי שליח ונו. Et in omnes Deos Ægyptiorum, ſive ligneos putridos, ſive conflatos ex ære, ſive fictiles, ego Jehova judicium exercebo, hoc eſt: *ego ipſe, non vero per miniſtrum.* ABENESRA in ſuo ad hunc locum commentario divinum hoc in Idola ægyptiaca judicium comparat cum judicio Dei in idolum Dagonis; Nam dicit, hæc de judicio Dei in putatitios ægyptiorum Deos ita deſcribi, ut comparari optime poſſint, cum Dagone proſtrato: de quo dicitur: quod in faciem ſuam proſectum idolum, coram arca jacuerit, & capite poſtea privatus fuerit. 1. *Sam.* V. 3. 4. ait: פרוך וראש דגון נופל לפניו ארצה. Quod denique Joſephi corpus ſecum abduxerint, de eo vix credo ſimile ortum fuiſſe, quale geſtum fuit propter corpus Moſis, certamen.

XVI. Sed, ſi quid mihi hic videatur, dicam: Ego hæc judicia Dei באלהי מצרים interpretarer *de interitu primariorum & nobiliſſimorum, ſplendidiſſimorumque ægypti incolarum.* Non eſt enim infrequens: אלהים adhiberi de ho-

minibus

omnibus eminentiori loco conſtitutis, inprimis *magiſtratu*, hæcque optime cohærent cum circumſtantiis textus. Moſes enim enarraturus, quam late plaga ſerpſerit, non ſolum jumenta eam ſenſiſſe dicit, ſed & homines, eosque non ſolum vilioris ſortis; ſed & excellentioris. Quin imo citato loco Numer. XXXIII. 4. Ægyptii dicuntur fuiſſe occupati in ſepeliendis mortuis, nemine excepto, & additur: nam & באלהיהם judicia exercuerat Dominus, hoc eſt, in primores. Si enim de idolis interpreteris, non amplius erit ratio, quare ſinguli ægyptii incolæ occupati fuerint in ſepeliendis ſuis mortuis. Adeoque ſi hoc admittatur, plane nullum erit argumentum deſumtum *ab animo Judæorum intrepido*, quem declararint *in perdendis idolis aegyptiacis*. Addit porro; ſemper dici בכורים ſeu primogenitos; quis vero credat, aut ſemper incidiſſe zelotas Iſraelitarum in primogenitum, ubi ſpumantia arma inferebant ædibus ægyptiacis, aut ſi non occurreret primogenitus, elabi paterentur reliquos, donec præciſe natu maximus ſuppeteret. Quod cum ſibi dubium moveri poſſe viderit vir celeberrimus, gratis iterum & invitis addit fontibus: non ſolos primogenitos cecidiſſe, ſed primogenitos debuiſſe mori jubente Deo, ſi vero deficeret, alium majorem natu aut adultum ejus loco trucidatum fuiſſe. Denique ſi hæc plaga a milite Iſraelitico exercita fuit, quis ſibi perſvaderi patietur, eum

iam jumenta, eorumque primogenitos invaſiſſe. Vel hoc ſolum arguit, *non ab homine*, ſed *ab angelo exterminatore ultimam ægypti plagam executioni datam fuiſſe*, adeoque (משחית) ægyptiorum fuit angelus a Deo vindice miſſus.

XVII. Integra adeo & ſarta manet communis & recepta hactenus *de angelo exterminatore* ſententia. Quamvis autem non deſint, qui bonum, qui & malum intellectos velint, probabilior tamen mihi videtur eorum ſententia, qui *de malo angelo* hæc interpretantur, quorum jam ſcrinia compilare non vacat. Sufficiat indice digito præcipua illorum argumenta monſtraſſe. Dicitur enim de hoc percuſſore, non permiſſurum ipſi Deum ædes Iſraelitarum ſanguine agni paſchalis notatas intrare, & plagam extendere ad Iſraelitas, v. 23. quod non fuiſſet opus, ſi angelus fuiſſet bonus. Inprimis huc facit teſtimonium Davidis Pſalmo LXXIIX. 49. ubi immiſſos ait ægyptiis angelos malos, משלחת מלאכי רעים. immiſſionem nuncupat angelorum malorum; non obſtantibus, quæ objicit SIXTINUS AMAMA *antib. bibl.* l. 3. p. 806. Conſentiunt etiam *Targumim*; verſio etiam *Syriaca*, *Æthiopica*, *Arabica*, *LXX viralis*. Ad idem Davidis effatum reſpicit ſine dubio *Autor libri Sapientiæ Cap.* XIIX. Patrum plurimorum conſenſum, traditiones pariter Judæorum, prolixe & eleganter exponit & vindicat M. CHR. HENR. BROEMEL in diſſertatione laudata, *de Angelo exterminatore*.

Obſer-

Obſervatio CCIV.

M. CHRISTIANI HEINR. BROEMELII,

Paſtoris Marlishuſani,

ſiſtens

Theologos ex Jure Conſultis in Primitiva Eccleſia.

Poſtquam nuper cœpimus inſignes *Theologos ex JCtis in Apoſtolica Eccleſia* recenſere, * continuabimus quidem hanc ſpecialem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ partem, ita tamen, ut a prolixa *βιογραφία*, cui ſpiſſa volumina ſufficiunt, abſtineamus, contenti *mutationem profeſſionis* indicaſſe.

Seculo II.

Non facile invenitur hac ætate JCtus, qui Theologis aut Patribus accenſendus ſit. Sive enim miſerrima Eccleſiæ facies, & Perſecutorum furor, homines in foro verſantes deterruit, Eccleſiæ Chriſtianæ nomen

* Vide domum IX. horum Miſcell. Lipſ. p. 123. ad p. 157.

men dare, ex vaticinio Eſaiæ *Cap. XXIII. 18. Matth. XI. 25. I. Cor. I. 18. ſqq.* Sive quod humillima Chriſtianorum ſimplicitas ſtatum ſuorum, ante converſionem, ſilentio involuebat, contenta memoraſſe, non qui fuerint, ſed quales Dei gratia facti ſint. Recte namque judicat GROTIUS: *neque dubito, quin multi ex juris Sacerdotibus Chriſti Sacerdotes facti ſint, quod ea in religione omnia juris præcepta viderent eminentiora contineri.* Com. in Tit. III. 13.

Seculo III.

TERTULLIANUS Patre Proconſulari, ut eum *Hieronymus* nominat, vel uti alii Centurione Proconſulari natus Carthagine, citra controverſiam JCtus magni nominis fuit, quod ſtylus foro Romano conformis probat, quemque Scholæ Servidii Scævolæ debuit. Quod & quomodo Advocatum et auſarum Patronum egerit, pulcre profitetur his verbis: *Ego nihil fero, nihil carpo, nihil curiæ debeo,* nihil officio advigilo, *nulla roſtra præoccupo, nulla prætoria obſervo, cancellos non adoro, ſubſellia non contundo, jura non conturbo, cauſas non elatro. lib.* de Pallio Cap. V. De eo ſaltem diſpiciendum, num

num Tertullianus noſter ſit idem cum TERTULLO, Conſule Romano, aut TERTYLIANO JCto, quum Senatus Conſulti TERTULLIANI mentio fiat in Digeſtis l. 38. T. 17. & Cod. l. 6. T. 55. Sed cum ille, non niſi *Tertulli* nomine inſignis anno Urbis Conditæ DCCCCX. vixerit, antiquior fuit noſtro Tertulliano, hic vero innotuit ſub Alexandro Imperatore ſub nomine TERTYLIANI, adeoque diverſus & recentior fuit. Hinc recte dubitant GROTIUS Comm. in Tit. III, 13. & PAMELIUS in Vita Tertulliani p. 23. Ex quo fidei Chriſtianæ nomen dedit, & habitum mutavit, ſarcaſmo hoc exceptus a nonnemine: *itane a toga pallium?* oratione ſingulari & apologetica profeſſionis mutationem defendit, quam inſcripſit *de Pallio.* Quorſum notandum, quod toga in foro & circo incedendum fuerit Romanis, eaque *alba*, uti conſtat ex Svetonio in Auguſto Cap. 99. & Caſaubono in eum. Chriſtiani vero, Aſcetæ cumprimis, utebantur *pallio*, *Philoſophis Græcis communi*, quod ridebat faſtus Romanus, & Chriſtianos per contemtum vocabant *palliatos*, uti conſtat ex HIERONYMI Epiſt. 19. *ad Mercellam*, proinde vitio vertebatur

Ter-

Tertulliano converſo, ex JCto jam Theologo. Conf. PAMELIUS in Tertull. lib. *de Pallio* p. 10. & D. KORTHOLD. de *Moribus Veterum Chriſtianorum* Cap. II. §. 2.

MINUTIUS FELIX, Tertulliano æqualis, ex Pagano Chriſtianus, atque ex Cauſidico Romano, uti *Hieronymo* audit, Theologus, & ſtudii Sacri cuſtos factus eſt, de quo vid. *Cent. Magd.* Centur. III. Cap. 10.

GREGORIUS NEO-CÆSARIENSIS juri Civili & Romano Beryti operam dedit, eamque ob cauſam lingvæ latinæ addiſcendæ tantum temporis & ſtudii impendit, ut Græcam ferme dedidicerit: Fama *Origenis* ad Chriſtianiſmum adductus, cui firmiter adhæſit, & juvenis admodum Theologus Epiſcopatum Neo Cæſarienſem meruit. vid. Panegyricus ejus ab HOESCHELIO editus, & GREGORIUS NYSSENUS in vita noſtri.

ATHENODORUS Gregorii coætaneus & conterraneus pariter Græcarum & Romanarum legum ſtudioſiſſimus fuit, & literarum harum excolendarum gratia Athenis atque Beryti commoratus eſt. In Schola vero *Origenis* ex pagano Neophytus

atque

atque Theologus factus, & Epiſcopus conſtitutus eſt, de quo vid. SOCRATES Hiſt. Eccl. I. 16. IV. Cap. 27.

Obſervatio CCV.

M. DAN. FRIDERICI JANI,

Lycei Torgauienſ. CONR.

de

Eruditis, mortem ſibi præſagientibus.

I.

DE eruditis, qui mortem ſibi præſagierunt, nunc porro ex hiſtoria litteraria diſſerendum eſt. *. Ex horum cenſu primus eſt, ordine ita jubente, doctiſſimus monachus in cœnobio Hirſaugenſi ADELHARDUS, quem *Carolus Magnus*

* De *Eruditis, mortem ſibi præſagientibus* idem Cl. Vir, DN. M. JANUS, olim jam *Tomo II.* horum *Miſcell. Lipſ.* agere cœpit, *Obſ. XLIV. p. 635. ſeqq.*

gnus ob præclaras animi dotes, eruditionem, prudentiam, tanti fecit, ut eum conſiliorum principem haberet. Haec autem calamitas ei accidebat, vt nimio capitis dolore lumina oculorum amitteret, qui poſtquam remiſerat, viginti adhuc annos et amplius vixerat. Tres autem annos ante, quam e vita excedebat, diem non minus, quam horam mortis ſuae fratribus praedixit, quae etiam definito tempore contigit.

II.

Hunc ſequitur AMBROSIVS, *Mediolanenſis epiſcopus*, vir diſertiſſimus, pius, et inſignis ſacrarum litterarum doctor, de cuius praeclaris ingenii dotibus, fauſtoque omine, quod habuit, multa dicenda eſſent, niſi viri in hiſtoriis eccleſiaſticorum exercitatiſſimi ea luculenter tradidiſſent. Quod ad vitae ſuae finem attinet, multo ante eum praedixit, quem euentus comprobauerat, Is enim priuatim ac publice confeſſus erat, ſe ante diem feſtum Paſchatos diceſſurum: ad quod omnino tempus A. CCCXCVII. vt praecinit, deceſſit, cuius exanimatum corpus *Mediolani* in templo cathedrali tumulo illatum eſt.

III.

III.

Praeſagientium numero adſcribendus eſt GODOFREDVS BAVDISIVS, qui tantas ſibi virtutes diuerſis locis compara- verat, vt *Lignicenſium conſiliarius & cancellarius* fieret. Domeſticis vero ſuis & familiaribus mane ultimo vitae ſuae die indicauit, eſſe hodie futurum, vt circa horam VI veſpertinam mortalitatem exuat. Quod igitur praedixerat, illud habuit, dum ſub idem tempus rebus humanis valediceret.

IV.

DANIEL CHAMIERVS, reformatus Theologus & *profeſſor montis albani*, matutino tempore ad ſua ſacra negotia ſe conferebat, ſuisque familiaribus praedixit, quod veſperi ſit moriturus. Conſcendebat cathedram, & pro concione populi interpretabatur comma XXXIII. cap. XXXVII. Prophetae Eſaiae, quum haec vrbs obſidione cincta eſſet. Ipſius ſocius *Antonius Ioſienus* quaerebat ex eo, an poſt meridiem iterum ex vmbone ſacro verba ſit facturus? cui reſpondebat, quod ipſi non ignotum eſſet, quod hodie ad ſempiternam quietem accelerearet, ad quam ſe piis precibus praepararet. Circa veſperum globulo aeneo

transfodiebatur, & praedictio etiam adimplebatur, quod Rex hac vrbe, quam obſidione circumdederat, non eſſet potiturus.

V.

GERMANUM *Epiſcopum Pariſienſem* praeſciuiſſe quoque mortis diem inde colligimus, quod multo ante haec verba lecto ſuo inſcripſerat: *V. Calend. Iunii*; quo die mortuus eſt.

VI.

VICTOR GISELINVS, *Medicinae Doctor in Belgio*, non reticendus eſt, qui non ſolum ex arte medica, ſed ex ſtudiis etiam humanioribus magnam eruditionis gloriam nominisque celebritatem conſequebatur. Obiit A. cIↄ IↄxcI, quo diem & horam mortis praedixerat, prout eruditorum annales & monumenta prodiderunt.

VII.

De IOANNE BAPTISTA HELMONTIO conſtat, quod ope chymiae varia producere conatus ſit, quae ante ſuam aetatem nemo vnquam produxiſſet, hinc *philoſophus per ignem* nominabatur. Taceo miras opiniones, quas de anima & de ſe ipſo, vt vnico medico, quem venerari omnes deberent, habuit, & magis e celeber-

rimi

rimi *Jo. Fr. Buddei* Lex. vniuerſ. obſeruo, quod eruditis ſit adnumerandus, qui horam mortis praeſciuerunt.

VIII.

M. IO. ERNESTVS HERTZOGIVS, *Paſtor primarius Zittauienſis*, quem non immerito Zittauia omnis deplorauit, et etiamnum deplorat, placida morte Anno cIↃIↃccxv exſpirabat. Vir erat integritate vitae clarus, & ſcientia & prudentia Theologica, qua neque Pontificiis, neque aliis quidquam, quod verae & Euangelicae doctrinae aduerſaretur, indulgebat. Suſpiriis geminis ſaepius vtebatur:

Mein Jeſu Errette, Höre,
Höre, Errette Jeſu Mich.

Diem emortualem, immo horam mortis accuratiſſime ſciebat; inde die Saturni quaerebat ex amicis circumſtantibus: *quem diem hodie agimus? nonne eum, qui Sabinae proprius eſt?* cui reſpondebant: *craſtina luce ille dies agetur, & incidit in Solis diem;* quo facto aiebat: *eſt dies beate defunctae matris meae nominalis, meusque erit emortualis. Obſeruate eum, ego ſcio quod moriturus*

 ſim.

ſim. Poſtquam igitur die dominica mane hora ſeptima audiebatur, numerabat diligentiſſime omnia momenta, & quod memorabile, erecta mente voceque altiſſima. Hinc ad ſuos dicebat: *iam auditur hora ſeptima, & in Euangelico legimus: circa horam ſeptimam febris ceſſabat: id quod etiam in me adimplebitur. Circa horam ſeptimam melius me habebo.* Sic contigit illi, quod praeſagiebat, & maxime cupiebat, dum ſine dolore & cruciatu, tanquam leniſſimo ſomno comprehenſus, in Chriſto, Seruatore noſtro, obdormiebat, & de humanis calamitatibus & rerum mundanarum peruerſitatibus triumphabat.

IX.

IOACHIMVS IAHNERVS, *Sacrorum Schleuſingenſium antiſtes*, cum morbo conflictaretur, vltimo ante obitum die matutino tempore his vtebatur verbis: *hac nocte nocte paradiſiaca fruiturus ſum*; qua etiam ſine vllo corporis excruciatu e vita demigrauit.

X.

IOANES KERMANNVS, *Drittomienſis Eccleſiae Paſtor*, priusquam e vita excedebat, multo ante praedixerat, ſe aliquando, cum

Deo

Deo iubente mortalitatem exueret, meridie hora duodecima eſſe moriturum, quod euentus ita comprobauerat. Ipſe ſibi epitaphium confecit, quemadmodum e *Io. Godofr. Lembachii* libello, Hiſtoriſche Todes-Poſt dicto, intelligimus, quod poſt ipſius diſceſſum, vti praecepit, lapidi ſepulcrali inciſum eſt. Hoc autem ita conceperat:

Ioannes Kermann noſtris bene notus in oris
Meteſchicenſis Czeithenſis Drittonienſis
Extitit Antiſtes Sacrorum in tempore triſti
Exilium qui ter ſubiit pro nomine Chriſti
Hinc poſtquam ad plures abiit vitamque reliquit
Hoc legitur tumulo parvo expectatque futurum
Quod laetus Chriſti quondam virtute reſurget
Atque oculis cernet per ſecula cuncta Jehouam!

XI.

Neque hoc loco praetereundus eſt CHRISTIANVS EHRENFR. LEHMANNVS, *medicinae Doctor*, magni Freybergenſium Theologi filius, qui cum copiis

Saxonicis vt *campeſtris medicus* in Belgium proficiſcebatur, & Duaci An. cIↄIↄcccxII cum trigeſimum, & quod ſupereſt, annum ageret, ingenti ſuorum luctu moriebatur: Memorabile eſt, quod ſemper de ſuo hoc emortuali anno locutus ſit, eumque amicis praedixerit.

XII.

De MATTHAEO *Cardinali* refertur, quod tempus mortis ſuae aliis manifeſtauerit, quam etiam A. cIↄcxxxv d. xiv Decemb. accidiſſe ita, vt praedixit, annalium conditores diligenter adnotarunt.

XIII.

IOANNES MOIBANVS, *Medicus*, qui bonis artibus bene innutritus erat, itinere confecto in Italiam, Ambergae & Auguſtae Vindelicorum medicinam faciebat, in qua tam felix erat, vt viginti tantum numeraverit, in quibus adhibita medicamenta non vim ſuam exercuerint. Sed haec in medio relinquimus, & potius de eo argumento ſolliciti ſumus, quod illuſtrare animum induxi. *Geſnerus, Freherus, Adamus*, aliique de eo animaduerterunt, quod non ſolum ſibi, ſed etiam amaſiae ſuae mortis diem praeſignificauerit.

XIV.

VALENTINVS NAIBODA, *Colonienſis*, *Mathematicus* non contemnendus, qui varia ſcripta eius argumenti in lucem ediderat, ipſe ſibi vaticinabatur, quod ſubitanea morte deceſſurus eſſet. Accidit etiam, quod praeſagiit, ſiquidem ſub libris ſuis mortuus inueniebatur.

XV.

IOANNES NEANDER, *doctor et profeſſor iuris* in academia Francofurtana ad Viadrum, *die natali* moriebatur, quem ſaepius amicis nominabat, cum ſermo de morte haberetur. De hoc laudato viro conſulatur celeberrimus *Becmannus*, in notitia vniverſitatis Francofurtanae.

XVI.

ODILO, *abbas Cluniacenſis*, cuius merita *Gerh. Io. Voſſius de hiſtor. lat.* in rem litterariam recenſet, ob pietatem et amorem in pauperes laudatur. Auctor *purgatorii* habetur, dum finxit, quod in Sicilia ad montem Ætna eiulatus, lamentationes, et ſuſpiria ſub terra audiuerit. Benoit dans l'hiſt. franc. de la vie, paſſions et miracles des ſaints chap. XIX. de hoc abbate obſeruat, quod haud raro aperte profeſſus ſit,

quod ſub initium noui anni naturae debitum redditurus eſſet, quod etiam ita vſu veniſſe A. cIↃXLVIII. relatum legimus.

XVII.

M. IO. PYALAEVS, *Oſmundae verbi diuini praeco*, qui teſtimonio *Roeberi*, Halenſium paſtoris, vir erat pietati deditus, et munere ſacro rite ordineque fungebatur. Hora mortis decretoria ipſi bene cognita erat, dum praeſentibus amicis palam prae ſe tulit, *ſi hora ſeptima audita fuiſſet, qua auditores ad ſacram concionem audiendam conuocarentur, fore, vt Deus eum e vita auocaret.* Quod praeſagium neutiquam eum fefellit, quippe qui poſt horam VII. matutinam diei dominicae A. cIↃIↃcXXII. fatis ceſſit.

XVIII.

IEREMIAS GODOFREDVS REICHHELMVS, * *Halenſis Saxo, iuris candidatus*, vltimo die matutino tempore hora tertia ad praeſentes amicos dicebat: *iam auditur hora tertia. Ego hodie vita fungar, quod certiſſime ſcio, ſed ante horam tertiam poſt meridiem non frigeſcam.* Eodem die, hoc eſt, XX. April, audita hora ſecunda Vitembergae cIↃIↃcXXXV. cum annum vigeſimum octa-

uum ageret, firma fiducia ſe Chriſto commendabat, et ita decedebat.

* Incluta *Reichhelmorum* gens Goettingae nomen Seegenboden habuit usque ad A. cIɔccccXIV. Poſt illud tempus quidam huius familiæ in ſacro lauacro praenomen *Richhelmi* accepit, quod et hic et poſteri conſtantiſſime, loco cognominis, retinuerunt. Ex hac gente celeberrimi viri prodierunt, qui Halae Saxonum ſibi ſedem omnium fortunarum collocarunt, quos vt Deus porro fortunet, ex animo precamur.

XIX.

L. Daniel Griebnerus, diſertiſſimus olim Lipſienſium Sacerdos, in mort. cogitat. mentionem facit IEREMIAE SALTZERI, *Conſulis Erfurthenſis*, quod mortis horam præſciuerit. Quatuor ante hebdomadibus, quam moriebatur, dicebat ad coniugem: *amantisſima coniux, breui Euangelium habebimus de vidua Naimitica, eoque tempore vidua futura eris.* Eadem quoque verba iterauit, cum ad locum confeſſionarium accederet, mortisque horam inſtantem confesſionario manifeſtauit. Addebat etiam hoc: *futuro die Lunae coniux amicique vltimum mihi perſoluentes officium*

cantabunt: Mit Fried und Freud ich fahr dahin. Praeſagii complementum etiam ſtato die ac tempore ſequebatur. Obiit d. XIII. Sept. A. cIↄIↄLXXXIX.

XX.

IVLIVS CAESAR SCALIGER, *inſignis philologus*, pertinet etiam ad eos, qui mortem ſibi praeſagierunt. Multis enim annis, antequam naturae debitum ſoluerat, praedixerat, *ſe menſe octobri moriturum eſſe*; et cum Aginni in morbum incideret, fiebat, vt A. cIↄIↄLVIII. eodem menſe, quem emortualem in ore ſemper animoque habuit, vitam cum morte commutaret.

XXI.

De D. SCHEVRINGIO, qui *capituli Magdeburgenſis* quondam fuit *Praepoſitus*, et Pontificiorum placitis ſe acerrime oppoſuit, eosque e ſacris litteris redarguit, refert *D. P. Roeberus, part. I. arc. triumph.* quod quatuor dies ante obitum vitae exitum praeſciuerit.

XXII.

M. FRIDERICVS SCHMIDIVS, *Archidiaconus Pegauienſis*, tantam virium diminutionem ipſis vigiliis diei Feſti Pentecoſtes in aede ſacra ſentiebat, vt ex ea do-

mum

mum ſella deferretur. Cum igitur valuis huius aedis adpropinquaret, his memorabilibus verbis vſus eſt: *iam ex aede hac ſacra feror, die Mercurii rurſus inferor, perpetua quiete fruiturus.* Eadem haec intra priuatas aedes verba iterauit, et dixit: *cras coeleſtia Pentecoſtalia celebrabo, et Deo laudes dicam.* Obiit etiam die pentecoſtali ſub veſperum, et A. CIↃIↃCXLV. die Mercurii iuſta ei et exſequiae perſoluebantur.

XXIII.

IOANNES SCHNEIDEWEIN, *iuris conſultus celeberrimus*, hoc loco etiam commemorandus eſt, qui pietatem veram ſectabatur, cuius hiſtoria *de paſſione Chriſti*, quam in verſus germanicos transtulit, ſuisque domeſticis, vt quotidianam precum formulam, commendauit, locupletiſſimus teſtis eſt. Praeterea *nec ſpe nec metu*, quod ſymboli loco habebat, in negotiis principum verſabatur, nec in iudiciis ferendis ſe praecipitabat. Cum vero in conuiuio IOACHIMI ERNESTI, *principis Anhaltini*, accubaret, in ipſo prandio extra conſuetudinem ſurgebat, diſceſſum a principe petebat, cauſſam interponens, ſe decreuiſſe circa mediam noctem iter ad ſuos facere. Quo

facto

facto ſe in domicilium recipiebat, ieiunus Deoque deuotus ſomnum capiebat, et per id tempus exſpirabat, qui altero die mortuus in lecto inueniebatur.

XXIV.

MICHAEL SCOTVS non praetereundus eſt, qui Seculo XIII. ſcientia mathematica nominis celebritatem affectabat. Nonnulli hunc Scotum in ſeriem veneficorum retulerunt; at vero *Pitſeus* de eo animaduertit, quod viri doctiſſimi et ſagaciſſimi non multum eum fecerint; multo minus ipſius acumen iudicii in detegendis rerum myſteriis. E contrario *Ioannes Baconus* aliud de eo fert iudicium, quod magni nominis Theologus fuerit. Non dirimam hanc controverſiam, quae a propoſito meo aliena eſt, ſed praeſagium mortis perluſtrabo. Viuus praedicebat, *ſe non* eo moriturum modo, quo alii, qui domi et in lecto moriuntur, ſed ſubita et violenta ratione. Decedebat etiam, uti praeſignificauerat, dum lapis mirae magnitudinis in caput incidebat, cuius vi et impetu proſtratus in terram procumbebat, et vita defungebatur.

XXV.

XXV.

Mentionem quoque faciamus PETRI SPIGAE, *Ieſuitae*, qui ob ſeuerius viuendi genus inter ſuos celeberrimus mortem ſibi praeſagiiſſe dicitur. *Alegambre* in biblioth. Script. S. I. adnotauit, quod non diem, ſed horam etiam mortis praeſciuerit, quae A. cIↄIↄXcIV. d. VIII. Dec. accidiſſet.

XXVI.

IOANNES STOEFFLERVS, *Profeſſor* quondam *Tubingenſis* CL. praedixerat; *ſe exploratum habere, quod die XVI. Februar. decederet.* Haec quum appeteret, conuocabat amicos, et dum inter ſe colloquebantur, ſermoque de libro quodam erat, quem e gaza libraria depromere volebat, accidebat, vt puncto temporis librarium collaberetur, ipſeque grauiter vulneratus eodem die interiret.

XXVII.

GERMANVS A. S. VINCENTIVS erat *Prior ordinis Carmelitarum* in diuerſis coenobiis. De hoc refert *Mongitoris in biblioth. Sicula*, quod fratrum ſuorum effatu hora mortis ipſi cognita fuerit. Moriebatur enim Panormi A. cIↄIↄcLXXXIII. d. XIII. Sept.

XXVIII.

XXVIII.

Quis tandem me reprehendet, ſi his denique ſubiungo ANANIAM WEBERVM, Theologiae Doctorem commemorabili pietate, *Paſtorem Vratislauienſium* celeberrimum, qui in bello trecennali multa incommoda perpeſſus eſt. Sed in omnibus calamitatibus nihil prius habuit, aut praeoptauit, quam Ieſum, quem vera fide amplexus eſt, et ultima eius quoque vox fuit: IESVS. Inde ſempiternae recordationis huius dulciſſimi nominis cauſſa hunc verſum confecit:

In Ieſu mea vita meo, mea clauſula vitae
Eſt, et in hoc Ieſu vita perennis erit.

Mortis horam praeſciuit, quam alteri coniugi e familia *Horſtiorum* ſemel atque iterum manifeſtauit, quae cum ei ad extremum medicamenta miniſtraret, dixit ad illam: *neque haec, neque aurum, neque argentum me iuuant*, ſed exclamauit: *Veni mi Ieſu!* inter quod ſuſpirium A. cIↃIↃcLXV. d. XXVI. Ianuar. dicto die placide ac tranquille Chriſto Seruatori animam reddidit.

TANTVM.

Obſervatio CCVI.

JO. AUGUSTINI GROEBELII,

Oſſitienſis,

exhibens

Στιγματισμὸν Veterum, tam Græcorum, quam Latinorum, ex antiquitate erutum.

Conſpectus materiarum:

§. I. Antiquitates variæ in Codice ſacro occurrunt, quas inter

§. II. Στιγματισμὸς reperitur, & *quid* ille *fuerit* exponitur.

§. III. Etymologia cum Synonymia Στιγματισμῦ adducitur.

§. IV. *Qui notati fuerint* indicatur, nempe 1) ſervi fugitivi; 2) captivi; 3) tyrones; 4) ingrati; 5) ſacrificuli Cybeles & Bellonæ; 6) Nobiles in Thracia; 7) Uxores apud Thraces; & 8) Monachi.

§. V. *Quis notaverit* explicatur.

§. VI.

§. VI. Sunt autem notati 1.) in Fronte 2.) in Tergo; 3.) in Manibus.

§. VII. Inſtrumentum, quo inſcribbatur, erat aut candens ferrum, aut atramentum.

§. VIII. *Quid inſcriptum fuerit* affertur videlicet 1.) litera Φ, & F. 2.) Cave a fure, Cave a fugitivo; 3) equi ſignum; 4.) Noctua; 5.) Samea ſ. navis; 6.) nomen Imperatoris. Et talis inſcriptio dicebatur *Epigramma*.

§. IX. Στιγματισμὸς pœna fuit graviſſima & ignominioſa.

§. X. Ab hoc ſapientes abhorrent,

§. XI. Pudetque ſervos ipſos.

§. XII. Locutiones inde petitæ.

§. XIII. Στιγματισμὸς qualis adhuc duret.

§. I.

MUlta omnino variaque ſunt, quæ, ex antiquitatibus, tam Græcis, quam Romanis, petita, in ſacro codice reperiuntur, & ſine illarum ſcientia vix, ac ne vix quidem, intelligi poſſunt. Ut de veteri inſtrumento nihil dicam, illorum ſatis multa, conſtat, inveniri in novo fœdere, quæ, cum ex intimis antiquitatum viſceri-

bus

…us ſint, a nemine alio recte percipi poſſunt, quam ab eo, qui iſta ſtudioſe inveſtigavit. Sunt quidem, quod negare non poſſum, qui in hoc ſtudiorum genere egregie verſati, multum impenderunt laboris atque induſtriæ, ut, ejusmodi remoras tollendo, dubiæ antiquitates evolverent, easdemque clare & publice docerent; attamen nec illud diffiteri queo, eſſe non nulla adhuc in divino ejusdem fœderis libro, quæ, licet antiqua ſint, nihilo minus tamen illorum ſtudium ſubterfugerunt. Quod facile viris illis, omni laude mea majoribus, etiam diligentiſſimis, evenire potuit, præſertim, cum tam magnus lateque patens, ut jam dixi, hic dicendi campus ſit, tantumque, & laboris & temporis, id ſtudium requirat, quantum, veriſimile eſt, publica, a quibus viri illi occupati erant, officia illis vix conceſſiſſe. Quare nemo mihi facile ſubiraſci poterit, ac ſi negligentiæ alicujus viros illos inſimularem, quorum tamen memoriam ſancte adhuc veneror atque colo, dum illorum vigilias atque ſtudia meo aliquo labore, indigno licet, adaugere conor.

§. II.

Etenim placuit mihi, tibi, B. L. præ-

fronti paginâ aliquid communicare, quod & antiquorum ſtilo, & non ſimplici vice in noſtro inſtrumento reperitur. *Mos erat*, tam Græcis, quam Latinis receptus, ſed tamen & ab omnibus, qui humanitate aliqua erant imbuti, exſecratus, *quo veteres ſervos ſuos aliosque notis compungere, atque candenti ferro, vel atramento frontes eorum inurere atque notare ſolebant.* Quem ritum cum Spiritus S. variis in locis reſpexerit, operæ pretium feciſſe videbor, ſi iſtum, ex bonæ & antiquæ notæ ſcriptoribus, longius deduxero, atque dilucidius explicavero.

§. III.

Quo vero ordinem, quem decet, rite obſervem, neceſſarium eſſe puto, ut *nomen* hujus ritus, tam Græcis, quam Latinis, uſitatum, prius indicem, quam ad ulteriora me convertam. Poteſt ille nullo alio melius venire nomine, quam Στιγματισμὸς, licet hanc vocem apud nullum Græcarum literarum ſcriptorem invenire liceat. Στίγμα eſt ipſa *illa nota, quæ ſervorum fronti à dominis imprimi ſolebat.* Nec ſolum Græcis uſitatum vocabulum eſt; ſed & Latinis, qui tamen & illius loco *notam*, & *inuſtionem*, ut & *cicatricem* & *inſcriptionem* [illegible] *fron-*

frontis, ſæpenumero adhibere conſueverunt. Qui vero frontem ita erant notati atque compuncti, Græci *στιγματίας*, *κατα-στίκτους*, apud LUCIANUM, *πολυστιγματίας*, apud ARISTOPHANEM; Latini contra *ſtigmaticos*, apud CICERONEM, *cicatrice ſtigmoſos*, apud PLINIUM Jun. *inuſtos*, apud VALER. MAX. *inſcriptos*, apud SENECAM, & *literatos*, apud PLAUTUM, vocarunt. Ex his tamen nullum occurrit frequentius, quam apud Græcos *στίγμα* & *στιγματίας*, apud Latinos *ſtigma* & *ſtigmaticus*, quæ vel a *στίζειν*, vel a *στέγειν*, derives, unum erit & idem.

§. IV.

Illos autem, quorum frontibus ſtigmata imprimebantur, & *viros & feminas fuiſſe*, deprehendimus. Non tamen ingenuos, & liberaliter educatos, ſed *ſervos*, qui male factis antea pœnam hanc promeruerant, & graviori pœna, hoc eſt, morte ipſa, digni judicabantur. Quod tum fieri poterat, quum ſervitiorum pertæſi, illa domino ulterius præſtanda denegarent, atque aufugerent, vel conſummatæ eſſent nequitiæ. Notabantur itaque

1. Servi, & quidem fugitivi, quod variorum auctoritate, ſi qua res indiget, facile

 pro-

probari poteſt. Apud LUCIANUM, in Timone, ed. Amſtelod. utut nitidiſſimæ, attamen & corruptiſſimæ, T. I. p. 94. dicitur στιγματίας δραπέτης, &, in Catapl. στιγματίας pro *ſervo* ſolum ponitur. Nec aliter AUSONIUS, qui epigr. XV. ita de Pergamo, ſervo, cum aufugiſſet, & iterum captus eſſet, ſcribit:

Tam ſegnis ſcriptor, quam lentus, Pergame, curſor,
Fugiſti, & primo captus es in ſtadio.
Ergo notas ſcripto toleraſti, Pergame, vultu,
Et, quas neglexit dextera, frons patitur.

Et deinde,

Pergame, non recte punitus, fronte ſubiſti
Supplicium, lentæ quod meruere manus.
At tu, qui dominus, peccantia membra coërce,
Injuſtum, falſos excruciare reos.
Aut inſcribe iſtam, quæ non vult ſcribere, dextram,
Aut profugos, ferri pondere, recte pedes.

ad quem locum vide, quæ annotavit JOS. SCALIGER, pag. 61. Ad quod accedit, quod prodidit VALER. MAX. l. VI, c. 8. Rer.

ſet; Memor. APULEJUS, l. IX, de Aſino aureo; PETRON. c. 45. 69. 105.

2) Deinde & illis veſtigia inurebantur, qui, hoſtes, in illorum venerant poteſtatem, & captivi ſtipendia mereri cogebantur. Cujus rei meminit PLUTARCHUS, in Nicia, ubi de Atheniensibus, in Sicilia captis, ita loquitur, καὶ δούλους ὠνοῦντας, ἐπώλουν, ςίζοντες ἵππον εἰς τὸ μέτωπον.

3.) Neque hi ſolum *in frontibus* inſcribebantur, ſed etiam *in manibus*, quod illis cum *tyronibus* erat commune, nosque ſuo loco prolixius oſtendemus. Ne enim latere poſſent, ſi aufugiſſent, vel etiam, ut nomen ſcirent imperatoris, notam accipiebant, quod VEGETIUS dixit, & quo reſpexit gentium doctor, PAULUS, Gal. VI, v. 17. nihil aliud intelligens, quam hoc, ſe, tanquam bonum, novum, fidelemque Servatoris militem, ita notatum, ut, ſi etiam aufugere vellet, facile cognoſci poſſet.

4.) Et quia hoc ſolum fiebat ideo, ut exemplum in iis ſtatueretur, quo reliqui ab ejusmodi peccatis ſibi caverent, facile licet colligere, cur frontem *militis ingrati* PHILIPPUS notarit. De hoc enim me legere memini, quod hanc militi ingrati animi no-

 tam

tam inuri juſſerit, *Hoſpes ingratus.* Quo ſignificare voluit, eodem numero haben-dum ingratum, cum ſervo fugitivo, nihil-que eo pejus terram alere.

5.) Tum etiam illi ſibimetipſis inure-bant ſtigmata, qui, vel *Cybeles*, vel *Bellonæ*, erant *ſacrificuli.* Illius ſacerdotes id ſibi auferebant, quo viri erant, ut pluribus hac de re egit OVIDIUS, *Faſt.* IIII. 234.

Ille etiam ſaxo corpus laniavit acuto,
Longaque in immundo pulvere tracta co-ma eſt.
Voxque fuit, merui, meritas do ſanguine pœnas,
Ah, pereant partes, quæ nocuere mihi!
Ah, pereant, dicebat adhuc, onus inguinis aufert,
Nullaque ſunt ſubito ſigna relicta viri.
Venit in exemplum furor hic, molleſque miniſtri
Cædunt jactatis vilia membra comis.

Unde hos paullo ante *ſemimares* vocavit. Vide quoque LACTANT. *de Falſ. Rel.* c. 21. TERTULL. c. 9. *Apol.* PRUDENT. περὶ στε-φάν. *Rom.*

6.) Tandem & *nobili ex genere pro-gnati* in Thracia, qui, punctum eſſe in fron-

te,

re, ſummæ nobilitatis eſſe, putabant, ut contra, ſtigmate carere, hominem ſignificare ignobilem. Tradidit hoc HERODOTUS, l. V. Ex quo inſimul patet, verum eſſe omnino, quod NEPOS dixit in præfatione, *non eadem omnibus eſſe honeſta atque turpia, ſed omnia majorum inſtitutis judicari.*

7.) Hic vero dubius hæreo, quam ob cauſam viri Thraces uxores ſuas in fronte notarint, quum eadem Orphei ulciſci vellent, num propter auſum tam nobile eas nobilitare, an vero, propter facti crudelitatem ignominia afficere voluerint. Poſterius credidiſſe videtur ALEXANDER AB ALEXANDRO, *Gen. Dier.* II, 14. qui, dum hoc adducit, probare vult, odioſas fuiſſe viris uxores.

8.) Sed nec illud præterire poſſum, quod LIPSIUS, Elect. I. ex ZONARÆ *Annal. III.* docet, Theophilum monachorum facies compunxiſſe, & Jambicos verſus, atramento infuſo, expreſſiſſe. v. & WOUWEREN ad PETRON. c. 103.

§. V.

Quinam vero fuerint, a quibus frontibus hæc ſtigmata inſcribebantur, accurate dici non poteſt. Sed tamen credibile eſt, il-

la ſtigmata ordinaria in ergaſtulis rudi ma-nu a villico aliquo fuiſſe inuſta, quia non tam nitide & eleganter ſcripta fuerunt, quam illa a magiſtro illo PETRONII, *Eumolpo*, Cap. 103; ubi *impleviſſe*, dicitur *Eumolpus*, *frontes utriusque ingentibus literis, & notum fugitivorum epigramma, per totam faciem*, LIBERALI MANU *duxiſſe*. Addit enim *liberali manu*, quo hunc στιγματισμὸν a reliquis diſtingveret, qui ab illiberali manu, videlicet vel carnificis, vel lictoris, vel villici & alterius mancipii, fieri, uti videtur, ſolebant.

§. VI.

Nunc ad ea *hominis membra* accedo, in quibus notæ illi imprimi ſolebant. *Frons* erat in primis, qui Græcis μέτωπον dicitur, quod vel ex adductis jam ſatis patet exemplis. Hic vero non inepte quæri poteſt & debet, *cur in fronte ſervos notatos voluerint potiſſimum?* Ad quod facile, meo quidem judicio, reſponderi poterit, modo perpenderimus, quid hujusmodi notis inprimendis docere & ſignificare voluerint. Videlicet, ut quilibet, cui modo ejusmodi ſtigmaticus obvius fuerit factus, videre queat, hunc eſſe hominem perfidum & fugitivum,

di-

dignumque, qui e medio hominum tollatur. Et quum malæ notæ ex ſe ſit, dignum, qui & malam notam *in fronte* gerat. Nam qui aliquid profitetur aperte, id dicitur in fronte præferre. Unde *frons*, modo *index ſeveritatis, lætitiæ & triſtitiæ*, vide WEITZIUM *ad Prudent. Rom.* 172. modo *janua animi*, CICER. *de petit. conſul.* priſcis audit. Imo, & *animi judicia huic inſcripta* leguntur, quod BARTHIUS probat, ad CLAUDIAN. p. 122. Non igitur rationibus caret, quibus permoti veteres, *fronti* inprimis literas impreſſerunt. Dico, inprimis, nam, & in aliis locis ejusmodi ſtigmata habuiſſe, leguntur. De *tergo* loquitur NASO, poëta, *Faſt. II*, 698. his verbis,

Tergaque deducta veſte notata vident.

Atque in *manibus* notatos fuiſſe, invenimus, tyrones, qui, vel bello capti, novo domino, ſtipendia facturi, jurare ſolebant, vel primum ad militiam animum applicabant. Cujus rei meminit VEGETIUS, & AETIUS, quos JOSEPHUS LAURENTIUS etiam, de *Prandio & Cœna veterum*, c. VII, inſert. T. IX. Antiqv. Græc. GRONOV. excitavit. Quod tamen ſtigma, quod illorum manibus

imprimi ſolebat, non fiebat, uti ego quidem arbitror, ignominiæ, ſicut apud ſervos, cauſa, ſed ut facilius dignoſci poſſent, quando vel fugam, vel alia quædam tentaſſent, atque effeciſſent. Unde & *character regius* appellabatur. Inſcriptionis hujus, ut & illius, quæ in fronte ſolebat fieri, meminit & PLATO de LL. l. 8. ἐν τῷ προσώπω καὶ ταῖς χερσὶ γραφεὶς τὴν συμφοράν, καὶ μαστιγωθείς. &c.

§. VII.

Inſtrumentum, quo ad ejusmodi inſcriptiones uſi ſunt, erat, vel *candens ferrum*, vel *atramentum*. Namque non ſemper pungebant domini ſervos, ſed nonnunquam magis magisque cicatricibus deformabant, ſi irati fuiſſent, nonnunquam vero tantum *atramentum* adhibebant, quo quidem dolores mitigabantur, ignominia tamen perpetua manebat. Etenim nulla re notæ, ſemel inſcriptæ, deleri rurſus poterant. Genera *atramenti* varia enumeravit PLINIUS, l. XXXV. c. 6. atque P. MARCA CANEPARIUS, *Cremonenſis*, de iis peculiarem librum conſcripſit, qui *Venetiis*, 1618. & *Londini*, 1659. impreſſus prodiit. Veterum autem atramentum multum ab hoc noſtro diſtuliſſe, demonſtrat LEO ALLA-

TIUS,

TIUS, quem ſæpius, hac de re agens, laudavit CH. GOTT. SCHWARTZIUS, *Profeſſor Altorffinus Celeberrimus*, in diſp. I. de *Ornament. Libr. ap. Vet. uſit.* hab. Lipſ. 1705. conf. quoque, quæ GONSALIUS DE SALAS habet ad *Petron. c. 102.* Ut itaque varium erat veterum atramentum, *ſcriptorium*, *pictorium*, & *ſutorium*, ita non quodvis adhibere poterant. Duo priora, puto, deleri potuiſſe, minus tamen poſterius; unde, & hoc uſurpaſſe in primis, exinde facile conjicio.

§. VIII.

Ordo poſtulat, ut nunc quoque aliquid dicamus de eo, quod illorum frontibus & manibus inſcriptum fuiſſe reperitur. Multi eruditorum ſunt, qui vehementer ambigunt definire, quæ verba, vel ſigna illæ inſcriptiones fuerint. Nonnulli arbitrantur, ſervis fugitivis, per totam faciem, formatam fuiſſe literam φ, & Latinis F, ut exprimerent veteres voluiſſent, hominem hunc eſſe φευκτὸν & φευκτέον, *fugacem & fugiendum*, *furem & fugitivum*. Contra LIPSIUS, in hoc literarum genere omnino verſatiſſimus, autumat, hæc verba in frontibus iſtorum hominum legi potuiſſe,

iſſe, CAVE A FURE, CAVE A FUGITIVO. Sed autumat hic tantum Vir doctiſſimus. Nos adhuc alias apud auctores invenimus inſcriptiones, ut apud PLUTARCHUM, c. l. qui, *equi ſigno* in fronte notatos fuiſſe, ſcribit. Quod ideo factum ego arbitror, ut ſignificarent, hominem, ita notatum, ex militia, ad quam tamen juraverat, aufugiſſe, quia *equus* ex reliquis animalibus omnibus *Martius* deprehenditur, *Martique*, tam Romæ, quam in Oriente, paſſim *immolatus* fuit. v. BRANTIUM, ad *Hiſt. B. G. VIII.* c. 48. Vel etiam hoc indicare volebant, ſervum hunc fugitivum in poſterum dignum eſſe *piſtrino, in quo*, niſi mancipia, ad id damnata, aderant, *equi laborare* debebant. Quæquæ vero cauſa fuit, certum tamen eſt, id contigiſſe, ut fuerint *equo notati*, quemadmodum etiam idem Auctor refert, quod *noctuas* frontibus inuſſerint Græci, cujus ratio tam difficulter a nobis reddi poterit, quam ſuperioris. Ita vero *in Pericle* refert, ἐςίζοντες τὸ μέτωπον γλαῦκας. Quæ hujus inſcriptionis cauſa fuerit, ego facile non divinabo, forſan alii poterunt, qui feliciori gau-

dent

dene ingenio. Ut tamen aliquid dixiſſe videar, dicam de hoc, quid ſentiam. *Noctua* inſignitos exiſtimo eos, qui aliquid *de bonis domini* & alterius *erant furati*, & quidem ideo, quo ad oculum omnibus cauſa pateret manifeſtius, ob quam ita notati incederent, reſpectu ita habito *ad numum*, qui etiam noctuæ imaginem habebat. Vel ejusmodi homuncionem eſſe indignum, qui luce publica fruatur, & inter homines verſetur, dignum potius, qui tenebris damnetur perpetuis, & quem quisque bonæ notæ vir, ut reliquæ aves noctuam, fugent, ejusque vitent conſortium. Vel etiam, hominem eſſe viliſſimum nulliusque pretii, & eodem numero cum numo habendum, cujus imago noctua erat, & qui, propter multitudinem, parvi æſtimabatur. Quo reſpexiſſe mihi videntur *Samii*, qui Athenienſibus victis *noctuas inuſſerunt*, ut jam dudum BRODÆUS *in Miſc. L. IV*, c. 24, annotavit, ſicut contra illis hi *Sameæ*, hoc eſt, *navis* alicujus, effigiem, quemadmodum PLUTARCHUS *in Pericle* prodidit, impreſſerunt. Tandem & tyrones, & quidem in manibus, notabantur *nomine im-*

imperatoris, ut fuit LAURENTIUS, c. VII, de Prandio & Cœna Vet. inſert. T. IX. Ant. Græc. Gronov. cujus rei teſtimonium tamen hactenus mihi invenire non licuit. Quid in tergo aliiſque membris ſcriptum fuerit, niſi & eadem fuerint, dicere non audeo. Nomen, quo hæc inſcriptio apud omnes venit, eſt epigramma, quod non verba, vorſa prolata oratione, denotat, ſed brevem aliquam inſcriptionem & titulum, rei alicujus vel facti materiam breviter & perſpicue continentem, ſicut explicat SUIDAS; τὰ ἐν τοῖς χειρογραφ. φόμενα ἴδια, ἤτοι ἐν τοῖς ἐμπῖπτουσι εἰρημένα. ἐπιγράμματα λέγεται. vide RADER. ad Martial. in Analectis.

§. IX.

Ex his, jam dictis, facile patet, ςιγματισμὸν & pœnam fuiſſe graviſſimam, & contumeliam, nunquam delendam. SENECA, l. III, de Ira, c. 3. refert inſcriptionem frontis ad tormenta & ſupplicia ſervorum ultima, & SVETONIUS, in Caligula, c. 27. annumerat Cæſaris ſævitiæ & crudelitati ſæviſſimæ, quod multos honeſti ordinis, deformatos prius ſtigmatum notis, ad metalla condemnarit, quod annotavit

etiam

etiam JOS. LAURENTIUS, de *Torment. inſert. T. VI. Ant. Græc. Gronov.* Et CUNÆUS, veterum legens veſtigia, in Satyra, quam *Sardos Venales* inſcripſit, eruditiſſima, facit Politianum Italum, inuſtionem frontis inepte eruditis pœnam dicentem, qua probroſior vix dari poſſit altera; digne hac re ingenium notans Italorum, ut qui, & ambitione & crudelitate, reliquos facile antecellunt. Ad quem locum, ſi Deus vitam & valetudinem mihi conceſſerit, cum *Satyras Variorum, contra vitia eruditorum ſcriptas*, edidero, ea tradam, quæ jam feſtinans, præterire cogor invitus.

§. X.

Idcirco omnes ii, qui animum humanitate imbuerant, a tam crudeli puniendi genere abhorrebant, neque facile permittebant, ut aliquis de ſuis ſervo ejusmodi notas inureret. Exemplo nobis eſt e vetuſtioribus PHOCYLIDES, qui jubet,

Στίγματα μὴ γράψῃς, ἐπονείδιστον θεράποντα.

ÆLIANUS, variarum hiſtoriarum ſcriptor elegantiſſimus, deteſtatur morem hunc, Athenis receptum, optatque, ut de illis dici non debeat, L. II. H. IX. Atque in jure quoque prohibitum eſt, ne pro delicto

cto ſtigmatibus, aliove modo facies hominis deformetur. *L. in Metallum. C. de Pœnis.* Nam poſtquam CONSTANTINUS vetuiſſet, in facie ſcribi, quæ ad cœleſtis pulcritudinis faciem fuerit effigiata, oris contumelia in Collaria & æreas lamellas translata fuit. PIGNORIUS dicit, in libro de Servis, ſe vidiſſe Romæ ejusmodi *Collare*, cum tali inſcriptione: TENE. ME. QVIA. FVGI, ET. REVOCA. ME. DOMINO. MEO. BONIFACIO. LINARIO. A. ⳩ Ω X, ubi & plura ejusmodi epigrammata, lectu digniſſima, invenies.

§. XI.

Quid? quod & ipſos ſervos, ita inſcriptos eſſe, vehementer pudebat. Hinc faſciis & panniculis, quos *ſplenia* vocat MARTIALIS, frontem tegebant, vel capillum etiam nutriebant, itaque aſſvefaciebant, ut, per frontem fluens, literas obſcuraret. Cujus rei veſtigia deprehendimus apud PETRONIUM, MARTIALEM, aliosque. *Diphilus*:

Κόμην τρέφων μὲν πρῶτον ἱερὰν τοῦ θεοῦ,
Ὥς φασίν, οὐ διὰ τοῦτ᾽, ἀλλ᾽ ἐστιγμένος
Πρὸ τοῦ μετώπου παραπέτασμ᾽ αὐτὴν ἔχει.

Plura hic adducere ſuperſedemus.

§. XII.

§. XII.

Supereſt tamen, ut & illarum locutionum, quæ inde peti ſolent, aliquam injiciam mentionem. Occurrunt eæ variæ. Ita apud CICERONEM, *inurere infamiam, ignominiam alicui, dolorem animo, famam ſuperbiæ, maculam, notam cenſoriam*, apud PLINIUM. Quod idem eſſe conſtat, quam declarare atque proſtituere aliquem infamem, ſuperbum &c. Non vero a notis hiſce, quæ ſervis inurebantur, formula illa, *de meliori nota*, originem traxit ſuam, ut falſo ſibi perſuaſit GIPHANIUS, *in Obſerv. LL.* Notæ enim iſtæ ſemper important infamiam, & nunquam laudem. Sed potius dicendum eſt, illud, *de meliore nota*, ortum eſſe, ab illa inſcriptione, qua aut vina notabantur lagænis, aut conſules, vel reſpici ad numos, quibus, quicquid inſcriptum eſt, *nota* dicitur, quanquam & alii aliter hac de re ſentiant.

§. XIII.

Nec totus hic mos apud nos deſiit, dum ita etiam cum furibus & militibus fugitivis agere ſolemus, quibus exilii cauſa ſtigmata infliguntur, ſeu inuruntur, ut notat CL. VINETUS, *ad Auſon. p. m. 207.* ubi & meminit,

minit, hodie equos, boves & alia animalia ita notari, quo ab aliis eo melius diſtingvi & ſeparari poſſint. Quod & apud veteres moris fuiſſe probant ARISTOPHANES & LUCIANUS, utpote apud quos uſurpata invenio hæc nomina, Κοππαφόρος & Κοππατίας, de equo bono, cui inuſta erat K. vide Scholiaſter *Ariſtophanis in Neb.* & LUC. *adv. Indoctum.* K illud nihil aliud videtur ſignificaſſe quam Καλός, nempe, καλὸν εἶναι τὸν ἵππον, κοππαφόρον. Hæc in præſentiarum ſufficiant. Reliqua in aliud tempus differo.

Obſervatio CCVII.

eaque Philologica,

M. JAC. BRUCKERI,

Auguſtani.

ad Locum JOANN. XII, 32.

de

Vexillis, in altum erigendis, & Jeſu in crucem exaltato.

Κἀγὼ ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν.

Eſt hic locus ex iis, quibus Sanctiſſimus Salvator, omnium optime gnarus, quis futurus eſſet rerum ſuarum inter

Judæos

Judæos exitus, *mortis genus*, quo a frivola Judæorum gente ex viventium numero tollendus eſſet, prædixit, *fructum* vero haud ultimum mortis ſuæ indicavit. Verba in ſe quidem, ut ſolent prophetica, obſcuriora ſunt, quibus tamen clariſſimam ſua interpretatione lucem affudit Sanctus Joannes. Illuſtratum quoque ex conſuetudinibus ſuppliciorum Romanorum locum dedere varii, interque illos inter primos numerandus ANTONIVS BYNAEUS. (a) Nobis iſta prolixius exponere, & cramben recoquere conſtitutum non eſt, ſed circa hoc Joannis oraculum a Chriſto profectum, ea tantum obſervabimus, quæ ex Veterum more *Vexilla in altum erigendi* lucem ei fœnerabuntur.

Signum ſcilicet, ſive *vexillum*, in Veterum militia *erigebatur*, &, ſi *in civitate* eſſet, *ex arce*, ſin *in campo*, *ex loco edito* monſtrabatur, quando delectus militum erat faciendus, copiæ congregandæ, miles in ordine continendus, ne diſpergeretur, ſed conſpecto vexillo ordinem ſervaret, vexilloque propoſito ad armorum capiendorum

 pugnæ-

(a) In *hiſtoria Paſſionis Jeſu Chriſti* ex antiqq. illuſtrata c. l. §. 21. p. 59. ſeqq.

pugnæque initium indicandum. Res notior eſt, quam quæ multis probari debeat, & docte a IVSTO LISPIO demonſtratum eſt. Ex multis veterum locis pauca ſufficiant. CICERO ad Atticum: (b) *Num quando perditis civibus VEXILLVM, QVO CONCVRRANT, defuturum putatis?* CAESAR: (c) *Cæſari omnia uno tempore erant agenda; VEXILLVM proponendum, QVOD erat INSIGNE, cum AD ARMA CONCVRRI oporteret.* Quod vexillum RVBRVM ſ. *Puniceum* fuiſſe ex PLVTARCHO (d) refert IO. RHELLICANVS. (e) AMMIANVS in Hiſtoria Valentiniani: (f) *SIGNIS ilico fixis e more, cum undique ad arma conclamaretur, imperio Principis & ductorum ſtetit regibilis miles, VEXILLVM opperiens EXTOLLENDVM, quod erat opportunæ initium pugnæ.* Apud Perſas quoque flammeo vexillo pugnam indici ſolitam fuiſſe autor eſt idem AMMIANUS. (g)

Hæc quod præſenti S. Ioannis loco adpli-

(b) L. X. ep. 17. (c) de Bello Gallico l. II. c. 20. (d) in Pompejo & Bruto. (e) in notis ad l. c. Cæſaris. (f) l. XXVII. c. 10. (g) l. XX.

plicare queant debeantve, monet inſignis quidam IESAIAE locus c. XI. v. 10. Ubi *de futuro Meſſia, veroque Davidicæ arboris ſurculo*, regiique ſtemmatis novo flore prædicit Propheta, Eum propoſitum iri tunc, cum prodierit, populis IN SIGNUM & VEXILLVM; & clarius paucis interjectis: (h) ATTOLLET (Jehova) VEXILLVM gentibus, & COLLIGET ejectos Iſraelis, & DISPERSOS CONGREGABIT. Clariſſimum hoc Ieſaiæ oraculum, manu quaſi ad ipſam hanc textus Ioannei interpretationem ducit. Cum enim ad Vexilla veterum in re militari uſurpata digitum intendat ſanctiſſimus Vates, id quod collato loco parallelo c. V. 26. & XIII. 2. clarius patet, & a præſtantiſſimis (i) commentatoribus eſt obſervatum: In hoc ipſo vero textu, de ſan-

(h) v. 12. (i) vid. ARNOLDUS BOOTIUS Animadv. S. L. I. c. 7. CAMP. VITRINGA Comment. ad h. l. p. m. 439. ſeqq. Ed. Herb. add. SANCTIUS & PISCATOR ad h. l. apud POLVM in Synopſ. Criticor. Vol. III. p. 127. qui Oraculum hoc Iſaianum pari ratione *de Ieſu in crucem exaltato* interpretantur.

ctiſſimo Meſſia noſtro tantum ſermo ſit, & eſſe poſſit; quis porro dubitabit, (k) ex harmonia utriusque loci *Chriſtum* haberi in hoc textu noſtro pro *VEXILLO omnibus propoſito*, ut ad illud CONGREGAREN-TVR.

Et hæc certe mens oraculi Ioannei eſt. Magnifica tum Chriſtus de cœlo voce coram populo tanquam verus Meſſias Victor hoſtium humani generis, Servatorque mortalium prædicabatur, & glorioſo actu confirmabatur. Quod dum non recte intelligeret turba adſtans, clarius explicuit optimus divinorum oraculorum interpres Ieſus, & tum victoriam ſuam a Principe hujus mundi reportatam indicavit, tum & verum fructum docuit, & VEXILLVM monſtravit, ad quod omnes, quotquot in ſua caſtra contra hoſtes ſint profecturi, CONGREGARENTVR. Licet enim per exaltationem primario hic intelligi *exaltationem in crucem* ipſe Ioannes moneat, & ex uſu & conſuetudine

(k) unde, licet ſtrictiſſime, & pauciſſimis ad rationem *Vexilli* hunc noſtrum textum quoque adplicat MARTIN. DE ROA ſingular. l. I. c. 2. apud IAC. LYDIVM de re militari l. I. c. 2. p. 6.

dine Linguæ Chaldaicæ & Syriacæ, quibus uſus eſt Chriſtus, *lo exaltare* pro *cruci affigere* uſurpetur, quod ex TARGUM (l) & verſione Syriaca N. T. (m) patet; licet præterea ipſe quoque Ieſus clariſſime id doceat: (n) nihil tamen obſtabit, quo minus ſalva explicatione Ioannis, ſervato ſimili *ad VEXILLORVM conſuetudinem* cuncta adplicentur. Fuit enim *vere exaltatus* Salvator *in ligno crucis* SIGNIFER populi ſui, contra ferales humani generis hoſtes in pugnam procedens, depugnans, victoriamque glorioſam reportans, triumphis æternis nobilem, quam divus Paulus in Epiſtola ad Coloſſenſes (o) eleganter depingit, & fuſe ex veterum triumphis illuſtravit IACOBVS LYDIVS. (p) In nobili hac & divinis carminibus decantanda pugna, *SIGNVM crucis*, quin, ſi rem recte exiſtimes, *ſemetipſum in crucem propoſuit ſuis*, ut ad ipſum ANTESIGNA-

(l) Eſth. VII. 10. & IX. 13. (m) Matth. XX. 19. (n) Io. III. 14. 15. (o) c. II. 15. (p) pecul. diſſ. quæ inſerta eſt ejus Syntagm. S. de re milit. l. VI. c. 3. p. 211. ſqq. & addita quoque Ejus Florum-ſparſioni ad Paſſionem Ieſu Chriſti p. 311. ſqq.

SIGNANVM (q) & *ducem caſtrorum ſuorum*, victoriam certiſſimam jamjam conſecutum ſe CONGREGARENT, (r) & quaſi TRAHERENTVR, diſperſi antea per obſcura humanarum traditionum, onerumque, impotentiæ carnalis, cœcitatis & ſervitutis ſpiritualis devia, devicti fere & expugnati, niſi cum prælio & victoria Ipſe cuncta reſtituiſſet.

Conſentit cum his, quæ attulimus ipſe Divus (r) Ioannes, qui finem mortis Chriſti indicaturus, eam a Chriſto perpeſſam ait, ἵνα τὰ τέκνα τοῦ Θεοῦ ΤΑ ΔΙΕΣΚΟΡΠΙΣΜΕΝΑ ΣΥΝΑΓΑΓΗΙ ΕΙΣ ΕΝ. *Ut filios Dei DISPERSOS CONGREGARET in unum.* Et cum ſanctiſſimum Servatoris corpus tot vulneribus dilaceratum, & largo ſanguinis rivo cruentum, Vexillum fuerit erectum, ad quod congregarentur filii Dei, quis non PVRPVREVM hoc SIGNVM devotis reſpiciens oculis TRAHI & CONGREGARI ſe patiatur ad illud, ut ſolebat fortis Romanorum miles, cum pugnæ initium faciendum

(q) Col. I. 18. conf. quæ de hac *congregatione fidelium* dixit CAMPEG. VITRINGA Comm. ad Ieſ. XI. 11. ſqq. p. 440. ſeqq.
(r) c. XI. 52.

endum erat, ad *puniceum vel rubrum vexillum* concurrere. Quod ſi jam ad ſanctiſſimum hoc vexillum trahuntur & congregantur fortes Chriſti commilitones, continebuntur hoc ipſo etiam ita in ordine, ut conſpecto tot vulneribus cruento Magiſtro, nunquam hoſtium inſultibus cedant, nunquam per mundi illecebras ſe ex ordine deduci & rapi patiantur: ſed quotieſcunque Satanæ furor, mundi rabies, peccati vis, bellum indixerit, ad hoc vexillum concurrant, & utraque manu datis cœlitus armis (s) ductore ſummo SIGNIFERO hoſtibus jam profligatis inſtent. *Flammeum* quoque IGNEVMQVE Perſarum VEXILLVM, ſignum nobis in cruce eſſe propoſitum, FLAMMEO COLORE inſigne, monet. Flagrat enim ſummo amore erga ſuos pendens in cruce Servator, eoque amore ſuos CONTINET, ne tantæ fidei ducem unquam deſerant. Id quod ipſe de ſe profitetur S. Paulus, fortis in caſtris Chriſti heros, & fidus ſummi anteſignani comes, qui diſerte: (t) ἡ ἀγάπη Ἰȣ͂ χριςȣ͂ ΣΥΝΕΧΕΙ ἡμᾶς; *amor*, inquit, *Chriſti CONTINET* nos; & in Veteri jam fœ-

 dere

(s) Eph. VI. 13. ſeqq. (t) II. Cor. V. 14.

dere ſymboli loco habuit Sponſa cœleſtis: (u) *Introducis me in locum vini, habens pro VEXILLO AMOREM erga me.* (x)

Sanctiſſimum hoc ſignum, ad quod congregaturum ſe populos Deus magnifice per Ieſaiam promiſerat, reſpexit IGNATIVS *in Epiſt. ad Smyrnæos*: (y) ἀφ' οὗ καρποῦ ἡμεῖς ἀπὸ τοῦ θεομακαρίτου αὐτοῦ πάθους, ἵνα ΑΡΗΙ ΣΥΣΣΥΜΟΝ εἰς τοὺς αἰῶνας, διὰ τῆς ἀναστάσεως, ΕΙΣ ΤΟΥΣ ΑΓΙΟΥΣ ΚΑΙ ΠΙΣΤΟΥΣ ΑΥΤΟΥ, εἴτε ἐν ἰουδαίοις, εἴτε ἐν ἔθνεσιν ἐν ἑνὶ σώματι τῆς ἐκκλησίας αὐτοῦ. Latine redditur: *Ex quo fructu* (Chriſto) *nos ſumus per divine beatam paſſionem ejus, VT ELEVET SIGNVM, in ſecula per reſurrectionem, SANCTIS ET FIDELIBVS SVIS, ſive inter Judæos, ſive inter gentes, in uno corpore Eccleſiæ ſuæ.*

(u) Cant. II. 4. (x) Vid. IVNIVS ad Cant. II. 4. qui ita: Unico ſuo amore erga me, velut INSIGNI ob oculos poſito, animum meum ad ſe pertrahens, ut milites a duce CONVOCANTVR & CONTINENTVR ſub ſignis. add. IAC. LYDIVS, l. c. p. 7. (y) init. Epiſtolæ.

Obſer-

Obſervatio CCVIII.

eaque Philologica,

M. GEORGII LUDOVICI OEDERI,

Illuſtris Gymnaſii Heilsbronnenſis Collegæ Tert.

Ad Job. XVIII. verſ. 6.

de

Latronibus absque miraculo humi procumbentibus.

Σύνοψις.

§. 1. Miraculum noſtro loco nullum ſtatuitur, quod reliquis Chriſti miraculis nihil derogat.

§. 2. Nexus hiſtoriæ evangelicæ exponitur.

§. 3. Vulgo creditur Chriſti voce homines humi proſtratos.

§. 4. Tale miraculum Chriſto patienti parum congruit.

§. 5. Quia retro abierunt, non videtur, eos vi proſtratos eſſe.

§. 6.

§. 6. Quia adhuc quærebant, non poſſunt exanimes jacuiſſe.

§. 7. Quia pro diſcipulis intercedit Chriſtus, ſequitur hos quæſitos eſſe.

§. 8. Argumenta vulgatæ ſententiæ expenduntur.

Ὡς οὖν εἶπεν αὐτοῖς· ὅτι ἐγώ εἰμι, ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω, καὶ ἔπεσον χαμαί.

Cum igitur diceret illis: Ego ſum; abierunt retrorſum, & ceciderunt humi.

§. 1.

Quanta animi promtitudine ad cruciatus acerbiſſimos acceſſerit optimus Salvator, & ſe quærentibus, cum fugere potuiſſet, ultro obtulerit, ubivis piæ mentes, quoad orbis Chriſtianus patet, his diebus meditari ſolent. Nec enim, niſi vitam linquere ipſe voluiſſet, humana arte ac vi capi occidique potuiſſet. Multum intererat humano generi conſtare, *ſponte paſſum* eſſe Chriſtum. Eundem in finem contigiſſe arbitrantur rem mirandam, a *Johanne Cap. XVIII. 6.* deſcriptam,

ideo

ideo nempe Chriſti tonante voce humi proſtratam eſſe latronum turbam, ut agnoſcerent, non viribus ſuis aut calliditati, ſed ipſius patientiæ tribuendum eſſe, quod vincire eum quiverint. Ea de re meditandum pauliſper eſt. Etſi enim nil certius ſit, quam animoſe Salvatorem ſe latronibus obtuliſſe, pro humani generis peccatis ſupplicio adficiendum; *dubium* tamen certe, ne dicam *falſum*, videtur, *proſtratos eſſe homines a Chriſto, antequam illis ſe vinciendum præbuerit.* Quod dum modeſte commonſtrare aggredior, neminem bonum, ut ſpero, offendet, ita miraculorum Chriſti numerum minui, quæ per ſe & copioſiſſima & maxime illuſtria ſunt. Neque aliquis, ut nonnunquam factum eſt, illo argumento aut calumnia potius, innocenti ſententiæ invidiam creet, ita tacite viam parari, ut & reliqua filii Dei miracula ſenſim extenuentur, tandemque negentur penitus. Minime enim his quidquam decedet, ſi perperam aliquid pro miraculo habitum eſſe, quod nullum erat, oſtenſum iveris. Peritorum vero piorumque hominum judicio, ut mea omnia, ita hanc quoque obſervationem lubens ſubmitto.

§. 2.

§. 2.

Ut omnia rectius dijudicari queant obſervandus eſt nexus hiſtoriæ evangelicæ: Abſolutis precibus Salvator vix ad dormientes diſcipulos venerat, cum nefariam turbam adcurrere ad ſe capiendum adverteret, eaque de re diſcipulos moneret. Minimo temporis momento elapſo adſunt ad hortum pontificum miniſtri, cum militum ſervorumque manu. Quos præcedens Judas Jeſum, jam obviam prodeuntem oſculo, excepit, atque intra latronum catervam ſtatim ſe iterum abdidit. Quo facto cum Petrus interim magiſtrum vindicare vellet, ab ipſo vero aurem vulnerati reſtituente caſtigaretur; ulterius progreſſus Jeſus turbam alloquebatur, maſcula procul dubio, & quæ conſtantiam ſummam indicaret, voce: *Quem quæritis?* Illisque Ieſum Nazarenum ſe cupere adfirmantibus ſubjicit: *Is ego ſum.* Quod cum audiſſent homines retroceſſerunt, humique prociderunt.

§. 3.

Violentum hunc caſum fuiſſe omnes, quorum hac de re ſcripta mihi, librorum inopi, videre contigit, uno ore adfirmant. Nec, quod fere mirum, dubium unquam

cui-

cuiquam viſum, mirabili ratione proſtratos eſſe homines. NONNUS, vetuſtus Evangeliſtæ noſtri interpres, graphice, ut ſolet, rem enarrat:

καὶ ὡς ἐφθέγξατο λαῷ
ἁβροχίτων, ἀσίδηρος ἄναξ ἐγχήνορι φωνῇ
πάντες ἐπ' ἀλλήλοισι, μαχήμονες ἀσπιδιῶται
Αὐτόματοι πίπτοντες ἐπεστορνύντο κονίῃ
πρηνέες οἰστρηθέντες ἀτευχέϊ λαίλαπι φωνῆς.

Et cum reſponderet populo, rex molliter veſtitus ferro carens, bellicoſa voce, omnes ſuper ſe invicem pugnaces bellatores ſponte cadentes proſternebantur, in pulverem proni, ſtimulati inermi procella vocis. Similibus explicationibus veterum recentiorumque libri ſcatent. Hanc vero opinionem ingreſſi ſunt, non aliam puto ob cauſſam, quam quod *humi cecidiſſe* legantur. Quæ tamen locutio æque ſignificare poterat, *ultro eos in terram procubuiſſe*, uti ipſe Chriſtus ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον αὐτοῦ, *Matth. XXVI. 39. non vi, nec fulmine perculſus, ſed ſponte* ad orandum. Ratio autem, quæ latrones, me conjectante, ut humi procumberent, pepulerit, paullo poſt indicabitur.

§. 4.

Age vero argumenta proferamus, quæ *non vi quadam* dejectos eſſe nefarios homines

nes liquide oſtendunt! Non equidem urgebo, ad illum Chriſti ſtatum, ubi ad ἀκμὴν ejus exinanitio pervenerat, miraculorum patrationem parum quadrare: Ita enim humilis & infirmus erat Chriſtus, ut potens eſſe non deſineret; & ea ipſa hora luculentum potentiæ monumentum edidit, ſubitæ amputatæ auris reſtitutione. Quamvis, ſi verum fateri velimus, valde improbabile ſit, Dominum potentia ſua contra hoſtes illa hora uti voluiſſe, etſi nil impediret, benignitatis illuſtre τεκμήριον iſto tempore edi. Erat enim ἐξουσία τοῦ σκότους. *Luc. XXII. 53.* Fateor hoc argumentum non invictum eſſe, *cum hominum non ſit decernere, quando Chriſtus potentiam ſuam exerere debeat;* Ita tamen comparatum eſt, ut niſi textus clare miraculum narret, non temere confingendum aliquod ſit. Sed nec miraculi, nec fulminis, nec terroris, qui turbæ iſti incuſſus fuerit, nec denique ullius violentiæ mentio in hiſtoria ſacra facta eſt. Hinc argumentum noſtrum, quod per ſe ultra veriſimilitudinem non aſcendit, demonſtrationis juſtæ vim ac naturam nanciſcitur. Sed ſequuntur rationes longe robuſtiſſimæ.

§. 5.

§. 5.

Si vox Chriſti inſtar fulminis dejeciſſet Pontificum Satellites, reliquamque turbam, id ſine mora factum eſſet, nullo retrocedendi ſpatio relicto. Diſerte autem Johannes noſter, præter quem nemo Evangeliſtarum hanc rem recenſuit, retro ceſſiſſe homines adſerit. Ergo dici nequit eos vi in terram conjectos eſſe. Nec eſt, quod putes, vacillaſſe retrorſum ante perfectum caſum. Id enim quaſi refutaturus inquit Evangeliſta: ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω. *Abierunt retrorſum.* Quis vero credat primo ſatis placide retrocedere potuiſſe turbam, deinde demum exerente ſeſe fulminis virtute proſtratos jacuiſſe? Eſt, ut opinor, admodum manifeſtum, non vim, ſed longe aliam cauſſam ſubeſſe, quod in terram ſublapſi latrones fuerint.

§. 6.

Porro dum Chriſtus iterata vice, & poſtquam humi jam decubuerant, eos de propoſito quærit, quem nempe capturi veniſſent, neceſſe eſt, eos tale quid ſuo in terram lapſu intendiſſe, unde adhuc aliquem quærere videri potuerint. Sed ſi exanimes & attoniti jacuerunt, cur denuo quærit,

quem vellent capere? Et cur ideo quærit, quia ita humi jacerent, quod vocula ἐν ſibi vult? Hi certe neminem videbantur capturi, quos tantus terror invaſit, ut conſiſtere pedibus non amplius quirent. Nec per ſe valde veriſimile eſt, auſuros ſtatim fuiſſe illi violentas manus injicere, cujus nudam vocem cum ferre non poſſent, animi deliquium paſſi ſunt. Novi equidem a multis, maxime iis Theologorum, qui ad populum hæc de re verba faciunt, ſummam & obſtinatiſſimam iſtorum hominum malitiam accuſari, qui tam ſtupendo miraculo æque incorrigibiles ſe ac Pharao præbuiſſent: Sed fundamento deſtituta eſt non mala cœteroquin obſervatio.

§. 7.

Pergamus ſi placet! Poſtquam ſecunda vice reſponſum tuliſſet optimus Salvator, Jeſum Nazarenum quæri, eos denuo ita alloquitur: *Dixi vobis, me illum Jeſum eſſe, ſi igitur me quæritis, mittite hos*, apoſtolos præſentes innuens. Hæc verba ſimul ſententiam omnibus hactenus probatam confutant, & verum loci ſenſum indicant. Si pene exanimati & terrore perculſi fuerunt, ut interpretes ajunt, monendi certe non

erant,

erant, ut miſſos facerent Chriſti diſcipulos. Nimirum ita conjicio rem ſe habuiſſe: latrones cum Jeſum tam animoſe prodeuntem ex horto conſpicerent, commotique ſatis eſſent non tam compellatione illa Chriſti, quam inſigni editorum ab ipſo prodigiorum fama; præterea quosdem diſcipulos ad vindicandum magiſtrum alacres armatosque viderent, et reliquos mox advolaturos ſuſpicarentur: caute agere voluerunt, ut arte aliqua Chriſtum & Socios opprimerent. Itaque Jeſum, & Judæ, qui ſe intra ipſos iterum receperat, & propria confeſſione ſatis agnitum, non ſtatim prehenderunt, ſed humi ſe proſternentes, beneficio noctis & colliculorum, quos in loco iſto monti contiguo fuiſſe probabile eſt, latere maluerunt, donec Jeſum una cum diſcipulis omnibus impetu undique facto obterendi occaſio commodior eſſet. Non omnes equidem humi jacuiſſe arbitror; bonam tamen eorum partem ita in inſidiis locatam eſſe. Quod cum intelligeret Chriſtus, ad has quoque inſidias acceſſit, denuo ſciſcitans, quemnam quærerent, & ſi ſe vellent, ut contenti ipſo prehenſo ſint, diſcipulisque ſpatium elabendi concedant, jubens: Cir-

cumſtantias hic nonnullas recenſui, quæ non quidem diſerte in evangelica hiſtoria habentur, ſed ad quas fere manu deduxit textus noſter. Minutias nonnullas aliter ſe habere potuiſſe non inficior, id tamen cauſſæ noſtræ minime oberit.

§. 8.

Sed bona fide etiam enarrabo, quid pro vulgata ſententia vel dictum ſit, vel dici cum aliqua ſpecie queat, ut felicius de re tota judicare poſſis lector! Ita comparata ſunt omnia, ut vix ſatisfacere homini non nimis credulo poſſint. Quod phraſin *ἐπι-τοῦ χειμῶν* attinet, ſupra jam dictum eſt. Ajunt declarare voluiſſe Chriſtum manifeſto experimento, quam nihil univerſo ſuo conatu proficiant, ſi ſuam potentiam viribus illorum opponere velit. Verum hoc ex ſuo ingenio excogitarunt viri docti. *Chriſtus*, quod libere ſponteque moriturus eſſet, præter alia argumenta ſatis indicavit, dum fugere noluit, ſed ſponte aggreſſoribus ſe obtulit. Porro ſpeciem quandam facere vulgatæ explicationi poteſt, quod bis reſponderint: *Jeſum Nazarenum quærimus*, quæ reſponſio admodum territos, & quid dicerent, parum penſi habentes indi-

care

care videri queat, cum alias prehenſuros potius eum, quam multum regeſturos fuiſſe credibile ſit. Verum cum aliæ hujus reſponſi rationes eſſe poſſunt, tum illa mihi maxime probabilis videtur, quod Jeſum ſe nondum agnoviſſe ſimulantes coiturum cum diſcipulis, faciliusque una cum illis prehendi poſſe ſperarint. Denique quod Evangeliſta ſubjicit, Judam quoque inter eos ſtetiſſe, ideo factum videri poſſet, ut oſtenderetur, occœcatos fuiſſe miſeros illos homines, quod proditore licet præſente, nihilominus Chriſtum non agnoverint. Sed primo, non multum refert, utrum agnoviſſe Chriſtum, an minus dicantur. Ego tamen agnitum eſſe malim dicere. Deinde multæ aliæ rationes, cur hæc adderet Johannes, eſſe potuerunt, in quas inquiri neceſſe non eſt. Præterea non video, quid pro tuenda vulgari explicatione proferri poſſit, præter univerſalem interpretum conſenſum, qui ſolus tamen peritiores movere non poteſt; Fit enim interdum in errore quoque mira conſenſio.

Obſervatio CCIX.

D. DANIEL. GVIL. TRILLERI, Medici Martisburgenſis, de eo, Qui a Ceramii equo graviter delapſus eſt.

hoc eſt:

Exercitatio in locum ex IV. Epidem. Hippocratis libro; vbi ſententia fertur ſuper correctione Reinesii a Cl. *D.* Schmiedero nuper adſerta & approbata.

Mihi Miſcellaneorum Lipſienſium *Quartum* nuper euoluenti *Tomum*, ἀγαθῇ vt credo τύχῃ, ſtatim occurrebat *Obſeruatio LXXIX.* vbi loco cuidam Hippocratis opis non nihil lucisque attuliſſe adfudiſſeque CL. DN. D. SIGISMUNDUM SCHMIDERUM deprehendebam, qui

qui cum Reineſio, ejusdem opinionis eſt aſſertor. Perlegi eam ea, qua ſoled, immo qua decet, diligentia: ſed fructus ex illa mihi forte colligendos, vt candide fatear, non inueni. Mea enim parum immo nihil intererat, ſiue *ab equo*, ſiue *a furno* lapſus fuerit bonus ille, de quo in Hippocratis loco mentio iniicitur, dum illud mihi ſufficeret, eum grauiter lapſum, & ab *extrauaſato* retentoque ſanguinis grumo obſeſſum perpeſſum fuiſſe ſatis periculoſum. Nam ceterae circumſtantiae cum in hac, tum in aliis, ab Hippocrate in his Epidemiorum libris recenſitae, hiſtoriis, attentionem in plurimis non merentur, ſcopum quippe nequaquam ferientes. Interim tamen, quum totum illum ſimul locum nec recte verſum, nec rite explicatum animaduerterem; operae viſum fuit pretium, eundem breuiter, ſed accurate pertractare, eiusque genuinum ſenſum demonſtrare; leui illa circumſtantia an ἵππου, an vero ἰπνοῦ legendum, (de qua tot verba, immo orationes) leviter tantum tacta & indicata.

Locus, de quo nobis eſt ſermo, ſupra iam indicatus, ſequens eſt: Ὁ ἀπὸ τοῦ κεραμέως ἵππου καταπεσὼν, ᾧ δὲ προσεβλήθη μὲν ἡ σικύη,

σικύη, ἐκκαύθη ἔσω, καὶ εἰκοστῇ ἐπαλιγκαίθησαν, αἱμορραγικὰ, καὶ τρυγώδεα, καὶ ἐσθιόμενα.) i. e. vt FOESIUS aliique vertunt interpretes: *Qui ex fictili equo* (in *Ceramico* reddunt ii, qui loco τῦ κεραμέα l. κεραμεῖα legiſſe videntur κεραμεικοῦ, adnotante FOESIO, vt CORNARIVS fecit cum aliis) *decidit*, *cui nec illico admota eſt cucurbitula*, *intus uſtus eſt*, *et vigeſimo malum recrudnit*, *cum ſanguinis proluvio faeculenta et erodentia prodierunt.*

Hanc verſionem recte ſe habere crediderunt, qui vel ſolo *equo* delectabantur, vel in *novo furno* conſtruendo operam ſuam collocabant: Mihi vero harum minutiarum negligentiſſimo (*da veniam faſſo*) medicina potius illa videbatur indigere verſio, quam ipſe quidem equus ad Hippiatros ablegandus. *Primo* enim τὸ ἐκκαύθη ἔσω ad mentem HIPPOCRATIS videtur expreſſum non eſſe: *Secundo* etiam circa verbum ἐπαλιγκαίθησαν, explicationem quaedam erunt monenda, quod pace fiat ſecus ſentientium.

Ἐκκαύθη ἔσω, vulgo vertunt: *intus uſtus eſt*, ita vt *Cauterii* adplicationem intelligant: et multus eſt CL. SCHMIEDERVS in eo, vt τὸ ἔσω de *media abſceſſus parte in-*

ter-

terpretetur; quod tamen vix obtinebit in Hippocrate, licet vel ipſum Ariſtotelem in partes ſuas vocauerit, immo traxerit; ſic ſupra *Hipp. libr. Epid. I. aegr. XII.* φλεγμονὴ ὑποχόνδριος ἐκ τῶ εἴσω μέρεος, qui locus huc facit, vt infra patebit, vt alia plura iam taceam. Mihi vero τὸ ἐπεκαύθη potius *ad ipſum affectum ex graui illo caſu oriundum*, quam ad medelam eius chirurgicam ſive *cauteriſationem*, vt loquuntur, videtur referendum, i. e. effectum eſſe ſanguinis per lapſum illum vehementem atque concuſſionem extrauaſati, hinc inde collecti et congrumati, propterque cucurbitulam opportune non adhibitam, intus relicti, putreſcentis, ſicque inflammationem et ſubiectarum et vicinarum partium cauſſantis. Id enim verba eorundemque nexus manifeſte euincunt, modo quis vel mediocriter iis attendat, quod miror a nemine fere factum. Sic mox in hoc ipſo libro *de Tenedia* dicitur: ξυνεκαύθη γλῶσσα, item Lib. Epid. III. de Nicodemo: γλῶσσα ἐπεκαύθη, et locis aliis multis: ſic Lib. Epid. I. de Philini uxore κοιλίη ξυνεκαύθη. &c. Tale et crebro legitur apud AETIVM, GALENVM, aliosque medicos graecos; ſed et apud THUCYDIDEM, vbi

de Atheniensi peste agit : *perustus febri ardentissima* iunior quoque de se dixit PLINIUS, &c. Quae omnia de aestu praeternaturali atque inflammatione quin intelligenda sint, nemo sane in re medica et Hippocratis lectione versatus, vocare poterit in dubium. Sed non solus est CL. SCHMIEDERUS, qui in hac voce explicanda lapsus est ; ipsum magnum FOESIUM, vt minora taceam nomina, ducem habet, cum in hoc, vt ex notis eius conspicitur ; tum in alio loco ex Lib. Epid. VII. XXXIX. vbi ὁ γναφεὺς - - - μετὰ δὲ κέλυσιος τρομώδης σκελέων, vertit: *Fullo post vstionem cruribus tremulis fuit*, et CORNARIUS : quum *vreretur* : quum tamen vertendum sit : *cum inflammatione siue calore vrente crura erant tremulus*, quod et vidit ipse REINESIUS a *Cl. Schmied.* laudatus, V. L. II. 3. p. 139. Dum in hoc loco supra indicato versor, emendationem non abs re erit Lectori communicare, olim a me adscriptam : Legitur ibi βραχείη κίνησις ; sed quis reliqua ibi recensita pensitauerit symptomata, mihi vix refragabitur legenti βραχύνοος κίνησις, sed hoc obiter. Pergo ad alterum.

E'πα-

Ἐπαλιγκότησεν, *Recruduit*, reddunt; nec male, vt iudicat EROTIANUS, et ex multis locis Hippocraticis probat in oeconomia FOESIUS. Sed vſurpatur etiam de *malo exaſperato et maxime intenſo*, vti ex multis probari poſſet Hippocratis locis, ſi neceſſum: ſufficiat vnum produxiſſe ex libro de M. M. II. LVI. Ἢν φλεγμαίνηται ἡ μήτρη, ψάνεται. ἢν δέ τι σφακελίζῃ καὶ παλιγκοταίνῃ, πῦρ ἔχει καὶ ὀξὺ καὶ μέγα; vbi τὸ παλιγκοταίνειν aperte pro *intenſiſſima inflammatione*, hincque pro ſynonymo τοῦ σφακελίζειν, ſumtum eſt. Sed haec trita ſunt, et ex lexicis nota, hinc iisdem non immorabor. Senſus eſt: Dum nemo curauit illius hominis caſum, ceu leuem et minus periculoſum, hincque cucurbita ſtatim adplicanda negligeretur; factum eſt, vt vigeſima tandem die, deliteſcens hucusque malum, collectis ſubinde viribus, ſeſe vehementius manifeſtaret, adeo, vt cum erumpente ſanguine, et faeculenta prodirent et erodentia, ἐσθιόμενα, quod ad τὸ ἐμάνθη item ἐπαλιγκότησεν omnino eſt referendum: inde enim orta eſt et inflammatio et exaſperatio ſeu intenſio mali, vt ſupra dictum.

Nunc vtili dulce ſ. ludicrum miſceamus, *equum* ſ. ἵππον, et *furnum* ſ. ἰπνὸν ſpectaturi. Scilicet qui ingenio abundant, in veteribus Auctoribus nodos ſibi ſaepius conſtringunt, quo habeant, quod extricare poſſint et ſoluere. Talis mihi videtur fuiſſe, qui in praeſenti noſtro loco ἰπνῷ loco τῷ ἵππῳ, vt vulgo legebatur, ſcribendum eſſe adſeruit, ſiue is REINESIUS, ſiue alius, quisquis etiam, fuerit, inprimis quum vox κεραμικῷ aſſenſum praeberet de emendatione feliciter tentata. Sed ea mihi vtut ingenioſa, quod iam conceſſi, non tamen videtur neceſſaria, vt mox adparebit. Non igitur erat, quod DILHERRUS eiusque, quem iactat, amicus, cum furno ſuo, h. e. *re tam inutili*, vt eleganter, licet citra intentionem, ait CL. SCHMIEDERUS; adeo ſuperbirent, vt interrogari, et, quaſi de re magna totique reipublicae ſalutari, ageretur, ſubmiſſo veluti poplite, adiri vellent: Mihi ſane idem fuiſſet, ſi illam emendandam emendationem ſecum habentes ſepulcro ſervaſſent; Nec melius mihi eſt, poſtquam REINESIUS aliusve eam, ceu gallina margaritam ſcilicet, repperit. Quod autem CL. SCHMIEDERUS in *Lindeniana*

Hip-

Hippocratis editione locum hunc emendatum, *irrito*, vt ait, *ſucceſſu* quaeſiverit, id ne editioni quaeſo adſcribat, ſed feſtinationi; ſi enim graeca inſpexiſſet, legiſſet forte mecum: ὁ ἀπὸ τοῦ κεραμέου ἵππου καταπεσών: Verum dum verſionem tantum perluſtrauit, quae habet: *Qui in Ceramico ab equo lapſus eſt*, ſibi iam imputet, quod ex tam vicino fonte aquam non hauriens lapſus ſit. Sciat autem, id Lindano in more eſſe poſitum, vt varias in textum recipiat emendationes et lectiones, *audacius interdum*, vt THOMAS BARTHOLINVS iudicat, antiqua Cornarii verſione, quam in illa editione exhibet, nihil immutata; idque lectores graecarum litterarum expertes mirum quantum fallere poteſt, immo fefellit. Sic, vt pauciſſima proferam exempla, Lib. Epid. V. XXII. τῷ μαγείρῳ ἐν Ἀκάνθῳ legit cum REINESIO, et verſio nihilominus habet: *Coco in ſpina*; ſic & Lib. Epid. VII. XXXVII. vbi eadem recenſetur hiſtoria κώφωμα legit Reineſ. quum legeretur olim κύφωμα: hanc emendationem recepit LINDANUS, et in verſione tamen manſit *gibboſitas*, item eodem libro VII. §. XXXIX. l. ſ. c. LINDANVS cum eodem REINESIO legit ὁ παλμὸς μέγας, et verſio;

ſio: *Oculus magnus*, olim nempe legebatur ὀφθαλμὸς μέγας, quod valde frigidum. Alia multa iam omitto, quae illam Lindani editionem ſedulo legenti et intelligenti vbique fere animadvertentur.

Sed iam tempus eſt, vt *equum*, ſeſſori ſuo licet fatalem, Hippocrati reſtituamus, qui nitidos equos magis amamus, quam ſordidos furnos. Totius rei cardo in eo haud dubie vertitur: cecidiſſe quendam ex elatiori paullo loco, corpusque tam indecementer lapidibus forte aliisque ſolidis (vt coniectare licet) in caſu alliſiſſe, vt ruptis quibusdam vt et compreſſis vaſis ſanguifluis, abſceſſum eaque paſſus ſit ſymptomata, quae ſupra iam recenſuimus.

Jam vero quaero, num *in ſenſu reali* aliqua oriatur differentia ἵππω vel ἰπνῶ legendo? minime gentium, vt ego quidem arbitror. Cadere enim bonus ille vir ex vtroque, et in caſu ſiue ab equo, ſiue furno, grauiter impingere potuit, et malum quoddam ſibi contrahere. Immo, vt verum fateamur, ſenſus magis naturalis eſt, ſi ab equo delapſum credimus hominem illum: nam toto die id accidit, et plerumque eiusmodi ſymptomatis, qualia in noſtro adno-

tan-

tantur aegros, ii infeſtantur, qui ab equis vel viri impatientibus et indomitis, vel vbertim ſaginatis, magno cum impetu in terram praecipitantur. Nam ridiculum, mihi certe, videtur, *aliquem in ſuprema furni parte conſedere, atque hinc delabi*; quid enim ipſi ibi poteſt eſſe negotii? Splenem quoque illud fatigat, ex Veterum loquor ſententia, quando CL. SCHMIEDERVS coniicit, *aegrum illum ab aliis eo* (ad furnum nempe) *fuiſſe delatum*: Quis enim quaeſo *aegros vnquam furno ſuperimpoſuerit*, et quem in vſum? niſi vt vitioſi forte humores excoquerentur ſcilicet. Praeterea minus recte *aeger* appellatur ille vir, nam poſt lapſum talis demum factus eſt. Verum abſint ioci incompoſiti. Non igitur adeo abſurda eſt vetus illa de *equo*, lectio, vti putat CL. SCHMIEDERVS, vt confidenter nimis ſcribat: *Quemcunque etiam tibi concipias equum, ſenſus tamen abſurdus manet atque ridiculus*: Nec eſt quod vel Troianum, vel Seianum equum denuo in ſcenam producat, et ridiculam inter illum noſtrumque comparationem inſtituat, quaſi vero periculum ex lapſu metuendum immineat ab altitudine, a qua quis delabitur, ſola; et non potius

tius a ſubiecto ſolo ſolido vel declivi &c. cui alliditur, ſ. in quod praeceps fit cadentis corpus. Quid videtur CL. SCHMIEDERO de *Eumelo Lariſſaeo* Epid. V. XII. qui nec furno nec equo inſidens, ſed ſedens tantum, ſicque cadens, caput graviſſime ad lapidem offendit? Sic *Strepſiades Ariſtophanicus* de Socratis Augurio ſ. τῷ κιδίῳ, vt ipſa Comici voce vtar, dum ipſius tecto inſidet, veretur, ne ἐκτραχηλισθῇ πεσὼν ſ. *collifragium* perpetiatur: & quid opus eſt in re maniſeſtiſſima exempla plura coacervare. Sic ergo triumphat *equus bellator*, vt cum poëta loquar.

Sola ergo iam reſtat difficultas, quae anſam, vt iam ſupra dixi, dedit, *furnum conſtruendi*, in voce κεραμὲν ſ. κεραμεὶν, quam minus recte per *figulum* exponit CL. AVTOR, nam κεραμεὺς facit κεραμέος ſ. κεραμῆος, quod Grammatica docet. Mihi autem videtur eſſe *nomen* ſic dictum *proprium* noti tum temporis cuiusdam *hippotrophi* ſ. *equorum altoris*, vel alius ferocientis illius equi poſſeſſoris, hincque leuiſſima mutatione Κεραμεὶν ſcribendum. Nam notum eſt ex *Galeno*, atque ex ipſa Hippocratis lectione, *Hippocratem* hoſce Epidemiorum libros

ὑπο-

ὑπόμνησιν ſ. in ſuum *priuatum vſum*, conſcripſiſſe, i. e. eſſe eos nonniſi adverſaria in quae Hippocrates, *breui & conciſo ſcribendi genere*, ea coniecit, quae in quotidiana praxi obſeruauerat. Hinc haud recte procedit CL. SCHMIEDERI concluſio: *Quis tantus ille fictilis equus? vbi in hiſtoria eius mentio iniicitur?* &c. Eodem enim iure ex ipſo quaero: quis eſt ille *Phrynichidae puteus*, *apud quem decumbebat Clazomenius Lib. Epidem. primo.* vbi in hiſtoria antiqua eius mentio iniicitur? quis eſt, inquam, ille *Dealcis hortus*, in quo aegrotabat alius? Lib. Epid. III. *Quaenam illa eſt puella, quae de rupe decidit?* Epid. V. et quis ille eſt, qui *aſinum ex pacto eleuauit*, vt mox in hoc ipſo Epid. IV. legitur? vt ſexcenta alia taceam, quae omnibus fere in horum librorum paginis occurrunt peregrina nomina, quae in aliis libris fruſtra quaeras, Hippocrati tamen ſuo tempore notiſſima. Totum igitur locum a me hactenus explicatum ita verto: *Ille qui a Ceramii equo delapſus eſt, quum ei cucurbitula non ſtatim affigeretur, intus ardorem ſ. inflammationem perſentiſcebat, adeo, vt viceſima tandem die malum tam vehemen-*

ter intenderetur, vt vna cum erumpente ſanguine, faeculenta prodirent et erodentia.

Quod ceterum putat CL. SCHMIEDERVS, hunc, qui de equo decidit, et *Moſchum*, de quo in antecedentibus loquutus eſt Hippocrates, vnum eſſe eundemque, in eo hercle totus fallitur, *vt nemini, debita cum attentione* (liceat mihi eius verba inuertere) *ea legenti, obſcurum eſſe poterit*; Nec cauſſam profecto video, cur CL. SCHMIEDERVS putet, Moſchum fuiſſe *figulum*, aut *figuli operarium* quum et *piſtorum*, *fabrorum*, immo et *Medicorum* aliorumque in furnis ſaepe ſit negotium.

Haec ſcripſeram, quum mihi nuncius adfertur de CL. SCHMIEDERI obitu. Quare litem hanc cum ipſo ſepeliendam cenſui, qui cum vmbris pugnare non ſoleo, nec bellum indicere mortuis; ſed amicorum quorundam, qui viderant, et (quod citra iactantiam dictum ſit) approbaverant hanc ſchedam, monita me tandem, reluctantem licet, adduxerunt, vt eam euulgare paſſus ſim, inprimis quum veritatis res agitur, quam ſupprimere nefas eſt. Interea CL. SCHMIEDERO leuem opto terram, &

quam

quam apud poſteros meruit laudem, dolens, quod immite fatum vna cum eo ſpem mihi abſtulit perluſtrandi illius Hippocratis exemplaris a Reineſio olim vſurpati variisque textus emendationibus et notis criticis ab eodem referti, ad quod b. Vir in illa obſeruatione prouocauit.

Obſervatio CCX.

CAROLI ANDREÆ HENNINGII,

Gymnaſii Berolinenſis Sub-Rectoris,

de Vita

CHRISTIANI FRANCKEN,

Gardelebienſis Palæo-Marchici.

Nobiliſſime atque Doctiſſime

PEZOLDE,

QUantopere MISCELLANEA LIPSIENSIA, quæ ſedulæ TUÆ debentur

 tur

tur collectioni, erudito orbi fuerint proba-ta, haud obſcuris indiciis colligere licet ex Tomo Nono, qui haud ita pridem proſpero rerum ſucceſſu prelo in lucem exiit. Nec immerito eruditorum merentur calculum, cum doctiſſimorum quorumvis in illis appareant ingeniorum monumenta. Inter egregios eorum labores etiam Muſa mea jamjam tanquam anſer inter olores interſtrepit, TIBIQUE VIR CLARISSIME, transmittit Obſervationem quandam levidenſem DE VITA CHR. FRANCKEN, quam ut TUIS Miſcellaneis inſeras, enixe rogo. Eſt illa ſpecimen laborum meorum, quos ab aliquo abhinc tempore molior.

Meditor nimirum *Bibliothecam eruditorum, qui religionem mutarunt*, quæ eos ſiſtet, qui a Religione Proteſtantium ad Sacra Pontificia, Sociniana, Judæa, Turcica, et ab his ad illam fuerunt trangreſſi. In quorum vita pertexenda ſimul cauſſas mutatæ religionis litesque exortas pluribus enumero. Nondum fuit in cœtu erudito quisquam repertus, qui hanc operam in ſe ſuſcepit: inde Vir Summe Reverendus JAC. FRIEDER. REIMMANNUS haud immerito

merito ſuperiori tempore in votis habuit, ut ea de re integra prodiret commentatio. Cujus viri doctiſſimi optatum, fateor ſane, primum calcar mihi admovit, ut huic rei animum adjicerem, eaque colligerem, quæ ad hiſtoriam hanc concinnandam pertinere videbantur. Quo in labore ita ſum progreſſus, ut abſoluta Centuria eruditorum, qui Lutheranam cum Pontificia commutaverunt religionem, jam in hiſtoria Reformatorum, quorum idem fuit conſilium, quorumque numerus ad centuriam cum dimidia excrevit, componenda ſim occupatus, cui vero operæ moram labores ſcholaſtici, haud ita pridem mihi impoſiti, attulere.

Equidem non fugit meam notitiam, in eodem fere mecum campo verſatos fuiſſe Viros nonnullos doctos: ſed multum illorum operam a mea diſcrepare ipſa collatio edocebit. Ita Vir Clariſſimus M. PET. ADOLP. BOYSEN, hujus ſeculi anno quarto atque decimo Halæ Magdeburgicæ publicæ diſquiſitioni ſubjecit diſſertationem *De Apoſtaſiæ merito falſoque ſuſpectis*, quo vero nomine illos ſolum denotat, qui a Chriſtianis ad gentes, Judaicam, Mahumedanam,

& Turcicam tranſivere: quanquam in fine duas decurias eruditorum a Proteſtantibus ad Pontificios dilapſorum adjecerit. Aliam ingreſſus eſt viam M. ANDREAS WEST-PHAL, qui Gryphiswaldiæ hujus ſeculi anno undecimo diſſertationem in lucem exire juſſit *hiſtorico-litterariam, ſiſtentem ſec. 16. & 17. eruditos ſexaginta, qui ſuam commutaverunt religionem*; quæ quidem oculos meos adhuc fugit: ex recenſione vero ejusdem, facta in *Fama Erudita* (1. intellexi, & ejus inſtituti rationem a mea eſſe diverſam, cum neglecto ordine religionis in genere modo eruditos illos perſequatur, qui ſacra quæcunque permutaverunt. JO. HENR. BOCRISIUS, olim Philoſophiæ Naturalis Profeſſor Publicus, Gymnaſii Svinfurtani Conrector, ut & Societatis Scientiar. Pruſſo-Berolinenſis Regiæ Socius ante aliquot etiam annos luci publicæ expoſuit duas commentationes *De Doctis Apoſtatis*; quas una cum diſſertatione Weſtphaliana, ſedulo licet ſtudio in his terris quæſitas, nullibi reperire potui. Imperfecta vero etiam

(1. Die gelehrte Fama, Part. VI. p. 395. ſ.

jam fuit opera BOCRISII: nam, quod me olim in Novis litterariis Lipſienſibus legere memini, plures commentationes ſuperioribus addere ſecum conſtituerat, quæ vero ejus cœpta turbavit mors præmatura; ante paucos enim annos illuc abiit, unde negant redire quenquam. De ipſa ejus tractandi methodo nihil exponere audeo, cum illarum argumenta perluſtrare non potuerim, quas ſi TU, Clariſſime PEZOLDE, mecum communicare poſſes, pariter atque diſſertationem Weſtphalianam, tam gratum mihi id eſſet, quam quod gratiſſimum.

Ut ergo TIBI, reliquisque Viris doctis, (quos, ut ſua opera, ſi qua ἀνέκδοτα curioſaque hiſtoriam meam illuſtrantia poſſideant, mea ſtudia adjuvent, oro atque obteſtor,) mea methodus innoteſcat, ſpecimen quoddam conaminum meorum in medium jam affero, quod *de vita* CHR. FRANCKEN exponit. Illorum fere omnium, quorum opera in vitis eruditorum deſcribendis fuit verſata, notitiam fugit hic homo in religione verſatilis: & ſi qui fuerunt, a quibus mentio ejus eſt injecta, tribus modo, ut ajunt, verbis illud præſtiterunt. JO. JAC. FRI-

SIUS (2. duorum ex ejus libellis, & GEORG. MATTHIAS KOENIGIUS (3. *Dolii* tantummodo *Diogeniani* facit mentionem, illis neglectis, quæ pertinent ad vitæ ejus uſum declarandum. HERM. CONRINGIO, (4. plane videtur nomen pſeudonymum: *Chriſtiani Franci*, ait, *nomen fictum eſt, mihique proinde ignoratus ſcriptor.* GEORG. PET. SCHULZE in diſſertationibus ſuis, quarum quinque *de claris Marchicis* edidit, plane, ſi recte memini, FRANCKENIUM noſtrum omiſit. Manca etiam ſunt & mutila, quæ tradunt de eo CHR. SANDIUS (5. & PET. BAELIUS (6. de-

que

(2. In bibliothecæ Gesnerianæ Epitome, p. 142.

(3. In bibliotheca veteri & nova, p. 317.

(4. In præf. tractatuum de bello contra Turcas prudenter gerendo.

(5. In bibliotheca Antitrinitaria, p. 86. ex quo ſua hauſit CL. BOYSEN l. c. p. 75.

(6. dans ſes reſponſes aux queſtions d' un provincial T. 1. p. 23. Chr. Francken a eté Jeſuite, & apres avoir embraſſé la communion Proteſtante, rentra dans celle de Rome.

que illius mutatis ſacris. Omnium diligentiam in recenſenda ſacrorum ejus mutatione Vir eruditiſſimus MATURINUS VEISSIERIUS la CROZE: (7. quanquam, quod pace fiat Viri πολυμαθεςάτε, mihique amiciſſimi, hac in re nequeam ei calculum adjicere, Franckenium in Photinianiſmo ſubſtitiſſe, cum tamen iterum Papiſmo nomen dederit. Cum ergo nemo adhuc pleniori modo fata ejus delineaverit, tentavi, ea ex latebris libellisque ejus, qui vero ob paucitatem plagellarum haud ubivis obvii ſunt, eruere, atque cum Viris doctis communicare, omnibus licet numeris nondum abſoluta. Quo enim anno, quove Patre in lucem fuerit editus, nullum in ſcriptis ejus apparet judicium, nec alii memoriæ produnt: Hoc tamen licet affirmare, eum, annis adhuc tenerum, ad caſtra Romanenſium eſſe transgreſſum, & quidem anno 1569. (8.

I 5 Quam-

(7. Dans ſes reflexions ſur le Muhumedaniſme, p. 56. des diſſertations hiſtoriques.

(8. Franckenium 1569. ad Jeſuitas acceſſiſſe inde cognoſcitur, quod in præf. prioris editionis *colloquii Jeſuitici* 1579. confecta,

Quamprimum vero eorum ſacra erat profeſſus, nomen dedit ordini Jeſuitarum, magnoque fervore eorum placitis adhæſit, (9. In Italiam enim miſſus, (10. ut probationis annos ſubiret, in prima ſtatim probationis Romana domo ita crebris corporis voluntariis ſuppliciis fuit teſtatus, ut ter unico illo anno in febriculam inciderit. Deinde in Romano ipſorum collegio intemperie ſtudiorum morbum imo mortem ſibi fuiſſet contracturus, niſi Medicorum conſilio invitiſſimꝰ ad collegium Neapolitanum, (11.

ſe 10. annos in Jeſuitis verſatum eſſe profitetur, conf. *colloquium Jeſuiticum* p. 7. 57. Apertius hoc dicit in præf. *Enumerationis præcipuarum cauſſarum, &c. Adoleſcens adhuc ex ſola educatione Lutheranus, nondum vera criteria religionis intelligens, in Jeſuitarum delatus ſum Labyrinthum.*

(9. Conf. præfatio colloquii ejus Jeſuitici, editionis Baſileenſis pag. 7. editæ Baſil. 1580. 8.

(10. p. 40. colloquii Jeſuitici.

(11. tanquam ad laxiorem diſciplinam, clementioremque, utpote Campanam, cœli temperiem miſiſſent. Primis diebus Jeſuitiſmi ſui firmo ſtabilique huic ſocietati junctus erat animo, divinaque prorſus ejus judicabat eſſe primordia, ſibique non amplius in terris, (12. ſed in cœlis videbatur eſſe,

(11. Quædam notatu digna de religione eruditorum Italiæ refert p. 49. ita dicens: *Docti Italorum Philoſophi, Medici, & Theologi, dignitate aliqua Eccleſiaſtica non deliniti, non modo Lauretana miracula, ſed ipſam etiam Romanam fidem (quod facile cum Neapoli eſſem, ubi nonnihil illis ab inquiſitione Papali reſpirare licet, intellexerim) tanquam fictam & falſam, animo contemnunt: quin etiam aperte Athei illi nomen Chriſtiani ridebant meum, quod Italico Idiomate per hominem Chriſtianum, ſtupidum & ſtolidum ſignificare ac intelligere ſoleant: idque propterea credo, quod nemo illis niſi ſtupidus & ſtolidus ad Chimaras Papales credendas aptus & idoneus videatur*, add. V. C. la CROZE, dans ſes Entretiens ſur diverſes matieres de la critique, de l'hiſtorie, et de la litterature p. 350.

(12. p. 30. Colloq. Jeſuit.

ſe, propter inſtituta frequentia, quæ ad vitam ſpiritualem promovendam, carnisque libidines ejiciendas conducere arbitrabatur. Altero autem anno, (13. cum caſu in litteras Japonicas incidiſſet,(14. inter coetera illic non ſine admiratione legit, apud Japonios etiam religioſos quosdam, quos *Jamambuxas* vocant, hoc eſt, milites convallium, reperiri, qui ad famam ſanctimoniæ colligendam graviter ſeſe puniant, permultum vigilent, nec non diutiſſime jejunent, ac meditationibus quibusdam arbitratu ſuo compoſitis vacent: eosque his rebus adeo proficere, ut non raro tanquam ſpiritu afflati divino fundere oracula credantur, nec propter idolum ſuum mortem ſibi ultro conſciſcere dubitent. Imo in illis regionibus non Jeſuitarum tantum religionem, ſed totam fermo Eccleſiam Romanam Ethnico ſpiritu fundatam conſpici atque conſtitutam.

(13. l. c. p. 31.

(14. Prodiit nimirum *commentarius, De rebus Indicis & Japonicis Colon.* 1574. *a Petro Maffejo* ex Ital. idiomate in latinum converſus. l. c. p. 31. 38.

tam. (15. Ex quibus omnibus ei venit in opinionem, omnem ipſorum ſpiritualem vivendi rationem non divinam, ſed humanam tantum eſſe & Philoſophicam, eamque & homines Ethnicos luce divina carentes poſſe conſequi.

Hanc tentationem permultis diebus FRANCKENIUS animo ſuo ejicere non poterat. (16. Nec precibus jaculatoriis, jejuniis, aliisque corporis afflictionibus repulſa erat, cum alia mentem ejus turbaret. Corporis enim inciſiones, quæ a Baalitis ultro fiebant 2. Reg. 18. in memoriam ipſi revocabant flagellationes, quæ a Romanenſibus ſuſcipi conſueverunt. Hæc in prandio quodam ipſi prælegebatur hiſtoria: tunc enim nondum erat Theologus FRANCKENIUS, neque tota adhuc ſacra perlegerat biblia. Omnes vero intendit animi nervos, ut ab his ſcrupulis circa primos Jeſuitiſmi ſui annos exortis liberaretur, cujus tamen

(15. l. c. p. 33. ubi Japonenſium inſtituta pluribus enumerat, cum Romanis bene convenientia.

(16. l. c. p. 38. colloquii Jeſuitici.

men voti ſui particeps fieri non poterat: Nam duobus dubitationum fluctibus infra recenſendis per decem illos annos, quos in Jeſuitis conſumſit, quique tandem eum ab iſtis abduxerunt, eſt agitatus. Poſtea vero quam annis nonnullis in Italia exactis Germaniam repetierat, (17. ad propagandum regnum Jeſuiticum multis ultro voluminibus (18. patriam Saxoniam, atque in ea Magdeburgenſes, & in his SIEGFRIDUM SACCUM, inclyti nominis quondam Theologum, & Gardelebienſes (qui vero illum ſcriptis iterum petierunt) inque his M. ARNOLDUM BIERSTEDIUM Senatorem, poſt Conſulem Gardelebienſem, deque hac republica maxime olim meritum, acerrime oppugnavit. (19. Reliquum tempus in cœtu exegit Jeſuitarum, donec Profeſſor Philoſophiæ Cæſarei Jeſuitarum Gymnaſii Viennæ conſtitueretur. Quo

vero

(17. l. c. p. 7. 8.

(18. Quænam illa ſint volumina plane ignoro, nec Franckenius illorum titulos ullibi in libellis ſuis repetiit.

(19. vid. infra.

vero munere non eſt diu perfunctus. Societatis enim Jeſuitarum una cum religione deſerendæ cepit conſilium, cum PAUL. FLORENIUS SS. Th.D. & Prof. Viennenſ. 1578. ab illis diſcederet, cui d. 20. Januar. ejusdem anni colloquium intercefferat cum FRANCKENIO, poſtea typis evulgatum. Quo habito & ſibi diutius apud Jeſuitas commorandi animum ereptum eſſe ſentiebat.

Crebras igitur eam ob cauſſam collocutiones cum Provinciali de ſua ex Societate dimiſſione inſtituit, inſtitit, urſitque quam ſæpiſſime, alioqui ſibi animi dolore moriendum eſſe clamitans. (20. *Tum vero ſepeliemus te*, dicebat Provincialis. *Ego vero nec mori*, ait, *nec ſepeliri apud vos potero. Horrende igitur, reſpondit, Deus te puniet. Quodvis ſupplicium*, regeſſit Franckenius, *hac mihi permanſione erit tolerabilius.* Quibus vero & hujusmodi aliis contentionibus parum effecit, tantumque abfuit, ut quicquam de eo dimittendo cogitarent. Dictitaverat

(20. conf. præf. colloquii Jeſuitici editionis Wangenianæ.

taverat enim LAUR. MAGIUS Provincialis, poſt Rector Gymnaſii Viennenſis, poſteaque re ipſa comprobatum: *Quidvis Franckenio potius, quam ex ſocietate diſceſſum concedendum, quia non ut plerique ob voluptates & divitias, quas plane contemneret, conaretur diſcedere, ingeniumque haberet pugnax & melancholicum: ne ut incauti quondam Romani ſuum Julium Cæſarem, eum decem annos contra* ſe aluiſſe viderentur. Cauſſa ergo, cur eum dimittere recuſaverint, facile ex his eluceſcit: Metuebant nimirum Jeſuitæ, ne ingenii, quo omnino pollebat, aciem in perniciem ſocietatis converteret. Abſoluto vero in Gymnaſio Viennenſi pridie Nonar. Februar. 1579. Philoſophiæ curriculo, Jeſuitæ de iſto maximopere erant ſolliciti. Quare animum induxerant, ut primo quoque tempore eum in Italiam, inde vero in Hiſpaniam, ubi omnis ipſi, ſi non ex ſocietate diſcedendi, at contra eam pugnandi præciſa foret occaſio, ablegarent: Tempus idoneum prætereа atque occaſionem expectabant, qua illectus potius, quam tractus, aut coactus Romam poſſet reduci.

Sed

Sed conſilia eorum FRANCKENIUS præſenſit, ſibi tamen ea perſpecta eſſe diſſimulans. Quare ſocietatis Patres exorare cœpit, ut ſibi ſummis contemplandi docendique laboribus perfuncto atque propemodum exhauſto animi gratia domum Brunnenſem, collegiumque Olmucenſe inviſere liceret. Neque prius deſtitit, donec veniam abeundi ab illis impetraret, vel potius ab iis invitis extorqueret. Itaque *poſt emenſum*, ut ait, *Ariſtotelicum Labyrinthum diu, ex Viennenſi collegio ea, quam interſeruerat, conditione dimiſſus, Brunnam atque Olmuciam verſus*, curſum ſuum direxit, & Theologicam & Philoſophicam non parvi momenti librorum ſupellectilem illis relinquens, diligentiſſime ad reditum ſuum cuſtodiendam, additque ſe totum etiam, ſi haberet, mundum donare illis maluiſſe, quam diutius apud eos commorari.

Profugus hac ratione ex ſocietate factus in patriam *Gardelebiam* eſt reverſus. (21. Ibi omnibus cariſſimus eſt habitus,

(21, conf. Ejus analyſis rixæ Chriſtianæ p. 11.

atque præmiis & precibus ad manendum invitatus. Quorum vero petitis non reliquit locum; patriam enim tanquam obſcuram & barbaram ſusque deque habebat. Viatico ergo a Senatu patrio donatus omnibus invitis diſceſſit: Jeſuitis hac ratione deſertis, exire juſſit. *Breve colloquium Jeſuiticum, toti orbi Chriſtiano, ad recte cognoſcendam, hactenus non ſatis perſpectam Jeſuitarum religionem, utiliſſimum; habitum a P. Florenio cum Chr. Francken.* 1578. d. 20. Jan. (22. Paucis diebus ante ſuum e ſocietate

(22. Colloquium hoc Jeſuiticum primum lucem adſpexit Lipſ. 1579. 8. cujus dedicatio FLORENIO facta, ſcriptaque Lipſiæ 1579. d. 24. April. Sed Jeſuitæ omnia hæc exemplaria fere ſuppreſſerant. Quare 1580. 8. Baſileæ 6. pl. iterum edidit. Hanc vero ipſi CHRISTO inſcripſit, hunc in modum auſpicatus: *Quam hujus inimici libelli ſunt potentes, quantoque aſtu ferme omnia prioris editionis exemplaria, meæ converſionis auctori P. Florenio dedicata ſuppreſſerint, Tu profecto, Sapientiſſime Imperator, omnium optime noſti: qui cuncta gubernans*

bernans nihil non vides, qui malos non ſecus ac bonos ſuam ingredi viam ſinens multorum impediri ſalutem cognoſcis. Quocirca hujus editionis exemplaria Majeſtati nunc Tuæ dedicare volui, omnipotenti ut Tuo præſidio fulta a crudeliſſimis inimicis defenderentur. Hæc vero dedicatio prioris editionis huic poſteriori mutila eſt inſerta, eaque ſunt omiſſa, quæ demigrationem ejus a Jeſuitis exponunt. Integra ergo eſt præfixa editioni PETRI de WANGEN, inſertæ illius *Paralipomenis ad Amphitheatrum honoris Jeſuitarum, Lugd. 1611. 8.* Alio, quoque titulo ornatum hoc colloquium lucem adſpexit, Ambergæ, typis Forſterianis 1611. 4. 3. pl. *Profana ſectæ Jeſuiticæ vanitas, dialogus ſeu colloquium Jeſuiticum de fundamentis ſectæ Jeſuitarum male fundatis, ſcriptum quondam a C. Francken Ex Jeſuita Viennenſi.* Hæc vero editio memorata præfatione plane deſtituitur. MART. LIPENIUS T. 2. *bibliothecæ realis Theol.* p. 75. memorat etiam editionem Ambergenſem 1611. 4. Imo in linguam Anglicanam hoc colloquium eſt converſum: Prodiit enim Londini 1580. *W. C.* Translatio Anglicana colloquii Jeſuitici *Chr. Francken*, cujus auctor WILLIAM

tate abitum FLORENIUS hoc colloquium cum eo inſtituerat, in illo ſocietatis Jeſuiticæ ſtatuens fundamentum, hypocriſin & ſuperſtitionem, in Hiſpanis tamen & Italis majorem, atque in Germanis, Gallis, aliisque nationibus ob Inquiſitionis tribunal, quod in illis terris dominetur. Præcipue autem morum geſticulationem Italorum notat, quam cauſſam fuiſſe, cur Germani & Bohemi a Romana deſciverint Eccleſia, arbitratur, quæ etiam Franckenium in Italia commorantem offenderat. (23. Poſtea FLORENIUS univerſum ſocietatis corpus exponit, atque ad occultandam & conſervandam ſuperſtitionem cœcam obedientiam multum conducere docet. Quibus enarratis ipſe FRANCKENIUS ſcrupulos ſuos commemorat ſupra dictos, atque duo illa

CHARIER eſſe perhibetur ex ſymbola LAUR. NORMANNI, Profeſſoris quondam Upſalienſis eruditiſſimi, apud VINC. PLACCIUM in Theatro Pſeudonymorum Tom. I. c. 13. num. 2010. p. 514. a.

(23. p. 19. 21. colloq. Jeſuit.

illa Italiæ monſtra & idola, de quibus per omnes illos decem annos laboraverat, ut veritatem illorum ſibi perſuaderet, perſequitur, *Romanum* nimirum *Vicarium Chriſti*, (24. & *Mariam Lauretanam*, (25. quæ mirabilium multorum effectrix prædicetur, cui eam ob cauſſam innumera perſolvantur vota. Quibus duobus fulcris Romanam ſuperſtitionem inniti exiſtimabat.

Impugnavit præterea dogma eorum *Transſubſtantiationis*, cui omnis religio Papalis, tanquam fundamento firmiſſimo, ſed ἀςηρίκτῳ, eſt ſuperſtructa. Adjunguntur enim colloquio Jeſuitico, *Sex paradoxa*: (26. de beſtialiſſima idololatria, quam in adoratione panis & vini renovat ſocietas Jeſu, ſub divino cognomento latitans ſecunda beſtia. *Primum paradoxon eſt*, Quod Chriſtus ex cœlo in terram a Jeſuitis retrahatur, ibique Symbolum refellere Apoſtolicum cogatur: Juxta hoc enim ſedet ad dextram

(24. l. c. p. 40.
(25. l. c. p. 45.
(26. Hæc in editione Ambergenſi ſunt omiſſa.

Dei Patris omnipotentis. *Secundum*, quod transſubſtantiatio totum paullatim mundum ad nihilum reducat, omniumque tandem reſurrectionem mortuorum tollat, quoniam panis & vini non formam ſolum, ſed materiam etiam perire volunt materiaque, prima quæ dicitur, omnium ſit capax formarum. *Tertium*, quod falſa conſecrationis verba verum in Euchariſtia Chriſtum præſentem efficiant, tandemque tota Trinitas manducetur. *Quartum*, quod Chriſtus ſe ipſum in ultima cœna totum comedens, non tamen os & ſtomachum manducaverit ſuum. *Quintum*, quod totus in parvam hoſtiam incluſus Chriſtus comprimatur, membris omnibus confundatur, planeque moriatur. *Sextum*, quod ſacrificium miſſæ ſacrum ex Euchariſtia corpus & ſangvinem Chriſti tollat. (27.

Jeſuitas porro depexos dedit in articulo de *prædeſtinatione*. Conſcripſit enim de prædeſtinatione mira paradoxa tria, Senatui

(27. In colloquio Jeſuitico p. m. 81. ſ. potius paradoxo 6to ſe plura contra Jeſuitarum nugas moliturum affirmat, add. p. 83.

natui Gardelebienſi dicata. (28. Parodoxon *Primum* eſt, Quod Concilium Tridentinum, ignorans Auguſtini de Prædeſtinatione ſententiam, ignoranter etiam certiſſimum hunc ſui Spiritus Sancti nuncium anathematis fulmine percuſſerit. *Secundum*, quod Auguſtini & Jeſuitarum, hunc ſequentium, de prædeſtinatione opinio, juſtum ac proinde ipſum de mundo tollat Deum. *Tertium*, quod omnium Theologorum Scholaſticorum de prædeſtinatione ſententia Deum ſtultum & inſanum faciat. Hæc ſunt præcipua Paradoxorum momenta. FRANCKENII autem a veritatis via, Pontificiorum judicio, declinantis curam non abjecerunt Pontificii, multo potius ejus ſunt commiſerati, ejusque fuerunt Heracliti, (29. in quibus præcipue GREGOR. de VA-

(28. Nec hæc tria paradoxa in editione Ambergenſi reperiuntur. Compoſuit hæc una cum 6. prioribus in voluntario ſuo exilio, philoſophicaque peregrinatione, uti ipſe in præf. p. 83. indicat.

(29. In Analyſi rixæ Chriſtianæ p. 10.

LENTIA, (30. JAC. GORSIUS, CORNELIUS LOOS CALLIDIUS, (31. qui editis libris (32. illorum lamentati ſunt fortunam. Idem fecit viva & efficaci voce PET. SCARGA, (33. & ALPHONS. CARRILLIUS, ambo Societatis Theologi, quorum alter Cracoviæ in Polonia, alter Albæ Juliæ in Transſylvania bonus ejus, ut putat, ſuus genius.

Quam vero religionem nunc eligeret FRANCKENIUS totus ambigebat. Declarabo id ipſius verbis luculentiſſimis: (34. *Decem annos, ait, voluntaria animi ductus cæcitate, cum oberraſſem, tum demum ſenſi, quam ſtultum eſſet, maximam vitæ partem in cere-*

(30. De eo conf. ALEGAMBE biblioth. Jeſuit. p. 308.

(31. Erat Gouda ortus & Vicarius Bruxellenſis, pluribus de eo agit BÆLIUS l. c. c. 3. p. 22. ſſ.

(32. Quorum vero tituli mihi ſunt incogniti.

(33. De eo conf. ALEGAMBIUM l. c. p. 699. SIM. STARAVOLSCIUM in centum ſcriptorum Polonicorum elogiis & vitis, p. 128.

(34. Analyſis l. c.

ceremoniis philoſophari, quæ nullam aliam certitudinem haberent, niſi ſtultam credulitatem; quaſi divina factam voluntate, auctoritateque ſapientiam. Quamobrem contemta infinitarum ceremoniarum matre Romana Eccleſia, totam Lutheranorum & Calviniſtarum perluſtravi in Germania & Galliæ finibus regionem, diligenter quærens omni errore ſuperſtitioneque vacuam aliquam religionem. Verum cum hanc ibi non inveniſſem, nec alibi facile quærere poſſem: ſperarem autem fore, ut paucioribus premerer apud Pontificios, quam apud Lutheranos & Calviniſtas perſecutionibus, illorum cogitavi tantum gratiam recolligere, ea, quam Jeſuitæ ſine mea voluntate editam per totum jam mundum ſparſerunt religioſa & palinodica epiſtola. Ex quibus haud obſcure apparet, eum Romanorum ſacris abjectis non Lutheranam ſolum, ſed Reformatorum etiam religionem eſſe amplexum. Verum exiguum tempus in eorum communione perſeveravit. Haud

K 5 enim

(35) LIPENIUS, P. 1. biblioth. real. Theol. p. 75. 674.

enim iterum multo poſt edidit (35. *Epiſtolam, in qua deplorat ſuum a Societate Jeſu & Eccleſia diſceſſum, ejusque fidem temere a ſe oppugnatam*, (36. quam vero epiſtolam fruſtra quæſivi. Quod ſi ea vero ſunt conſentanea, quæ FRANCKENIUS retulit, quod ſupra audivimus, ſe invito hanc Epiſtolam eſſe evulgatam a Jeſuitis, breviſſima ſane ejus in illorum ſodalitio fuit commoratio, procul dubio enim jam tunc iterum deſeruit Jeſuitas, qui eam alias minime vulgaſſent. Herbipoli illa prodiit 1583. ad quam vero alii etiam reſpondere voluerunt. Namque in fine editionis Ambergenſis colloquii Jeſuitici ſequentia ſunt adjecta verba: *Quod*

(36. Hanc Epiſtolam Socinianus factus maximopere deteſtabatur in præf. Enumerationis: *O acerbam omnibus Evangelicis epiſtolam, quæ mihi excidit obliuo, quod nondum apud perfectos, ſed imperfectos: nondum cum Angelis, ſed hominibus viverem: neque recordanti majori crudelitate Pontificios eſſe barbaros, quam Lutheranos aut Calviniſtas. Eſt igitur hoc unum ex maximis meis peccatis, ob quod ſolum omni humana & divina gratia privari merear.*

Quod ſi oggrunnient Jeſuitæ, reditumque ad ſe ſuosque & Epiſtolam ejusdem Chr. Franckenii ad Admodum-Reverendos Dominos Jeſuitas Viennæ in Auſtria degentes d. 15. Octobr. 1581. Vratislaviæ ſcriptam, & Viennæ impreſſam, obtendent: de ea etiam reſpondebitur; edenda ſimul cum colloquio iſto, ni nundinarum obſtitiſſet propinquitas. Interim reditus ille non tam poſtliminio aut palinodia fuerit, quam ſuis ad volutabrum, aut canis ad vomitum. Id quod Te ſcire voluimus, ne vel ignoraſſe, vel ſtudio ſupprimere voluiſſe videamur.

Biennio ergo poſt, vel, ſi ex modo citatis verbis elici poſſet, illam eodem anno, quo ſcripta ſit, eſſe impreſſam, a Jeſuitis nimirum ad inſtabilitatem FRANCKENII detegendam, paucos poſt menſes, imo dies, iterum a Pontificiis regreſſus eſt. Quicquid vero ſit de tempore diſceſſus ejus, per Germaniam, Bohemiam, Poloniam, Hungariam vagatus, aliquibus in locis aliquamdiu eſt moratus: ſed nullibi diutius, quam in Transſylvania: ubi primum cives Claudiopolitani humanitate eum liberalitateque allectum in Gymnaſio Lectorem philoſophiæ habuerunt: deinde ipſe princeps SIGIS-

GISMUNDUS BATHOREUS, eum per primarium tunc ſuum cubicularium STEPHANUM JOSICAM, poſt regni Cancellarium, ab Arrianis illis abſtractum, *Scholæ ſuæ Monoſterianæ Rectorem* eſſe voluit. (37.

Anno ergo, ut colligo, 1583. cœtui Socinianorum ſe adjunxit, in quibus etiam diutiſſime eſt commoratus, quo tempore in lucem edidit: *Præcipuarum Enumerationem cauſſarum, cur Chriſtiani, cum in multis reli-*

(37. Ita FRANCKENIUS de ſe ipſo nos edocet, in Analyſi rixæ Chriſtianæ p. 10. 11. Diverſa autem ab his eſt relatio CHR. SANDII *in biblioth. Antitrinitar.* p. 86. alia munera, ac ipſe memorat, ab ipſo adminiſtrata affirmantis. Apponam ejus verba, hiſtoriam ejus ſat etiam imperfecte declarantia: *Erat Lutheranus, dein Pontificius, & Jeſuita Romæ vivebat, ab his tamen rurſus ad Socinianos defecit, Rectorque Scholæ Chmielnicienſis in Polonia eſt conſtitutus, Franc. Davidis paraſtata, & quam ille fovebat opinionum Judaicarum patronus & defenſor. Poſtea in Transſylvaniam abiit, & Claudiopoli Lectoris munere ad 1590. eſt defunctus.*

religionis doctrinis ſint mobiles & varii, *in Trinitatis tamen dogmate retinendo ſint conſtantiſſimi.* Quo anno, quove loco prodierit, non eſt in frontiſpicio adjectum, forma octipertita conſtat, duasque cum dimidia plagulas complectitur. Docet proſeminatum eſſe Trinitatis dogma ab illis, qui conſuetudine colendi Deorum multitudinem ſint imbuti, unde tres veluti Dii majores & minores ſancti profluxerint. Tria confictæ Trinitatis ſigna ponit: quorum

Primo loco ponit æternitatis latebras atque tenebras, in quas ſe conjiciant Trinitarii. Cum enim hi λόγον velint Deum facere, Deum auctorem eſſe Ens primum, perfectum, immutabile, a nullo pendens, omnes videant: Deum vero genitum non poſſe eſſe Ens primum, eos dixiſſe, generatum eſſe λόγον ab æterno: in æternitate autem non eſſe prius aut poſterius, nec qui ab alio dependeat. Nec omnia ex definitione *æternitatis*, quæ eſt *interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio*, labefacere conatur: Deum genitum, qui cœperit eſſe, non poſſe dici immutabilem; quod enim

æter-

æternum eſt, ſemper eſſe & ingenerabile: in æternitate non poſſe generans & generatum eſſe, niſi in eadem ſit prius aut poſterius: poſtea probat, hanc generationem non eſſe interminabilem & immutabilem.

Secundum confictæ Trinitatis indicium eſt, ipſo judice, quod cum idololatræ nondum duabus divinis perſonis tertiam quoque adjicere velint Spiritum Sanctum: in totis bibliis autem non extare de divinitate Spiritus S. apertum teſtimonium, imo unigenitum etiam Dei filium in fraternam ſocietatem nullum alium Deum admittere: finxiſſe ergo illos, Spiritum S. non quidem genitum, ſed ab utroque productum, non intellectu, ſed voluntatis actione. FRANCKENIUS vero duplici modo ſubſtantiæ productionem ſtatuit, *creationem & generationem:* cum ergo Spiritus S. non ſit creatus, generatus ſit omnino neceſſe, & alter Dei filius. Nec voluntatis actione eſſe productum Spiritum S. Tribus enim divinis perſonis eſſe eandem numero voluntatem: eandem vero numero actionem non poſſe producere & produci.

Tertium hujus doctrinæ ſignum ponit,

nit, hypoſtaticam unionem duarum naturarum in Chriſto, quam idololatræ, inquit, tum pepererunt, cum necdum tribus contenti perſonis, quartum quendam majorem habere Deum cuperent, non tamen auderent eum numero diverſam perſonam divinam conſtituere, nec merum hominem divinæ æquare excellentiæ viderentur: verumtamen ut quartum quempiam ſi non omnino majorem, ſaltem quaſi majorem Deum haberent, impoſuerunt in hypoſtaſi divina naturam humanam, propria hujus hypoſtaſi tanquam pelle prius detracta, ne cum homo tantummodo eſſet, non tamen purus homo eſſe videretur, ſed Deus etiam propter hypoſtaticam unionem appellaretur: & cum Proteſtantes humanam Chriſti naturam eſſe ſine propria exiſtiment ſubſiſtentia, cur non accidentia panis & vini in euchariſtia proprio ſubjecto propriave exiſtentia ſpolient? Eſſentiam autem ſine exiſtentia eſſe idem, quod homo ſine humana eſſentia.

Chriſtum non poſſe eſſe Deum, inde conatur colligere, quod cum Deus ſit offenſus, Chriſtus apud ſe ipſum intercedere opor-

oporteat, quod ipſi videtur abſurdiſſimum, una cum mediatoris Chriſti negotio. Variis poſtea argumentis propugnat, non opus fuiſſe, cur Deus ipſe eſſe debuerit mediator, deſtruendo argumenta illa a peccati gravitate deſumta; argumenta vero nulla in medium profert, cur Chriſtus in mundum venire non debuerit. Hæc fuere præcipua argumenta *libelli Franckeniani*, quorum nonnullis præcipue vellicat Pontificios. Verum nec in omnibus etiam partibus placita Socinianorum calculo ſuo approbavit.

Judaiſmi enim a SANDIO reum actum eſſe jam percepimus, quod etiam confirmat MART. RUARUS dicens: (38. MATTHIAS GLIRIUS (39. *de regno Chriſti plane judaizat, ut qui non aliud illi quam terrenum tribuat, per annos aliquando mille in Palæſtina gerendum: interea temporis eum ab omni rerum noſtrarum cura abſolvit.* GLIRII *veſtigia ſunt ſecuti* JAC. PALÆOLOGUS,

(38. In Ep. 46. ad A. CALOVIUM Centur. I. Epiſtoll. Ruari p. 217.

(39. Erat Medicus, de quo pluribus agit *Sandius* l. c. p. 60.

LOGUS, FR. DAVIDIS, & JO. SOMMERUS in ſcriptis poſterioribus, itemque G. FRANCUS. Sed & in alio placito diſſidia a nonnullis Socinianorum fecit. Notiſſimæ ſunt illorum diſſenſiones *de adoratione JESU CHRISTI.* Fr. nimirum DAVIDIS aliique Chriſto adorationem denegabant, quibus vero magna animi contentione ſe oppoſuit GEORG. BLANDRATA anno 1577. qui eo tempore STEPHANI, regis Poloniæ, Archiater & Conſiliarius erat, propugnans, Chriſto omnino adorationis cultum eſſe tribuendum. Sententiam DAVIDIS ſequebatur FRANCKENIVS, eamque ob cauſſam 1584. d. 14. Mart. in aula CHRISTOPH. PAULICOVII colloquium inter ipſum & FAUST. SOCINUM, Senenſem, eſt habitum, (40. *de honore Chriſti*, i. e. *utrum Chriſtus, cum ipſa perfectiſſima ratione*

(40. Colloquii hujus etiam meminit ASHWELLUS, Eccleſiæ Anglicanæ presbyter, in diſſ. *de Socino & Socinianis* p. 13. quæ Oxoniæ 1680. prodiit, citante J. F. MAYERO *diſſ. de hiſtoria Socinianorum* p. 3. 4.

Deus non ſit, religioſa tamen adoratione colendus ſit, nec ne? FRANCKENIUS *hoc præcipue contra* SOCINUM *nitebatur argumento: Quanta eſt diſtantia inter creatorem & creaturam, tanta eſſe debet differentia inter honorem, qui creatori exhibetur, & qui creaturæ tribuitur. Atqui inter creatorem & creaturam maxima eſt differentia, ſeu naturam & eſſentiam ſpectes, ſeu dignitatem & excellentiam. Ergo & maxima eſſe debet differentia inter bonorem Dei & creaturæ. At bonor, qui præcipue Deo debetur, eſt religioſa adoratio. Ergo hæc non eſt tribuenda creaturæ. Ergo neque Chriſto, quem Socinus puram eſſe creaturam fatetur.* Hiſtoriam hujus colloquii agitati FRANCKENIUS non ita multo poſt in lucem prodire juſſerat. (41. Sed prout ei viſum, eſt ab eo deſcripta, veritate neglecta. Faſſus eſt enim ipſe Chmielniciæ præſentibus GEORG. SCHOMANNO,

(42.

(41. Iterum prodiit Racoviæ 1618. 8. conf. Catalogus bibliothecæ Kielmanseggianæ T. 1. p. 990. quam vero neque cum priori vidi.

(42. SIMONE RONEMBERGIO, aliiſque, ſe in ea deſcribenda, non tam ſpectaſſe, quid SOCINUS dixerit, quam quid ſuis principiis conſentaneum dicere debuerit. Correctior autem & emendatior legitur hæc diſputatio *in bibliotheca fratrum Polonorum*, (43. cui additæ ſunt notæ non paucæ, & reſponſiones ad ea, quæ Franckenius dicit, nec non correctiones eorum, quæ idem SOCINUM dicentem facit. SOCINUS autem adorationem contra FRANCKENIUM ſtrenue defendebat, teſtimoniis Scripturæ pugnare recuſantem. SOCINUS quidem primum renuit, tandem autem in partes ejus abiit argumentis a ratione ſuppeditatis adhibitis.

Præter hactenus dicta Trinitatem divinam aliis etiam libris impugnavit; verum illis odia perſecutioneſque ſibi conci-

L 2 liavit,

(42. De hoc conf. SANDII biblioth. Antitrinit. p. 47. STANISLAI LUBIENICII hiſtoria reformationis Polonicæ p. 207. 240.

(43. Tom. II. Irenopol. 1656. fol. ed. p. 767. ad 777.

liavit, & ALEXIUS REDECKIUS, cujus prelo exierant, typographiæ jacturam fecit, cuſtodiæque mandatus. Epiſtolam quoque ad Synodum fratrum Polonorum, Wegroviæ celebratam, 1584. *de adoratione Chriſti* agentem, exaravit, quæ, memorante SANDIO, (44. in MSto deliteſcit. Perſeveravit in Socinianorum ſocietate FRANCKENIUS ad annum 1590. Flamma enim belli Turcici tunc in Hungaria exardeſcente, cum RUDOLPHUS ad gubernacula imperii ſederet, (45. Transſylvania relicta, Pragam repetiit ad veterem Patronum ſuum ANSELM. de VELS, qui Cæſari erat a Conſiliis Cameræ aulicæ, amplexurus denuo Romanenſium doctrinam, quam jam bis fecerat miſſam. Multa vero interea eſt perpeſſus ab Arrianis, (46. nec minora, de quibus maxime conqueritur, ſi illa vero

(44. l. c. p. 87.

(45. Teſte FRANCKENIO in Analyſi rixæ Chriſtianæ, p. 12.

(46. Ipſum hac de re loquentem audire juvat l. c. p. 10. *Decimo quinto jam anno poſt*

vero accedunt, a Lutheranis. (47.

VELSII ergo tecto favoreque exceptus per annum & tres menſes in ejus hæſit fami-

poſt meum e Societate Jeſu diſceſſum incertis vagor ſedibus, non aliam ob cauſſam, quam quod nec ſacerdotium, nec conjugium, quibus duobus vita generibus homines certo fere loco alligantur, amplecti unquam auſus fuerim. In vaga autem hac vita mea, ſummum meum hoc tantum fuit peccatum, quod ſcribendi quadam uſurpata libertate ejuſmodi caſibus fuerim labefactatus, quos & Democritus ridere, & Heraclitus deflere merito poſſit. Heracliti mei fuerunt GREG. DE VALENTIA, aliique ſupra memorati. Democriti mei fuere in Germania Lutherani: in Polonia & Transſylvania Arriani: qui quamdiu mea in ſcholis opera uterentur, vel ſuarum ſaltem me partium fore ſperarent, ornatiſſimum ſuum alumnum, atque etiam civem facere ſtuduerunt. Deſperata vero animi tranquillitate diſcedentem multis ſarcaſmis & calumniis infamarunt, præſertim.

(47. *Lutherani, & in his Gardelebienſes mei conterranei: qui publica mea epiſtola ad S.I. miſſa, & per eandem Vienna edita, laceſſiti, multa de me mendacia, ſpolianda detrahendaque*

familia, qui eum etiam ut filium amore eſt complexus. Auctoritate ejus igitur impulſus, edidit anno 1594. (48. *Dolium Diogenianum, ſtrepitu ſuo collaborans, Dynaſtis Chriſtianis bellum in Turcas parantibus.* (49. Conſilia ejus, qua ratione Turcarum quam

---

daque honeſtatis cauſſa, in totius fere Germania auribus defixerunt. Maxime autem in vulgus ſparſerunt, neſcio quæ furta mea puerilia ante meum in S. I. ingreſſum facta: quorum nec ego mihi conſcius, nec illi ipſi mei populares, cum 15. abhinc annis Gardelebiam in patriam profugus ex Societate veniſſem, ullam mentionem fecerant: non tacituri profeſſo, imo graviter etiam ulturi vel leve delictum, ejus præſertim, qui & precibus & præmiis ad manendum invitatus, contemnere tamen patriam tanquam obſcuram & barbaram videretur.

(48. Annus quidem libello eſt adjectus: dicit vero p. 12. Analyſeos rixæ Chriſtianæ 1595. ed. Superiori anno edidi Dolium Diogenianum.

(49. Legitur hoc Dolium in *Selectiſſimarum orationum & conſultationum de bello Turcico variorum & diverſorum auctorum voluminis IVti parte altera p. 53. ſſ.* Conſilia ſ. Diſcurſus

quam commodiſſime deleri queant opes, huc fere collineant: Chriſtianos disjunctos non pares eſſe poſſe Turcis, (50. nec ullius imperii, in quo multi dominentur, magnas eſſe poſſe vires: quia, cum alii alios opprimere ſtudent vel deprimere, nil communi conſilio auxiliove geratur. Concordiam ergo ineant, (51. egregios duces, milites-

ſus de bello Turcico recte adminiſtrando continente ex recenſione NIC. REUSNERI, qui 1595. tria volumina in 4 ſcripta ejusdem generis complectentia Lipſiæ exire juſſit. Habetur etiam in ſcriptis *de bello contra Turcas prudenter gerendo variis ſelecto & uno volumine* Helmeſt. 1664. 4. *ab H. CONRINGIO* ed. p. 414.-429. qui in præf. ita de eo judicat: *Vixiſſe, quo tempore Rudolphi Cæſaris auſpiciis geſtum cum Turca bellum, nemo non videt. Neque illum ad laudem aliorum accedere ultra fateor; eoque volui, ut agmen clauderet. Quædam tamen ſatis opportuna viſus eſt loqui, ac proinde in iſthoc ſapientum militari conventu ſaltem extremum locum dignus qui occupet.*

(50. In Analyſi &c. p. 13.

(51. In fine Dolii Diogeniani.

que conquirant, Ungariam Germaniæ propugnaculum defendant, exercitumque pecunia præcipuè alant, de qua conquirenda Franckenius ibidem conſilia ſubminiſtrat. Diebus aliquot per Pragam volutato Dolio Diogeniano exire juſſit. *Typum veritatis conſcientiarum*, (52. favorem D. JAC. CURTII Procancellarii aulici captaturus: Quo autem præmaturà morte erepto, omni ſpe ſua, proſpere res agendi, deturbabatur. Ratisbonam tandem ad Comitia acceſſit, liberalitate VELSII fretus, in quibus adeo in amicitiam CÆSARIS SPECIANI, *Cremonenſis Epiſcopi, & Nuncii apud Cæſarem Apoſtolici*, ſe inſinuavit, ut poſtulare modo poſſet, cui potiſſimum principi Eccleſiaſtico vellet commendari. Sed modeſtia retentus, ut ait, nihil tentavit depoſcere. Brevi autem interjecto LADISLAUS POPELIUS, Junior, *Pincerna Cæſareus*, ut eo familiariter uteretur, philoſophandi cupiditate ductus in ſuam adlexit ſocietatem. (Namque haud ſtupidum FRANCKENIO erat ingenium, atque in campo Philoſophico optime ver-

(52. Analyſis p. 13.

verſatus, cui rei ſcripta ejus ſunt documento.)

Qua etiam vitæ conditione uſus eſt adhuc 1595. cum *Analyſin rixæ Chriſtianæ, quæ imperium turbat & diminuit Romanum, publici faceret juris.* (53. Hac vero ratione animos diſcordes ſtudet conciliare, ponens quædam generalia de cognitione Dei, quæ ad continendos vel amore, vel metu divino mortales in officio continere poſſe putat, & ad unam omnium communem religionem ſtatuendam, niſi humanum etiam ingenium requireret medium humanum, per quod religio ad homines manaret, imo perpetuam de religione rixæ cauſſam hanc eſſe, quod permulti Chriſtiani diſputando malint curioſo indulgere genio, quam ſimpliciter credendo uni ſtudere pietati. MORO SARACENO Franciſcano Italo olim hanc cauſſam in ſermone expoſuerat, qui vero contra ea in ipſis litteris Sacris originem omnis altercationis hærere affirmaverat. Rixam ergo omnem e medio tolli

L 5 poſſe

(53. Pragæ 1595. 4. 3. pl.

poſſe putat FRANCKENIUS, fidei ſimplicitate Papali, brachioque adhibito ſeculari.

Hæc ſunt, Clariſſime PEZOLDE, quæ de FRANCKENIO, in religione ſane *Vertumno mutabiliori*, ex libellis ejus in medium proferre licuit. Defectibus quidem hiſtoriam vitæ ejus adhuc laborare profiteor, cum neque de anno nativitatis neque mortis, ejusque genere, quicquam dictum ſit: ſed ea procul dubio clariora exiſterent, ſi multa illa volumina, quibus *Gardelebienſes atque Magdeburgenſes* impugnaverat, ſcripta, quibus Theologi Pontificii ejus fortunam fuerint lamentati, Epiſtolam ejus, in qua deplorat ſuum e ſocietate Jeſu diſceſſum, Typum veritatis conſcientiarum, aliaque, a SANDIO citata, oculis meis uſurpare potuiſſem. Ipſo auctore etiam prodiit *diſputatio inter Theologum & Philoſophum, de incertitudine religionis Chriſtianæ*, Claudiopoli 4. 1593. (54. & cum WARKAWICIUS Jeſuita STEPHANUM BATHORIUM, Regem Polo-

(54. Citatur a LIPENIO in bibl. real. Theol. P. 2. p. 654.

Poloniæ atque Senatores tribus orationibus peroratis incitaſſet ad Proteſtantes perſequendos, edidit nomine NICOLAI REGII veſtitus illarum orationum refutationem: [55. Sed & hæc omnia meos adhuc fugerunt oculos, quorum ſi a viris eruditis copia mihi fieri poſſet, pleniorem forte aliquando Viri hujus, notatu haud indigni, præcipue ob diſputationem cum SOCINO habitam, vitam exponere poſſem.

Vale ergo, Clariſſime PEZOLDE, Tuasque res ex animi TUI ſententia perage. Dabam Berolini, d. 16. Novembr. cIↃIↃcXX.

(55. Notante SANDIO l. c. p. 87.

Obſer.

Obſervatio CCXI.

JACOBI FOERT-SCHII,

Lycei Haynenſis Con-Rectoris,

de

VALENTINO WEI-GELIO,

ac inprimis ejus patria.

VALENTINUS WEIGELIUS novis iisque periculoſis opinionibus, quas in Theologiam inferre conabatur, nobilitatus fuit, ſi appellanda eſt nobilitas, monſtroſa opinionum profeſſio. Fuit ille Enthuſiaſtarum, quos illud Seculum tulerat, ſi non dux & autor, certe egregius fautor adjutorque. Nam ſi dicendum, quod res eſt, easdem tibias inflavit, quas poſt eum *Jacobum Bœhmium*, Philoſophum illum Teutonicum, *Stiefelium*, *Nagelium*, *Sperberum*, cæterosque hujus farinæ homines inflaſſe novimus.

Non

Non obſcure Fanatici hominis ingenium ex eo colligas, quod multa de *ultimo ſeculo*, *Spiritus S.* multa de *interno verbo* atque revelationibus, multa de *Enthuſiaſtica requie*, aliisque novæ doctrinæ portentis diſſeruit. Adhæc omnem *eruditionem* ceu rem inutilem *rejecit*, ac ſusque deque habuit, quod & hodie Quackeri faciunt: conceptusque Chymicos & Aſtrologicos ad Theologiam attulit, perinde ac ſi liceret, cujusque diſciplinæ notiones ad veritates Theologicas transferre, atque ex eis concluſiones deducere. Quam ob cauſam non immerito illum culpavit CL. BUCHNERUS de *vitiorum inter eruditos occurrentium Scriptoribus* Cap. II. Sect. I. p. 105. Interim inficias ire non poſſumus, multos Weigelii cauſam egiſſe, ejusque doctrinas defendendas ſuſcepiſſe. Quæ jam diximus, ea breviter probaturi ſumus.

Primum WEICKERTUS quidam, qui eis temporibus *Cantor Zſchopavienſis* fuit, graviter in Parcas invehitur, quod Weigelium e vita ſuſtulerint. Nam *in Annal. Ecclesiaſt. Zſchopavienſibus*, ubi mors Weigelii, ut fieri conſvevit, literis conſignata

fuit,

fuit, hæc verba ſua manu adſcripſit: *O iniquæ Parcæ, quid juvat auferre talem!* Sed profecto non erat, quod homo ille de quadam fati iniquitate conquereretur; nam eum expediebat quiete frui in ſepulcro, qui in Eccleſia, non ita pridem nitori ſuo reſtituta, turbas excitarat, plures forte excitaturus, ſi longior vitæ uſura a Deo conceſſa fuiſſet. Sane non decet querulas voces edere, aut adeo in lacrymas effundi, quando vel moriendi neceſſitate, vel propitia Numinis providentia e vita diſcedere juſſi fuere, quorum morte Eccleſiam plus lucri, quam damni feciſſe certum eſt.

Deinde non minimus Weigelii æſtimator fuit, qui illius effigiem ære exſculpi curavit. Illam Plur. Rev. DOMINUS M. ANDREAS USCHNERUS, *Archi-Diaconus apud Haynenſes meritiſſimus*, nobiscum communicavit, & operam noſtram non ingratam fore confidimus, ſiquando eam huic loco inſeramus. In margine hæc verba leguntur: VALENTINUS WEIGELIUS THEOLOGUS ÆTAT. XLIII. Anno MDLXXIII. Subjecti ſunt verſus Germanici, literis Latinis picti, qui ſequuntur:

Hier

Hier ſieht man die Geſtalt des theuren Gotts-
gelährten,
Auff den ſo zornig ſeyn die Schulgelährt Ver-
kehrten,
Es leucht ſeyn Edler Geiſt aus dem, was er
geſchrieben,
So zwar nicht unverfälſcht auff unſre Zeit
geblieben.

Poëta latet, & lateat, ſi quidem illum noſſe noſtra nihil refert. Quantum vero conjectura poſſumus aſſequi, delirus quidam Fanaticus fuit, qui magis ſtulte, quam ingenioſe in Weigelianas laudes artem ſuam profudit.

Porro inter eos, qui de Weigelio amicius ſentiunt, meo quidem judicio etiam locum obtinet GODOFREDUS ARNOLDUS, quippe qui eum in Hiſtoria ſua magis defendere, quam falſæ doctrinæ poſtulare videtur. Sed hoc modo male functus eſt Hiſtorici partibus, quem a favore adulandique conatu alienum eſſe, atque res neglectis præjudiciis oportebat exponere. Neque vero adeo miramur favorem, quo Weigelium amplectitur; non enim obſcurum eſt ejus ingenium. At vero hoc indicio, ut

ſorex

ſorex, ſe prodidit; & quod forte difficilius crediſſent homines, ſe Weigelii haud diſſimilem eſſe, Fanaticorumque clanculum, ſi non aperte, caſtra ſequi indicavit. Profecto non vana eſt ſuſpicio, nam & alias palam fecit, quam amicus eſſet eis, dum illorum morem ſecutus humanam ſprevit eruditionem, adeo ut ſuo quoque merito Fanaticiſmi arguatur a CL. BUCHNERO, paulo ante citato, p. 218.

Tandem multos cives Zſchopavienſes olim quoque Weigelio faviſſe, deque illo æquius judicaſſe comperimus. Memini me aliquando ex amico quodam, quem Commilitonem in Academia Lipſienſi habebam, audiiſſe, non omnes dura, ut videntur, de Weigelio judicia æquo ferre animo, ipſique injuriam fieri ſæpe manibus pedibusque contendere. Qui ſi errores Weigelianos, quos præter alios B. WAGENSEILIUS in *Synopſ. Hiſt. Univerſ.* P. II. p. 784. & DN. SCHOENLAND, in der Catechetiſchen Anweiſung zur Kirchen-Hiſtorie, p. 265. ſeq. exhibent, accurate cognoſſent, dubium non erat, quin aliter ſenſuri eſſent. Nos ab omnibus eis diſſidemus, qui Weigelium

lium tuentur ac defendunt, & ſubſcribere malumus ſententiæ ſummorum Theologorum Eccleſiæ noſtræ, qui illum de numero recte docentium jampridem exemere, ejusque errores revelatos, atque ad infallibilem fidei normam examinatos damnavere. Inter quos inſignem operam præſtiterunt JOANNES GERHARDUS, JOANNES ARNDIUS, JOANNES HIMMELIUS, JUSTUS FEURBORNIUS, NICOLAUS HUNNIUS, ut alios taceam.

Cæterum qui indicem ſcriptorum a Weigelio confectorum deſiderat, evolvat *Magnifici* BUDDEI *Lexicon univerſale.* Nos plura de WEIGELIO commemorare noluimus, præcipue cum ea opera jam alii pulcerrime defuncti fuerint. Adhæc ea mens nobis haud fuit, ut *de illius vita atque ſcriptis* ſigillatim exponeremus, ſed in præſentiarum eo tantummodo nitimur, ut, quæ diu lis ſub judice fuit, *certam Weigelii patriam* indicemus.

Olim credidere, natum illum fuiſſe ARTERÆ *Comitatus Mansfeldenſis oppido*, quod abeſt circiter tria milliaria *ab Islebio.* In ſententia B. WAGENSEILIUS, quem vide

loco citato, ut & B. KROMAIERUS, magni nominis Theologus, qui in *Theol. Poſ. Col. Art. XVII.* de *cœna S. Θ. X.* illum ARTERÆ in lucem editum aperte teſtatur, patremque habuiſſe iſtius loci *Paſtorem & Decanum*, qui quum artem medicam una exercuiſſet, a profano vulgo *Doctor* appellatus fuiſſet; prima literarum fundamenta jeciſſe *Neoſtadii ad Orilam*, atque a puero conſortia conſvetudinemque fugiſſe hominum, id eſt, quem Græci vocant, μισάνθρωπον fuiſſe; conciones ſacras audire noluiſſe, ac non niſi Hermetis Triſmegiſti, Sibyll. Agrippæ, Cardani, & inprimis Theophraſti Paracelſi ſcripta diurna nocturnaque manu volviſſe atque revolviſſe.

Sed hi atque alii, qui eandem ſententiam de Weigelii patria vitaque Scholaſtica habuere, haud dubio decepti ſunt a JOANNE SCHELHAMMERO, illo *Seniore Hamburgenſi*, qui, quam vocant, Poſtillam ab eo conſcriptam refutavit. Hic enim illi *Arteram* aſſerit patriam, ſeque cum ipſo Neoſtadii ad Orlam operam bonis literis dediſſe affirmat. At vero SCHELHAMMERUS non ſatis ſibi conſtat, dum nomi-

nis

nis ſano deceptus VALENTINUM VIGELIUM, illum *Mansfeldenſem*, cum VALENTINO WEIGELIO, *Haynenſi*, confundit. *Magnif. Dn.* BUDDEUS in *Lexico ſuo*, nullam patriæ Weigelii mentionem facit, rem controverſam, ut mihi videtur, in medio relicturus. Nos audacter affirmamus, *Weigelium Haynæ, Anno 1533. primam aſpexiſſe lucem.*

Fateor quidem, me, cui hic vivere contigit, non parum operæ adhibuiſſe, ut *ex Annal. Ecclesſ. Haynenſibus* teſtimonium producerem, quo hujus rei veritatem extra omne dubium poſitum demonſtrarem. Sed omnem laborem atque operam in iſtis inquirendis evolvendisque fruſtra collocavi; deſunt enim Annales illorum temporum, quos aut caſu quodam periiſſe, aut a Monachis, veteribus colonis hinc migrare juſſis ablatos fuiſſe arbitror. Nam ſcias velim, Lector honoratiſſime, WEIGELIUM *Papatu adhuc dominante in urbe noſtra natum* fuiſſe, ſiquidem ſplendor cœleſtis doctrinæ paulo ſerius, quam alibi, nempe circiter Anno 1540. hiſce locis illuxit. Interim probatione dignisque fide teſtimoniis non excidimus.

Primum *Weigelio Haynam noſtram contigiſſe patriam* probamus ex Annal. Eccleſ. qui *Zſchopaviæ* aſſervantur, in quibus a natali loco HAYNENSIS dicitur. Deinde monumentum in templo Zſchopavienſi ipſi poſitum idem teſtatur. Illud ære expreſſum DN. M. KOCHIUS *P. XXII. Tom. II. Obſervat.* præfigi curavit, cumque dignum ſit, quod legatur, iſtud huc transferre non dubitavimus. In margine Epitaphii verba, quæ ſequuntur, legimus:

M. Valentini Weigelii vom Hain, 21. Jahr Pfarrherr alhier zur Zſchopau, iſt Anno 1533. gebohren, und den 10. Junii Anno 1588. im 56. Jahr ſeines Alters im Herrn entſchlaffen.

Nunc ſequitur ipſa inſcriptio:

Quæ per tempus amitto,
Hoc (lege hac) *invenio in æternitate;*
Quæ in æternitate poſſideo,
Cognoſco in tempore.
Wer Chriſto glaubt und
fürchtet GOtt,
Dem mangelt nichts weder
hie noch dort.

Omnia

Omnia me Chriſti vita
docere poteſt.

Summa ſummarum

O Menſch lerne dich ſelber erkennen
und GOTT:
So haſt du gnug hie und dort.

Tum figura quædam conſpicitur, in qua nonnulli myſterium lapidis philoſophici Weigeliani quæſivere. Nos hic tantum, quod ad propoſitum noſtrum pertinet, notamus, literas iſti figuræ inſcriptas V. W. V. H. VALENTINUS WEIGELIUS VON HAYN, rurſum probare, illi non aliam, niſi *Haynam noſtram*, fuiſſe patriam.

Verba figuræ iſti adjecta hæc ſunt:

Pax vivis, requies
æterna ſepultis.

Ruhe und Stille
iſt Gottes Wille,
das in mir Herre
auch erfülle,
Amen.

Tandem non indictum abeat, in inſigni illo, quod nonnullis myſticum vide-

tur, *avem* ſculptam conſpici, quam nonnulli *corvum* interpretati ſunt, forte autem errore judicii eluſi, aut nimio in Weigelium odio abrepti. Alii *columbam* eſſe dicunt, quod quidem ſimilius vero eſt, ut WEIGELIUS, qui tranquillitatis concordiæque ſtudioſus videri volebat, *avem concordiæ amantem* elegerit. Quanquam non negandum eſt, artificem iſtam avem ita finxiſſe, ut *gallinæ ſimilior, quam columbæ* videatur, quod tamen genio ſeculi condonandum eſſe exiſtimo.

Atque ita ſatis *de Weigelii patria* conſtare arbitror, cum Annales Zſchopavienſes & monumentum ipſi erectum ejus rei teſtimonium perhibeant. Sunt quidem nonnulli, qui non ſatis liquere ajunt, utrum *Saxonum, an Sileſiorum Hayna* intelligenda ſit. Sed noſtram intelligi minori probatione eget, propterea quod haud dubie & in Annal. & monumento a patria *Sileſius* fuiſſet appellatus, ſiquando ipſum illa genuisſet. Quod quum factum non ſit, ex eo concludimus, civitatem noſtram ipſi natales dedisſe. Et ſi probabilitati-

bus,

bus, ut cum Philoſophis loquor, pugnare licet, veriſimilius eſt, novum Paſtorem in defuncti locum ſufficiendum e vicino, quam remotiore loco fuiſſe accerſitum. Hæc *de Weigelio ejusque patria* ſatis dicta ſunto, quæ quidem judicio benevoli lectoris limanda ſubjicimus. Non aliam ob cauſam *natale ſolum Weigelio Haynam noſtram* vindicamus, quam ut rem obſcuram, quoad ejus fieri poſſet, in apricum proferremus. Quod reliquum eſt, ex animo precamur, ut neque hoc, neque ſi quod futurum eſt ſeculum, Weigelianos errores recoquat!

Obſervatio CCXII.
GODOFREDI CHRISTIANI BENCKERI,
Paſtoris Mulroſæ Meſomarch.
de
Vero Creaturarum uſu.

Σύνοψις.

§. I. *Ratio inſtituti materiæque dignitas.*
§. II. *Vocabulorum thematis evolutio.*
§. III. *Fundamentum uſus creaturarum nititur dominio rerum.*
§. IV. *Cujus tota graviſſimi momenti materia evolvitur.*
§. V. *Quoad ſingula momenta explicatur.*
§. VI. *Finis uſus creaturarum, qui eſt conſervatio noſtri.*
§. VII. *Quæ ex creaturarum bonitate evincitur.*
§. VIII. *Conſervatio noſtri, & uſus creaturarum, uberius inveſtigantur, & quidem, quem uſum*
§. IX. *Inſtinctus naturalis requirit,*

§. X.

§. X. *Ratio ſana in ſtatu civili dictitat.*
§. XI. *Revelatio vero & Scriptura S. permittit.*
§. XII. *Concluſio.*

§. I.

CUM ſuperioribus annis Obſervationem ex rerum Spiritualium claſſe petitam, quæ *Tom. IV. Miſcell. Lipſ. p. 126. ſq.* inſerta legitur, & de INTELLECTU PURO agit, ſcripſerim, ad aliam nunc calamum converto, ex rerum corporearum claſſe petendam, qua VERUS CREATURARUM USUS exponetur. Digna eſt materia hæc, quæ ſolertiori paulo ſtudio evolvatur, cum ſua ſe & præſtantia & utilitate ubique commendet: Neque enim dici poteſt, qvam multas, graviſſimi etiam momenti, concluſiones ea gignat, quæ, ſi accuratius penſitantur, multum omnino & ad practicam vitæ directionem & ad conciliationem argumentorum quorundam, quæ noſtra ætate in controverſiam traxerunt viri docti, faciunt. Faxit vero Numen æternum, ut ad hunc ſcopum dicenda quodammodo conſpirent!

§. II.

Solent alias ſcriptores ab onomatologia plerumque initium ducere, quod, an ubique neceſſe ſit, hac quidem vice non diſquirimus, præſtat interim, morem hunc & hic obſervaſſe, quo de iis, quæ ad illuſtrationem vocum faciunt, quædam præmittemus. Agit thema de *Vero creaturarum uſu*; dicendum itaque primo loco, quid per creaturas, qvid per earum uſum, eundemque quidem verum intelligamus. *Creaturarum* nomine nobis h. l. non τὸ univerſum & quidem totum, omnipotenti Creatoris manu productum, ſed ſpecies tantummodo creaturarum, quas τὸ univerſum ſub ambitu ſuo univerſali concludit, venit. Non enim Angelos, Dei creaturas, non homines, non cœlum, ejusque ſtellas, Dei creaturas, ſed eas demum creaturas conſiderabimus, quas pro ſummi Creatoris voluntate nutuque terra æque ac aqua ad hominis conſervationem producit, productas vero aeris temperies conſervat. De his ergo creaturis verba hoc loco faciemus, & quem in modum homines iisdem uti queant, debeantque. In fundamentum hujus uſus

pariter

pariter ac indolem ejus mox pluribus inquiremus; de vocabulo vero *uſus* in anteceſſum hic obſervandum eſt, intercedere diſcrimen aliquod hoc loco inter viros quosdam ordinis Theologici, qui noſtra ætate diſceptarunt, num *Creaturis* uti tantum, num vero *frui iisdem* etiam liceat; ut controverſiam hanc noſtram faciamus, aut præſenti inſtituto renovemus, plane quidem nolumus; putamus tamen interim, eam via admodum facili abſolvi poſſe, ſi modo ad ſenſum horum vocabulorum, *uti & frui*, rite attendamus. Debet originem ſuam AUGUSTINO iſta loquendi ratio: ut *Creatore frui, creaturis vero uti* debeamus, quodſi vero mentem Auguſtini bene capiamus, facile videbimus, tantum *inter fruitionem* hanc & *uſum* diſcrimen intercedere, quantum *inter æterna & terreſtria, infinita & finita, caduca & perennatura* intercedit. De cætero vero, ſalvo hoc diſcrimine, parum quidem mea opinione intereſt, velitne aliquis fruitionem hanc & uſum uno eodemque ſenſu ita conjungere, ut utrumque de creaturis dici queat, nobisque *creaturis & uti & frui* permittat, vel ſeparare: Ibi enim

haç

hac ratione generalior, hic ſpecialior ſignificatus obtinet. Dicimus enim Germanico etiam idiomate: Wir genieſſen die Gaben GOttes, i. e. creaturis pro divini Numinis nutu ad noſtri conſervationem fruimur. Non Epicureiſmi ſtatim arguendus eſt, qui ſimilem in modum fruitionem creaturarum admittit. Adhibemus interim vocabulum uſus, ſtudio pacis ducti, ut omnem evitemus λογομαχίαν. De uſu ergo creaturarum, eoque *vero & genuino*, qui in eo conſiſtit, ut creaturis ad nutum Voluntatemque Creatoris ad noſtri conſervationem utamur, nunc diſpiciemus.

§. III.

Rerum fundamenta ubique prius indaganda ſunt, antequam ad intimiores earum receſſus deſcendere licet. Id quod & noſtro hoc loco obſervabimus. Fundamentum uſus creaturarum, ut rite ponamus, neceſſe eſt, nec minoris neceſſitatis, ut juſto id ipſum loco quæramus; non enim perinde eſt, quodnam huic uſui aſſignamus fundamentum, genuinum idque palmarium quærendum eſt. Et hoc vero conſpiciendum ſe præbet *in Dominio rerum*

&

& conceſſa mortalibus facultate rebus creatis ad ſui conſervationem utendi. Neque enim ad propriam tantummodo voluntatem homo creaturis utitur, ſed ad iſtius demum, qui hanc ipſi conceſſit libertatem, quique omnes creaturas condidit, & quem ſummum æternumque Numen nuncupamus. Qui enim nullum jus, libertatemque nullam in creaturas, quo demum cunque nomine veniant, habet homo, qui quidem ipſe Dei creatura eſt, & hac ratione eandem cum ipſis originem, finemque eundem, licet quibusdam præ cæteris creaturis prærogativis gaudeat, agnoſcit, quis iſti uſus creaturarum competeret, niſi peculiari eidem ratione a quodam alio, Creatore nimirum ſummo, datus. Solus ergo creaturarum omnium fabricator, ſuo ex jure creationis tantam homini ſuper cæteras creaturas concedere poterat ἐξοχὴν, ut iisdem uteretur; atque in easdem dominium aliquod exerceret. Huic ergo fundamento uſus creaturarum ſuperſtruendus eſt, & quæ deinceps de eo in medium afferemus.

§. IV.

Circa *Dominium* rerum longus equidem

dem dicendi campus ſe aperit; ſed rem paucis expediemus, ea tantummodo ὡς ἐν Συνόψει huc traducturi, quæ neceſſario requiruntur. Et ita quatuor hujus dominii momenta obſervanda veniunt, origo nimirum, dominiumque ipſum; an facultas rebus creatis utendi dominium recte vocetur; nec non dignitas hujus dominii, num imaginem Dei conſtituerit; pariter ac Indoles limitesque hujus dominii in hanc usque ætatem noſtram. ORIGINEM *dominii creaturarum* quod attinet, ea nobis non incognita eſt, qui divinarum literarum autoritatem admittimus; Sacræ enim literæ nos abunde docent, ſummum Creatorem primis noſtris Parentibus, ſtatim ac eos mirabili & potentia & ſapientia creaverat, hanc conceſſiſſe ἐξοχὴν, ut cæteris quibusdam creaturis ad ſui conſervationem uterentur. *Ita* enim divinus ſcriptor Moſes docet, primo ſtatim libri primi capite. v. 26. extat conſilium Creatoris Triunius de homine condendo, dominioque ipſi concedendo. v. vero 27. 28. 29. ſq. conſilii hujus exſecutio traditur. De eo tamen quibusdam dubitandi videtur ratio, an in earundem quęquoque

crea-

creaturarum, quas animalia vocamus, quæque carnem nobis præbent, ſpecies dominium ita fuerit conceſſum, ut iisdem quoque uteretur, an vero poſt diluvium demum uſus hic fuerit permiſſus? Hoc ſi eſſet, dominium iſtud tunc nondum adeo complete, quam quidem per conceſſum poſt diluvium uſum animalium factum eſt, fuiſſet. De conceſſione ergo uſus eſusque carnium poſtdiluviana nullum eſt dubium, cum id ipſum ex Gen. IX. 3. 4. edoceamur; de antediluviana autem, quæ ſtatim poſt creationem facta fuiſſet, quæritur. Sed cum divinæ literæ hic taceant, & nobis nihil definiendum relictum eſt, ad conjecturas enim & incerta veſtigia confugere, operæ pretium non ducimus. Equidem vero ſimilis hæc uſus conceſſio ex eo exiſtit, quod vita antediluvianorum voluptati reſpondet, maxima vero homines voluptatem exercendi occaſione etiam caruiſſent, ſi carnium eſus nondum permiſſus fuiſſet; Lepidum interim nobis videtur, ex inſtrumentis, quibus homo ad comedendum utitur, probare velle, iſtum creaturarum uſum, qui in carnium eſu potiſſimum conſiſtit, naturæ hominum

num potius adverſari, quam convenire; ſic enim, intercedere diſcrimen quoddam inter eorum animalium, ut luporum, leonum &c. dentes, quæ carnibus veſcuntur, cum anteriores ſint oblongi, acuti, & a ſe mutuo disjuncti, & cæterorum, quæ herbis paſcuntur, quæque breves, junctos, extenſosque dentes habent, hoc perinde eſt; non enim ſtatim ex eo inferri poteſt, homini propter dentes breviores, junctosque, nullum concedendum esſe uſum carnium? Comprobat enim experientia, neque ex horum etiam animalium numero quædam adeo ad carnium eſum inepta esſe, neque minus hominem ipſum, qui carnes nunc ita parare edoctus eſt, ut plane nulla eas edendi difficultas remaneat. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

V.

Revertimur ad ſcopum, diſquiſituri nunc, *num hæc creaturis utendi facultas* DOMINIUM RECTE VOCETUR. Movet hanc quæſtionem Vir ſummus atque incomparabilis, SAMUEL PUFFENDORFFIUS in præclaro de J. N. & G. opere, præprimis L. IV. c. IV. §. III. p. m. 531. Enimvero facile expediri poteſt totum ne-

gotium,

gotium, quod ex vocabulorum tantum ambiguitate oritur. Res confecta eſt, ſi dominii modo notionem curatius evolvamus. Strictiori equidem ſenſu, quo & proprietatem particularem & communionem poſitivam, quæ cum excluſione aliorum conjuncta eſt, ad dominium PUFFENDORFFIUS requirit; id ipſum ceſſat, non tamen generalis deerat proprietas, qua ſpecialis hæc innititur, & poſito hoc rite fundamento, non eſt, cur dubitemus, quin conceſſum hunc creaturarum uſum Dominium nuncupemus. Videantur interim, quæ venerandi nominis Theologus, D. I. FR. BUDDEUS in *Inſtit. Th. Mor. P. II. c. III. Sect. V. §. XIV.* in *notis p. m.* 724. & ipſe, & ex I. G. KULPISIO, J. BARBEYRACIO, & G. G. TITIO affert. Properamus ergo ad tertium momentum, quo infauſta Socinianorum gens in *dominio rerum* τὸ FORMALE IMAGINIS DIVINÆ *quærit*, ſed irrito admodum ſucceſſu. Magnam felicitatis humanæ partem in conceſſo hominibus, qui eundem cum cœteris Creaturis Creatorem agnoſcunt, creaturarum uſu repoſitum eſſe, nemo eſt, qui negat; at enim

vero non acquiſcendum plane eſt in ipſo, cum majora felicitatis momenta nobis ſummum Numen conceſſerit. Uſus enim creaturarum corpus tantummodo, ejusque conſervationem reſpicit, mens vero ejusque felicitas corporis felicitatem non modo longe ſuperat, ſed mirum in modum etiam fœcundat & auget. Et ad hanc normam juſtum & huic rei pretium ſtatuendum eſt, agnoſcenda animoque erga ſummum Creatorem grato deprædicanda hominum ἐξοχὴ, quam in Creaturarum Dominio & uſu conſpicimus, non vero ut pars primarie & conſtitutiva imaginis divinæ, ſed ut appendix, ſua laude dignum: & hoc etiam ipſiſſima Scripturæ Sacræ litera comprobat. Adduximus conſilium de homina creando ex Gen. I, 26. §. IV. in vero ibi conſulitur, ut homo a) *ad imaginem Dei* b) deinde *ad exercendum creaturarum dominium* condendus dicatur. Præcedit imago divina, ſequitur vero imaginique adjungitur dominium creaturarum, ex quo vero nunc uno ictu totum Socinianorum Syſtema de imagine Dei, quod per integrum Theologiæ campum ſuos ſpargit radios,

dios, remittimus inſuper lectorem ad *τȣ κείνȣ* D. J. A. SCHERZERI, *Collegium Anti-Socin. Diſſ. XXIIX. p. m. 274. ſq.* & recentiſſimi contra Socinianos ſcriptoris, celeberrimi nominis Theologi Berolinenſis P. S. PAPII im nöthigen Unterricht der Luth. wahren und Socin. falſchen Lehre, p. m. 168. ſq. add. BECHMANNI *Theol. Polem. L. IV. p. m. 311. ſq.* Devenimus ad Quartum argumentum, INDOLEM *nimirum hujus dominii*, quod longe præclarior ipſa extiterit, quam noſtra & miſera quidem poſt lapſum ætate eſt. Neque deſtituti ſumus jam hoc dominio, eſt tamen, ſi verum fateri velimus, nunc ex parte magis *dominium violentum & tyrannicum*, quo animalia quædam non tantum vi demum uſibus noſtris cedunt, ſed mortales quoque quam maxime iisdem ſubinde abutuntur, conf. BUDDEI *Theol. Mor. P. II. c. II. ad §. LVI. p. m. 577.* adde, quod & dominium nonniſi *certis limitibus circumſcriptum* ſit; terram enim inhabitamus, quæ adhuc Verborum divinorum Gen. 3, 17. ſq. vim experitur; fuiſſet vero e contrario *in Innocentiæ ſtatu dominium plane voluntarium*, quo quidem ani-

malia pro nutu noſtro ad uſum noſtrum parata fuiſſent, & a nobis, incolis ſimul terræ, non maledictæ, ſed benedictæ, abuſus eorundem omnis qvam longiſſime abfuiſſet. Et hæc de creaturarum dominio, cui uſus earum innititur, ſufficiant.

§. VI.

Ex hoc ergo dominio mortales creaturis utuntur; dominium enim infert uſum rerum, dominio ſubjectarum, quam vero indolem, quosque limites ſimul uſus hic agnoſcat, nunc perquiremus. Modos a finibus confici, & ab his illos ſuas nanciſci perfectiones, notum eſt, quoties enim cunque, ut unico rem exemplo illuſtrem ad bella prolabimur, juſtene an injuſte gerantur, & an hoc vel illud in bello licitum ſit, quærimus, in memoriam ſimul revocamus regulam: *tantum in bello licet, quantum Finis belli requirit.* Sic modus bellum gerendi, indolesque belli a fine arceſſendus eſt: proinde ergo & hoc loco inquiſitio finis palmarium circa indolem uſus creaturarum momentum efficit, a fine enim eo feliciori curſu ad modum, indolem, limitesque pedem proferemus. Finis

nis vero hic nonniſi *in fine dominii creaturarum* quærendus eſt. Uſus enim creaturarum non alium finem agnoſcit, quam Dominium rerum. Iſtum vero finem divinus Vates Moſes, quem bina vice jam adduximus, Gen. I, in fine v. 29. refert: claudit enim ibi Creator ſummus ſermonem de condito homine, & de conceſſo inprimis dominio dicens: factum hoc eſſe לאכלה, exinde vero ſole meridiano clarius finis dominii creaturarum eluceſcit. Conceſſit Deus homini dominium, ſed *non* ita, *ut* creaturis *tantum imperaret*, verum *cibum ſuum exinde caperet*, qua de re prono nunc alveo fluit, finem Dominii rerum creatarum eſſe *conſervationem hominum*, & hunc, quem dominium rerum agnoſcit finem, agnoſcit quoque uſus creaturarum, rerum dominio nixus, par enim utriusque ratio eſt, & ſic finis uſus creaturarum eſt *conſervatio noſtri*. A fine vero hoc ad indolem limitesque nunc tranſituri obſervamus, rem totam unica quidem regula, & quidem ad iſtius, quam de bello adduximus, analogiam formata, expediri nunc poſſe, & hæc qvidem hujus eſt tenoris: *Tantum creaturis uti licet, quantum finis hu-*

jus uſus, qvi eſt conſervatio noſtri, reqvirit. Eſt regula hæc momentum generale, ſuos reqvirens limites, ſuo loco addendos.

§. VII.

Uſus creaturarum ad hominis conſervationem neceſſario ſupponit eandem creaturarum conditionem, qvæ finem hunc re etiam vera promovere poteſt, & hæc qvidem conditio qværenda eſt, *in creaturarum bonitate.* Pulcherrimi iterum argumenti materia, Bonitas creaturarum ſe offert, qvam pauciſſimis ordinis gratia tangemus. Deum T. O. M. Summum eſſe bonum & ſana docet ratio, & divinæ comprobant literæ, videantur, qvæ præ cæteris ad rationis & S. Scripturæ ductum hac de re tradit venerabilis Theologus, J. F. BUDDEUS in *Inſtit. Theol. Mor. P. I. c. I. Sect. IV. ad §. LXXXV. p. 182. ſq.* Deus ergo pro ſumma ſua bonitate nonniſi bonum per creationem producere poterat. An *per productionem* extiterint creaturæ, an vero *per emanationem ex eſſentia divina* magno hactenus diſſenſu diſceptatum eſt, inprimis ex qvo JACOBUS BOEHMIUS tot fautores defenſoresque nactus eſt; ſed utrumque

nobis

nobis imperveſtigabile videtur, cum mens humana neque hoc neque illud clare capiat, S. Scriptura interim prius invictiſſimis argumentis adſtruente, poſterius vero, quo tam facilis ad infauſtum Spinoziſmum aditus patet, rejicente. Per creationem itaque creaturas nonniſi bonas productas eſſe confirmat Deus ipſe divino ſuo eoque infallibili teſtimonio, quod Moſes adfert Gen. I, 10. 12. 18. 21. 25. confirmat id ipſum & natura rei, ac inductio creaturarum omnium, qvas qvidem Moſes cap. I. in creationis theatro producit, ut qvidem ita ſint bonæ, ut & eſſentiam ſibi debitam, & qvalitales ac perfectiones ſuæ naturæ conſentaneas habuerint, ſed noſtri nunc non eſt, hiſce diutius immorari, eundum enim eſſet per exempla h. e. claſſes creaturarum, & hoc ſpatium ingreſſuris longum nimis iter proſtaret, antequam ſtadium hoc emetiri poſſemus. Ne vero ἀσυμβόλως ſecedamus, ita exiſtimamus: de creaturarum iſtarum bonitate, quæ uſibus noſtris quam maxime cedunt, dubium eſt nullum, ſed alia hujus rei facies ſuboritur, quando quasdam creaturas homini non modo inutiles, ſed prima etiam

iam fronte noxias, ad quas natura hominum non minimum contrahit horrorem, conſpicimus. Ad qualitates Ariſtotelicorum occultas non confugimus, ſed rotunde pronunciamus: a) *creaturas abſolute* conſideratas *bonas eſſe omnes*, bonitateqve abſoluta gaudere. Quod enim nobis prima fronte primoque intuitu inutile, noxium, & horribile videtur, id quidem abſolute tale non eſt, ſed certo demum reſpectu, ad circumſtantiarum modum formato. Trahamus in exemplum *venenum*, hoc enim quam maxime noxium, bonitate carere omni & nonniſi interitum minari videtur, verum id ipſum ex certa demum relatione & reſpectu oriri, tam certum eſt, qvam qvod certiſſimum, qvod enim huic adeo vehementer nocet, hoc illi qvam maxime prodeſt, de quo medicorum filii plura tradunt; Sic & *Sputum* angvibus nonniſi veneni, qvibusdam vero medicamenti inſtar eſt. Creaturæ ergo qvædam aliqvalem bonitatis ſpeciem amittunt, ſed hoc certo tantummodo reſpectu b) Reſpectus vero hic *a lapſu* generis humani *terraque propter lapſum maledicta arceſſendus eſt*. Sed hac ratione

tione dilabimur ad novum graviſſimi argumenti momentum, quod de *origine mali* & quidem *phyſici* agit; verum in hunc campum jam non deſcendimus, lectores ablegaturi ad Triumviros celeberrimos G. G. LEIBNIZIUM, GVIL. KINGIUM, & J. F. BUDDEUM, quorum in hanc materiam lucubrationes proſtant. De creaturarum bonitate vero plura qui cupit, adeat decus illud gentis Anglicanæ GVIL. SALDENUM in *Otiis Theol. L. II. Exercit. IV. p. m. 303. ſq.* qui non ſolum totam hanc materiam accurate evolvit, verum etiam omiſſum ſecundi creationis diei teſtimonium bonitatis divinum ſolide pro more ſuo vindicat.

§. VIII.

Sic Vſus creaturarum *ex bonitate*, qua creaturas beavit Creator bonus, potiſſimum capit præſidium. Ut vero nunc pateſcat, in quo uſus ille conſiſtat, revocamus ante omnia regulam, quæ §. ſextum claudebat; *tantum creaturis uti licet, quantum finis*, qvi eſt, *conſervatio noſtri*, *requirit*. Palmarium ergo momentum uſus creaturarum in conſervatione noſtri ſitum eſt, qvam ſi ac-

curatius evolverimus, rem facili negotio expediemus. Conſervatio vero noſtri per uſum creaturarum obtinendus hoc loco, *corpus*, quod primo loco obſervamus, reſpicit, præſuppoſita *conſervatione mentis* per reſtaurationem imaginis divinæ ad Vitam æternam, per artium ſcientiarumque notitiam ad vitam præſentem civilem, ſola tantummodo corporis, quod diximus, conſervatione hic in cenſum veniente: corporis vero conſervationem homini incumbere æqve ac neceſſariam eſſe, non eſt, ut probemus: ſana enim ratio & peculiarior S. Scripturæ revelatio unumqvemqve hac de re condocent, adde qvod ipſa hæc corporis conſervatio, prout naturalis etiam eſt, non parum in illam, qua ad æterna tendimus, vitam Spiritualem influat, qvod tamen certo tantum reſpectu intelligendum eſſe, qvivis facile, me etiam non monente, intelligit. *Vita enim naturalis eſt fundamentum omnium bonorum temporalium, & æternorum occaſio* [illegible] uitur ſummi Nominis Vir, HU[illegible], *de J. B. & P. L. II. c.* X[illegible]. 276. Ed. *Amſtel.* 1632. St[illegible]iam, *malum omne in corpore,*

pore, tanquam *animæ ergaſtulo*, *quærendum*, atque ideo ejus conſervationem ſusqve deque habendam, alii jam profligarunt. Per conſervationem autem noſtram intelligimus *ſuſtentationem exiſtentiæ noſtræ quoad corpus*, quæ creaturarum uſu pro ſummi Creatoris benefica voluntate promovetur. Noſtri vero tantummodo Conſervationem hic indigitamus, cum alias ex præſcripto amoris, & mandato Numinis, aliorum qvoqve conſervatio a nobis per uſum creaturarum quærenda ſit. Sed hoc momentum hac vice non tangimus, acquieturi in conſervatione noſtri. Noſtri autem conſervatio, quæ corpus reſpicit, vel ipſius *alimentum*, vel *tegumentum* concernit, & hac ratione corpus & interne & externe creaturarum uſu conſervatur. Ad priorem, conſervationem nempe *interiorem*, *pertinet cibus & potus*: ad *exteriorem vero veſtis*, totusque veſtiendi habitus, & ſic duplex nunc creaturarum uſus exſurgit, alter, qvo creaturis ad edendum bibendumqve, alter vero, qvo iisdem ad veſtiendum utimur, qvi vero uſus creaturarum duplex ſuos iterum modos certosque nanciſcitur reſpectus, qvando conſide-

ſideramus hominem quoad *vitam*, quam in hoc mundo vivit, *triplicem*: vivit enim homo *vitam naturalem*, & ſic indiget uſu creaturarum, quantum inſtinctus poſcit naturalis, vivit *vitam civilem*, & ita creaturis utitur pro ratione ſtatus ſui, vivit denique *vitam ſpiritualem*, quæ priores vitæ ſpecies dirigit, & hic tandem creaturarum uſui eatenus indulget, qvatenus peculiaris S. Scripturæ revelatio illum permittit. Ad hunc ergo ductum materia hæc ſolide tractari poteſt; faciemus hoc, qvantum anguſtiæ chartæ permittit, limites enim jam tranſilivimus.

§. IX.

Occupat primum locum & quidem merito *vita naturalis*, requirens uſum creaturarum & interiorem & exteriorem. Ipſo *naturæ inſtinctu* hominem ad capiendum cibum potumque, nec minus corpus tegendum ferri, non eſt, ut probemus, cum probatione non indigeat, ergo huic momento non immoramur. Digredimur potius ad illud, quo obſervamus, inſtinctum hunc naturalem, ſicubi rem accuratius comprehendere velimus, conſiderandum hoc loco

eſſe,

eſſe, prout in ſe eſt, extra ſuam proclivitatem deviandi, atqve creaturis abutendi, & tunc demum aureus iterum ſe offert canon diæteticus: *Natura paucis contenta.* Ad hujus canonis ductum totum argumentum de uſu creaturarum, quousque vita & inſtinctus naturalis eum ad noſtri conſervationem poſtulat, abſolvendum eſſet, & abſolvi facile etiam poſſet; enim vero, ita partim actum ageremus, partim falcem in alienam meſſem immitteremus, partim etiam opus aggrederemur, quod noſtras longe ſuperat vires. Actum enim de hac materia ab aliis alibi, præſertim a medicorum filiis, quibus relictum eſt, præſcribere leges de tuenda conſervatione noſtri, eaque inprimis, qvam vita poſtulat naturalis. Neqve nobis datum eſt, hanc materiam ſolide excutere, qvi animum ad ſtudia diviniora applicuimus. Commendamus interim lectori elegantiſſimum diſcurſum, von dem rechten Gebrauch des Leibes, und Bewahrung der Geſundheit, qvem Celeberrimus Vir D. C. F. RICHTER, operi ſuo, von der Erkäntniß des Menſchen, ſonderlich nach dem Leibe und natürlichen Leben, præmiſit,

ſit, dignus eſt diſcurſus, qui ſtudioſe a multis legatur, & ſollicitius expendatur. Nec non in opere ipſo P.I.c. XXI.p.484. von der Diæt. Sed locuti nunc ſumus de uſu creaturarum, qvi interioribus corporis partibus cedit, nec prætermittendus *exterior*, verum hic eodem nititur canone, naturæ enim instinctus veſtes usqve amplius non reqvirit, qvam *ad ſolum corporis tegumentum*, & hac ratione iterum Natura paucis etiam ad hanc ſui conſervationem contenta eſt. Plura non addo. Ex his ergo præmiſſis innumeræ fluunt ſeqvelæ, qvæ ubiqve maxima faciunt momenta, ſed ut eas nunc in ſcenam producamus, inſtituti ratio fere prohibet, faciemus tamen periculum, & quarundam tantum mentionem injiciemus. Ergo ſequitur a) naturam qvidem paucis contentam eſſe, ſed addendum eſſe ſimul, quænam naturæ indoles, ſtatusqve intelligatur: non enim perinde eſt, qvamnam naturam ſeu inſtinctum naturalem putemus, ſane inſtinctus iſte naturalis, quem homo poſt lapſum ad capiendum cibum potumque habet, *hic* non ſolus in cenſum venit, is enim longiſſime a centro ſuo aberrat; huic enim ſi re-

lictus ſemper vivit homo, etiam in ſtatum brutis deteriorem degenerare poteſt, & tamen ad inſtinctum tantum naturæ vivit, cujus rei documentum & vita improborum hominum, qvi in ſtatu ſecuritatis vivunt, vitamque degunt beluinam, præbet, addatur etiam exemplum admiratione dignum, quod exhibet eruditiſſimus BERNH. CONNOR. in *Evang. Medici p.m. 133. ſq.* de puero qvodam, qvem *Varſaviæ 1694.* vidit. Sequitur b) verum naturæ inſtinctum pauca reqvirere, qvoniam paucis contentus eſt, ſolam enim conſervationem qværit, reſtinguendæ ſiti famiqve, corporiqve tegendo unice tantum intentus. Qvod qvando habet, plura non deſiderat. Seqvitur c) qvo ſimplicior eſt creaturarum uſus, eo ad conſervationem aptior eſt. Omnem reſpuit artem verus naturæ inſtinctus, ſimplicitatem amans, id qvod univerſali etiam medicorum conſenſu comprobatum eſt, confelatur inſuper locus qvoad materiam hanc apud Venerabilem Theologum D. P. J. SPENERUM, in Lebens-Pflichten, *P. I. p.m. 31. ſq.* Sequitur d) naturam ipſam, & prout ejus inſtinctus in ſe conſideratur, non

adeo

adeo abhorrere ab hoc vel illo ciborum genere, qvam vulgo dicitur, verum hoc potius ex conſvetudine aliisqve cauſis provenire. Devolvimur hoc poriſmate ad novum materiarum campum, qvi *Abſtemios* in theatrum producit. De his ergo & quidem ex diſciplina Pythagoricorum, Platonicorum, Rechabitarum, Nazaræorum, Phariſæorum, Pontificiorum, a certis creaturarum generibus abſtinentium, nunc agendum eſſet, ſed qvam multum & temporis & chartæ hoc reqvireret. Seqvitur e) cum & *ipſa* natura poſt lapſum tegumentum appetat, ſeqvitur inſtinctui repugnare naturali, nude ſine veſtimentis incedere ſub prætextu perfectiſſimæ ſanctitatis, ac ſi affectus inordinati omnes in hac vita *eradicari poſſent*, qvod contra Hæreticos Veteres *Adamiticos*, *Adr. Beverlandum*, & factum ſingulare, ſi dictis fides habenda eſt, *Jo. de la Badie*, (confer tamen Theologi Celeb. ENGELSCHALII, *Præjudicia Seculi moderni* p. m. 655. ſq.) obſervandum eſt.

§. X.

A *Vita naturali* progredimur *ad civilem*, naturalem ſub ſe comprehendentem; pro

præ-

præſentis enim vitæ ratione non aliter quis vivit, niſi in hoc vel illo ſtatu. De ſtatibus & iis, quæ ad eorum conſiderationem pertinent, legantur Summi Viri, SAM. PUFFENDORFFIUS *de J. N. & G. L. l. c. I. §. VII. ſq. p. 6. ſq.* J. F. BUDDEUS *in Elem. Philoſ. Pract. P. II. c. IV. Sect. X. §. I. II.* In ſtatibus & vita civili ergo homo ad ſui conſervationem creaturis utitur, nam ſtatus vitam naturalem ſupponunt, ſed & uſus & conſervatio ſortitur nunc reſpectum paulo alium, quem duobus comprehendemus momentis: a) *in ſtatu naturali* conſtituti poſſunt omnibus in medio poſitis uti, frui, omniaque adhibere & agere, quæ ad conſervationem ſui faciunt, in quantum aliorum jus inde non læditur, prout loquitur PUFFENDORFFIUS *L. III. c. II. §. III. p. m. 158. l. c.* ſed *in ſtatu civili* non item: omnia enim hic ſuo ordine ſunt diſpoſita, ſuis limitibus circumſcripta, quare plures etiam creaturas, quarum uſum Deus alias ipſi libere conceſſit, aliis relinquere cogitur homo, v. g. huc pertinet, das Verboth vom Jagen, Fiſchen, &c. b) vita civilis tamen nihilominus longe majorem creatura-

rum copiam requirit, quam ſola naturalis. Diverſitas enim ſtatuum, ſuperioris & inferioris, vita civili fundatur, & ex hac diverſitate uſus etiam creaturarum tunc metiendus eſt; in ſtatu autem civili homo ſolitarie conſideratus pro rationis ductu vivit, & ad hunc ductum tantum creaturis utitur, quantum ſtatus iſte, in quo ille vivit, requirit: Quod autem in vita civili licitum eſt ſtatui ſuperiori, id minime inferiori, plura enim ſuperior, quam inferior requirit. Status vero ſuperioris uſus non adeo arctis includendus eſt limitibus, ſed concedendus quoque pro ratione circumſtantiarum Splendor aliquis majeſtasque, uſu creaturarum parata. Reſpiciendum tamen rationis etiam ductu hic ubique & ad finem ſtatus, & ad vires, quibus uſus creaturarum comparatur, utendum enim eſt creaturis ad conſervationem, non vero deſtructionem, & interitum. Peccat ergo, qui creaturis utitur, in quocunque demum ſtatu vivat, ad Voluptatem, Avaritiam, & ambitionem. Sed ſtudio hic abrumpo, totam materiam de cibis delicatioribus, veſtimentis pretioſis, domiciliis ſplendidis, de quibus ad indolem

lem ſtatus civilis nunc agendum eſſet, in medio relicturus.

§. XI.

Succedit denique *vita ſpiritualis*, & naturali & civili ſuos demum fines, ſuosque modos legitimos aſſignans. Vita vero Spiritualis neque naturalem, neque civilem commodis ſuis privat, verum utrique & commoda & jura ſua relinquit, interim tamen norma iſtorum commodorum & jurium exiſtit. Hinc iſte demum creaturis rite utitur, qui iisdem in ſtatu naturali & civili ad hujus vitæ normam utitur, & ad hanc normam ex utroque ſtatu ceu ad ſacram anchoram confugiendum eſt. Vitam autem ſpiritualem format perficitque revelatio peculiarior per S. Scripturas facta, uſum vero creaturarum in vita Spirituali locus claſſicus præ cæteris docet *1. Tim. 4, 4.* ad cujus ſenſum tota materia *de uſu creaturarum in vita Spirituali* hominum evolvenda eſſet, & quamnam libertatem hæc vita uſui creaturarum vel concedat, vel deneget; deinde deſcendendum eſſet in doctrinam de *Adiaphoris* & rebus indifferentibus, quæ noſtra [illegible]tas peperit controverſias, ſed pro-

lixitate coacti filum abrumpimus, addito tantum hoc epiphonemate: *Utendum creaturis ſemper in timore Dei!* Hic Rhodus! hic ſalta!

§. XII.

Ergo hic terminus nunc eſto! Plura quidem adhuc reſtant, ſed manum data opera de tabula trahimus. Pateſcit vero nunc ex meditatione hac, quam fœcunda multarum materiarum, quæ ſua ſe & dignitate & jucunditate commendant, mater exiſtat *Verus creaturarum uſus.* Vale interim Lector in Domino!

Obſer-



Furnus commodiſſimus, nov
n. X. p.213. ſeqq.

Obſervatio CCXIII.

JOH. GOTTOFREDI BÜCHNERI,

qua exhibetur

Furnus, fumo non moleſtus, brevique tempore & pauciſſimis ſumtibus magnum conclave calefaciens.

Vide Frontiſpicium hujus Tomi X.

Σύνοψις.

§. I. *E ſupina hominum negligentia lignorum oritur defectus.*

§. II. *Huic detrimento obviam itur per carbonum & ceſpitum bituminoſorum uſum, ac ſylvarum quoque exactiorem culturam.*

§. III. *Ut & ſingulari ratione conſtructas quasdam fornaces.*

§. IV. *Harum novum quoddam communicatur genus.*

§. V. VI. *Ejus exponuntur ſtructuræ leges.*

§. VII. VIII. IX. *Itemque Phænomena.*

 §. X.

§. X. XI. *Ad horum cauſas reddendas quædam traduntur ſuppoſita.*

§. XII. XIII. XIV. XV. XVI. *Juxtaque ea reſolutio inſtituitur.*

§. I.

EA plurimorum hominum perverſa omnino eſt indoles, ut rebus non provide ſatis plerumque utantur externis, nec debita ſemper earum tangantur cura. Hinc tot *de lignorum* etiam *defectu* inter nos jam percipiuntur querelæ, quibus maxima ex parte ſupina quorundam in parcendis iis negligentia, aut in conſervandis rite haud minor imprudentia anſam præbere ſolent. Sunt vero non ſpernenda quoque a multis in medium prolata conſilia, quibus haud difficulter metuendo iſti obviam ire conati ſunt detrimento.

§. II.

Spectat huc inprimis *carbonum*, ut & *ceſpitum bituminoſorum* paucos ante annos noviter *in Miſnia* quoque detectus *uſus* a) qui ſane in metallis liquefaciendis eſt egregius; nec non *Sylvarum exactior* etiam *cultura*, maxime pariter neceſſaria, quam ſatione

ne & plantatione, ut in hortis adhibere non ſine ratione Illuſtris & generoſiſſimus ſvaſit JOH. CAROLUS DE CARLOWITZ, in ſuo *de Sylvicultura Oeconomica* nuper edito libro (b.)

(a) In Anglia & Hollandia imprimis iſtum obtinere morem, teſtis eſt D. BECHER, *Stult. Sapiem. p. 91.* Ac Leodii quidem carbones bitumin oſi ab Inventore *Proud bomme le* HOUILLOUX etiam *Du houille* ſortiti ſunt nomen, poſtquam is a Spectro quodam hac de re edoctus erat. Vid. MISSONII *Itinerarium Ital. p. 1203.*

(b) Prodiit illa *Lipſiæ, A. 1713. fol.* Vid. *Acta Erud. Lipſ. A. 1713. p. 145.* Appendicis loco exacta ceſpitum bituminoſorum traditur deſcriptio, quorum in carbones converſorum Autor A. 1708. noſtris in terris primus docuit uſum.

§. III.

Haud vana quoque eorum hac in re hactenus fuit induſtria, qui *novas conſtruendi fornaces*, quibus lignis magno parcere poſſimus compendio, quasdam ſuppeditarunt monitiones. (c) Cujusmodi deprehenduntur nonnullæ in Libello, cui titulus: Holtzſpar-Kunſt/ (d) ut & in aliis ſimilis

argumenti a GEERIT ROSENIO, DYONISIO PAPINO, PETRO MORMIO, LAURENTIO MARIA PAGLIARINO, KUNCKELIO, SCHMIDTIO, pluribusque (e) adhuc editis. (f)

(c) Exhibet ejusmodi Scriptores doctiſſimus GEORGIUS PASCHIUS, in *Tr. de Inventis Nov-antiquis. Cap. VII, §. XLVIII. p. 711. ſeqq.*

(d) Contenta hujus libri vide apud BECHERUM in *ſtulta Sapientia, p. 127.* quibus ipſe tandem ſubjungit: Hier in Londen iſt eine Bade-Stube auf Türckiſche Art, aber die Invention mit ſo wenig Feuer ein ſo groſſes Spatium zu wärmen, hat ein Engelländer, Namens, THOMAS MUDDIFFOORT aus Jamaica gebracht. Der berühmte Glocken-Gieſſer in Amſterdam, FRANCOIS HEMONE, erzehlt mir, daß ſie in den Metallſchmeltzen, ſo zu Glocken, als Stücken, das Feuer ſo weit erſparet haben, daß ſie mit 1. Pfund hart Holtz, 15. Pfund Brand ſo ſchmeltzen können. Und ſouteniret GLAUBER, daß er mit 1. Pfund Kohlen, 10. Pfund Olei Vitrioli diſtilliren will, welches mir zwar nicht bekandt; dieſes aber will ich auf mir nehmen, mit 1. Pf. Kohlen, 1. Pfund ſtarckes Aquafort zu brennen.

(e) Pro-

(e) Prodiit *Halæ A.* 1709. ſcriptum, ſub titulo: Die genädige Vorſorge GOttes im Holtz-Mangel, welche ſich vor wenig Jahren in Entdeckung derer Stein-Kohlen, anjetzo aber in Offenbahrung einer neuen und beſondern Invention erwieſen, vermittelſt welcher die halbe Feuerung beym Stubenheitzen kan erſparet werden, ſo auf erhaltenes genädigſtes Privilegium der Inventor zu entdecken ſich erbietet. Add. *Monſr. G. - - La Mechanique du feu; Amſterd.* 1714. 8.

(f) Sollicite ſtructuram quorundam hujusmodi furnorum expoſuit LEONH. CHRIST. STURM, in Tr. von den rechten Gebrauch der Goldmanniſchen Anweiſung zu der Bau-Kunſt, *p. 46. ſeqq.* Add. *PEGELIUS in Theſauro, p.* 118.

§. IV.

Libet jam novum iis adhuc addere genus. Cum enim plurima modo recenſita inventa nimis ſint pretioſa, nec haud exiguos depoſcant ſumtus, parteſque eorum maxime interdum ſint compoſitæ, ut adeo difficilis exinde eorum evadat ſtructura; ingratum Lectori futurum non ſpero, ſi non modo ſimplicem, ſed & vili admodum pretio facilique negotio parandam ipſi jam communi-

municavero machinam, cujus inſignis pariter utilitas & commoditas ex dicendis poſtea clare ſatis patebit. (g)

(g) Diſſimulare haud cupio, recenſita ſuperius huic rei anſam mihi dediſſe inventa, ad quorum formam hicce, ad parſimoniam ligni pertinens, compoſitus eſt furnus. Imprimis vero Principem *EUGENIUM*, Viennæ Auſtriæ ſimilem fere e metallo fuſam aſſervare fornaculam, ex ore *Illuſtriſſimi Domini Comitis* DE *SOLMS*, *HENRICI GUILIELMI*, nuper accepi, cujus inſignem quoque hac in arte peritiam prædicare ſatis non poſſum, quippe & locupletiſſimis acceſſionibus hocce ditare inventum, ipſemet non dedignatus eſt.

§. V.

Ad ſtructuræ ergo quod concernit leges, illa, in *Frontiſpicio bujus Tomi X.* conſpicienda, e duabus primariis conſtat partibus, *ignis* nempe & *fumi receptaculis*, *DC.* & FZ. e *tabulis argillaceis* paratis, & *bracteæ cuidam ferreæ* DE *incumbentibus*. Inſervit autem igni commodius alendo *craticula* num. 4. e filis ferreis compoſita, *arculaque* DC. imponenda, quorſum & alia num 3. deſignata ſpectant *inſtrumenta*, quibus ligna

indi

indi vel eximi, ac etiam coacervari facile poſſunt. Tegitur inſuper arcula DC. *lamina ferrea* ex num. 2. *foramine* ab inſtructa, *operculoque* adhuc munita, ne flamma ignis altius aſſurgat, quæque æſtivo quoque tempore inſertis, ſi libet, *exornari* poteſt *floribus*.

§. VI.

Præterea circa *fumi* quoque *exitum*, Ox applicata *mobilis* quædam *eſt valvula* P. num. 5. liberius conſpicienda, quo ſcilicet *canalis* Ox *claudi & aperiri* iterum poſſit, & ſic aëris calefacti extincto igne prohibeatur tranſitus. Cavendum autem ſedulò erit, ne, dum parietem prædictus pertranſit canalis, lignum adſit in proximo, quod ex calore flammam concipere ſit aptum, & hac ratione exitiali incendio facilem præbeat occaſionem, id quod nobis etiam non caute ſatis initio id advertentibus fere accidiſſet. Cæterum exactiorem adhuc iſtarum partium rationem & menſuram e ſequenti cognoſcere licet tabula, utpote quæ juxta *pedem Rhenanum, in 10. ſcrupulos* diviſum, eſt inſtituta.

Men-

Menſuræ Partium.

	0	1				0	1	
AB.	1,	6	= AC.		KK.	5,	5.	= LM.
BD.	2,	2.	= Aa.		GQ.	2,	2.	
AE.	4,	3½.			QX.	—	6.	longit.
CF.	—	3.					4.	latit.
FG.	—	5.			QV.	—	6.	
GH.	—	7.	= TI.		N.	—	8.	latit.
IH.	1,	6.	= KL.			1,	2.	altit.
HK	—	6.	= IL.		ab	—	3.	

§. VII.

Accenſo itaque ſuper *craticulam* num. 4. igne, *tegmineque* ed ſuperimpoſito, *aperto* adhuc
Phæn. I. *manente foramine* ab, a circumſtante ſtatim aëre fortius concitatur flamma, quæ graves interea
Phæn. II. edit ſtrepitus. Fertur autem ſuo ſemper niſu hon niſi verſus plagam FV, fumumque moderato ſecum arripiens impetu, ad ima propter levitatem tendentem, *per canalem*
Phæn. III. Ox tandem protrudit. Quocirca ingens exinde reſultat paradoxon, *flammam nempe ibi deſcendere*, cum

cum tamen alias ordinarie aſcendat, cujus rei experimentum charta vel ramento quodam incenſo capi facile poteſt.

§. VIII.

Id tamen negari non poteſt, *Phæn. IV.* fumi nonnihil, janua vel feneſtra exiſtente aperta, per foramen *ab* *Phæn. V.* conclave intrare, itemque, ſi ligna non probe fuerint exſiccata qui- *Phæn. VI.* dem evenire, qui vero priſtinum ſtatim repetit ſpatium, dum prædicta iterum clauduntur loca; *Phæn. VII.* quemadmodum & id quoque circa *Herbæ Nicotianæ ſuctionem* notatu conſpicere licet dignum, *omnem ſubito abſumi fumum*, perque modo dictam citius aufugere aperturam, nullo penitus ingrato poſt ſe relicto odore, quod idem cum aëre quoque eveniret tepefacto, niſi *ob valvulæ impedimentum* remeare idem cogeretur.

§. IX.

Tandem citius omnino ignis *Phæn. VIII.* abſumitur flamma, quam in ordi-

nariis

nariis id accidere ſolet furnis; quocirca *per breve admodum temporis*
Phæn. IX. *intervallum magnum incaleſcere po-*
Phæn. X. *teſt conclave*, idque *pauciſſimis etiam obtinetur ſumtibus*, ſiquidem per totam nunc præteritam hiemem commode *duabus* ſaltem opus erat *orgyis* (Germanice Klafftern) cum alias vix quinque vel ſex ob ventorum, quibus conclave undique expoſitum eſt, injurias, ſuffecerint. (h)

(h.) Conſtat itaque luculenter, *hanc fornacem* iis non laborare incommodis, quibus pleraſque inter Germanos uſitatas premi, EUPHORMIO LUSININUS *P. IV. Satyr. Cap. V. p. m. 450.* Autor eſt, hiſce utens verbis: *Fornaculas ad levamen frigoris malunt; quas intextas tricliniorum parietibus pro conditione aëris ignibus complent; ſed hic calor plerisque advenarum moleſtus eſt, quod & capita in expertis vaporibus gravet, & illinc in publicum prodeuntibus, laxum corpus atque omnis auræ impatiens, exhorreat. Præterea, ſi remittere ignis incepit, hoc genus hypocauſta ingratis odoribus ſpirant, ea maxime, in quibus convivantur, ubi expreſſa conſumſaque tot dapium nebula exaſtuant.*

§. X.

§. X.

Ad horum autem phænomenorum cauſas declarandas, ſupponenda exiſtimo ſequentia, aliunde jam cognita ſatis atque evicta:

Primo: Aërem corpus eſſe maxime *fluidum ac tenue*, globo noſtro ubivis incumbens terraqueo, quodque adeo in loca a firmioribus aliis corporibus vacua ſeſe recipere perquam eſt pronum, niſi alia idem impediatur ratione, ex quo ſimul *gravitas* ejus, *dum deſcendit*, concludi facile poteſt. (i) *Hypoth. I.*

Secundo: Eundem quoque caloris ope inſigniter poſſe *extendi*, inque *majus cogi ſpatium*, vel ex eo liquido conſtat, quo *veſica aëre inflata, ac penes fornacem calidam poſita, mire intumeſcat*, ac nonnunquam *magno cum diſſiliat fragore*, & ſic valde ejus adaugeatur *vis elaſtica*; ſiquidem partes ejus ſigillatim multo ſunt leviores, *Hypoth. II.*

quam

quam partes alius corporis, adeoque ignis ope extendi facile poſſunt. (k)

Hypoth. III. *Tertio*: Econtrario frigore pariter accedente, ad arctius *coarctari* ſpatium, inque priſtinum ſeſe reſtituere locum, ex aliis non minus liquet phænomenis. (l)

Hypoth. IV. *Quarto*: Hinc poſito ſemel *aëris pondere ac elaſticitate*, mira ejus inde fluit *preſſio*, qua ſibi ſuccumbentia valide urget corpora.

(i) Vide, quæ ſupra *Tom. VIII. Miſcellan. Lipſ. in Obſ. de Poculis illuſoriis* jam tum de aëris monita ſunt gravitate.

(k) Peculiari doctiſſimus AMENTON tentavit Machina, quousque aër a calore expandi poſſit, cujus hac in re inſtituta quædam recenſet experimenta, Magnif. D. HERM. FRIDR. TEICHMEYER, *Phyſ. Experim. P. II. Cap. II. p. 148.* Idem quoque egit illuſtris ROB. BOYLE. Cumque induſtrius retulerit MERSENNUS, aërem vi caloris adeo dilatari poſſe, ut ſpatium ſeptuagies majus quam antea occuparet, ipſe non immerito ad quantitatem priori ducenties fortaſſe majorem id fieri poſſe

poſſe, hariolatur. Vid. *Nova Experim. Phyſ. Mechan. Experim. IV. V. & VI.*

(l) Ad viceſimam partem loci aërem poſſe comprimi, ex BOYLIO excerpſit DU HAMEL *de corp. affect. lib. I. p. 56.* Inprimis id in Thermometris non ſine voluptate quotidie experiri licet, ubi e liquoris continuo deſcenſu aſcenſuve clare ſatis aëris patet dilatatio & compreſſio. Vid. *Monſr. Dalence Curieux Traite de Mathematique du Barometre, du Thermometre, & Notiometre, Paris 1713. 8.* it. Celeberr. GEORG. ALB. HAMBERGERI *diſſ. de Frigore, Phæn. 144.*

§. XII.

Quinto: Cum ſinguli lucis radii vim habeant calefaciendi, ibi maxima urendi erit vis, ubi plurimi in exiguum magis concurrentes ſpatium conjunguntur concentranturque. (m) *Hypoth. V.*

Sexto: Quo magis ab aëre partes flammæ premuntur, celeriusque commoventur, eo vehementius iſtæ quoque ardent. (n) *Hypoth. VI.*

(m) Evidenter id *in ſpeculis* conſpicitur *cauſticis*, quæ, quod radios fere omnes ad u-

num reflectunt punctum, quod *focum* appellare ſolent, intenſiſſimum propterea excitant calorem, maximumque interdum cient incendium. Vid. JOH. GEORG. LIEBKNECHTI, *Diatribe Academica, de Speculis cauſticis, Cap. II. Phæn. XIV.*

(n) Juxta Phyſicorum quorundam mentem combuſtio vulgaris in celerrimo particularum inflammabilium conſiſtit motu, quo objecta quævis divelluntur atque diſſolvuntur; quare prona inde fluit conſequentia, tanto fortiorem quoque fore calorem, quanto motus iſte fuerit concitatior. Vid. FRANC. TERTIUS DE LANIS, *in Magiſter. Art. & Nat. Tom. III. Lib. XX. p. 202.*

§. XIII.

Inde porro ſequentes formare licet Concluſiones: *Concluſio I.* Cum aëris craſſioris, quo ambimur, particulæ ob laxiorem, quam habent, diſpoſitionem, exiguo admodum ignis multum rareſcant impetu, unde ejus mire augetur elaſticitas; in amplius propterea ſeſe expandunt ſpatium. (*per hypoth. II.*) Cedit ergo vicinus ipſi

Ratio Phæn. II.

adeo

adeo ſaltem non dilatatus aër, perque tubulum *Ox*, tegmine *ef* minori ex parte tantum aperto, ſuum quærit exitum, & fumum inſuper libere in aëre propter levitatem quaſi natantem, haud difficulter ſecum arripit. (o) Contra vero id accidit, ubi ligna alendo igni non ſatis ſunt idonea, partibus nempe bituminoſis ac inflammabilibus aqua adhuc obductis, nec niſi fumum de ſe ſpirantibus, quo aëris parum promovetur expanſio, inque majus ſpatium dilatatio, mediante qua & prædictus per Canalem *Ox* celerius propelli haud poteſt fumus, & ſic interea per proximum foramen *ab* propter conceſſam ſibi levitatem erumpit. *Ratio Phæn. V.*

(o) Aërem calore agitatum hæcce omnino producere poſſe effecta, eo minus dubitare licet, ſi peculiaris iſta doctiſſimi Jeſuitæ CABÆI attendatur obſervatio, qui marmoream in medio perfractam ſe vidiſſe ait columnam, idque ob lignum aliquod prope columnam caſu combuſtum accidiſſe, refert, cujus ope nimirum factum

eſt, ut calor aërem cavitatibus marmoris incluſam rarefecerit, ſolidum Saxi corpus perruperit, & ſic ſeſe diſpandendi quæſiverit ſpatium. vid. ROB. BOYLE, *l. c. p.* 250.

§. XIII.

Concluſio II. Cumque maxime fluidus quoque idem ſit aër, (*per Hypoth. I.*) aufugientem ſtatim ſubſequitur alius, per foramen *ab* intus ſeſe recipiens, ſuaque preſſione (*per Hypoth. IV.*) ligni comprimit partes inflammabiles, celerrime eas atterendo, commovendoque, unde tam graves ob flammæ motionem excitantur ſtrepitus, ſiquidem per foramen *ab* etiam difficulter admodum ingredi poteſt (p) quæ etiam cauſa eſt, cur tam cito ignis abſumatur flamma.

Ratio Phæn. I. VIII. & IX.

(p) Confirmatur hujus phænomeni ratio in *Ventorum* imprimis doctrina, ubi eorum ſubitanea interdum productio nonniſi *ab* inæquali aëris petitur preſſione. *Vid.* FRIDER. HOFMANNI, *Diſſertationes Phyſico-Medicæ, Tom. I. Diſſ. IV. p. m.* 151.

§. XIV.

§. XIV.

Juvat etiam, quod aër a calore rarefactus haud parum de ſua remiſerit preſſione, dum latius jam occupavit ſpatium, adeoque leviorem omnino exercere poteſt reſiſtentiam, quam antea, ubi major ibi aëris condenſati erat quantitas; hinc etiam nova deinceps aëris externi accedente preſſione, (*per Hypoth. IV.*) deorſum ignis cum fumo truditur flamma, inprimis, cum tepidus quoque per calorem factus in hypocauſto dilatare nunc ſe incipiat aër, & magis magisque ſeſe expandendo per foramen *ab* clauſis interea locis aliis exire conetur. *Ratio Phæn. III. VI. & VII.*

§. XV.

Quoties autem alibi aufugiendi liberius ipſi datur facultas, e. g. *janua* vel *feneſtra exiſtente aperta*, mirari haud oportet, ſi in eum propter fluiditatem (*per Hypoth. I.*) ſeſe recipiat locum, ac anguſtius, cui antea incumbebat, de- *Ratio Phæn. VIII.*

ſerat foramen *ab*; tollitur ergo ibi nonnihil *æquilibrium*, tam graviore nunc ceſſante preſſione & reſiſtentia, (*per Hypoth. IV.*) unde altius fumo aſſurgendi hac ratione facile conceditur occaſio.

§. XVI.

Ratio Phæn. X. Cæterum, quod *tanta lignorum* in prædicto Furno *adſit parſimonia*, a modo ignem cumprimis alendi maxime pendet. Cum enim *anguſtior* omnino *ſit arcula* DC. flatu magis conjunguntur flammæ partes, & ſic majorem urendi acquirunt vim; (*per Hypoth. V.*) imprimis, cum vi Phæn I. & VIII. fortiter admodum aëre accedente concitetur flamma, quæ majorem proinde excitare poteſt calorem. (*per Hypoth. VI.*)

TANTUM.

Obſer-

Obſervatio CCXIV.

JOANN. GEORGII SCHELHORNII,

exhibens

Conjecturam

de Perſica

Voce אחשתרנים Eſth. VIII. 10. 14.

§. I.

NOn eſt, quod mireris, tantopere hanc vocem torſiſſe interpretes etiam acutiſſimos: eſt enim ex illarum numero, quæ *unico ſaltim in loco occurrit*, ac præterea exoticæ linguæ natales ſuos debet, cujus nonniſi quædam λείψανα, in variis autoribus diſperſa, ſuperſunt. SIXTINUS AMAMA in *Antibarbaro Biblico* tres de hujus vocis notione opiniones recenſet. Prima, quæ JUNIO placuit, *curſores regios* ea indigitari perhibet, quos *Aſtandas* nominatos eſſe conſtat; hoc autem nomen cum אחשתרנים unum idemque eſſe Junius cenſet. Altera eſt eorum, qui per

 Achaſte-

Achaſtheranim *Camelos miræ velocitatis* innui autumant. Tertia, eaque communior *mulos* hic quærit, & ipſi Amamæ probatur. Premit eidem pollicem Vir, *cujus* in his rebus autoritas plurimum *valet*, SAM. BOCHARTUS, cui in *Hierozoic.P. I. L. II. C. XX. p. 236.* אחשתרן alludere videtur ad *Aſthar*, quod apud Perſas pro *mulo* hodieque eſt in uſu: occurrere enim hanc vocem obſervat in Hiſtoria Chriſti Perſica p. 60. nec non in translatione Pentateuchi Perſica Gen. XXXVI. 24. Jtaque אחשתרן vel idem ſonare, vel eſſe compoſitum ex Achas & Aſthar, ut hic ſumatur pro *magno mulo*, quales ab equabus eduntur. Liceat mihi adjicere, etiam Græcis Ἀςράβην *mulum* eſſe. Ἀςράβη τίθεται καὶ ἐπὶ τῶν ἀναβαλτικῶν ὄνων. Οἱ δὲ κατὰ τὸ πλεῖςον μὲν τὴν σωματηγὸν ἡμιόνον ὅτως ἔλεγον. *Aſtrabe ponitur etiam pro aſino* (verba ſunt HESYCHII) *quem conſcendimus. Plerumque autem ſic vocantur muli clitellarii.* conf. hic JOH. SCHEFFERUM de *Re Vehiculari veterum L. I. C. VIII. p. 90.*

§. 2.

In prima ſententia mihi cum BO-

CHARTO

CHARTO diſplicet, quod אחשתרנים ſtatuat eſſe *ſeſſores* ſeu *curſores*, non jumenta, tota ſacri contextus ſerie reclamante. Dein *Aſtandæ* nomen ab *Achaſteranim* plurimum differre, quilibet facile perſpicit. Ego, ſi vocem Perſicam ad Hebraicam Etymologiam revocare liceret, *Aſtandas*, vel potius *Asgandas* (quod placet BOCHARTO, LEDERLINO econtra priorem lectionem cum BERNEGGERO probante, in *notis ad Barn. Briſſonium de Regio Perſarum principatu p.315.*) ad Hebraicum סגנים, quo *Jerem. LI. 24.* & alibi *magnates* denotantur, referrem. Alteram, quæ *Camelos* intelligit, opinionem jam ſolide profligavit laudatus BOCHARTUS, ut adeo nihil, quod addamus, nobis ſuperſit. Tertiam, quæ maxima probabilitatis ſpecie ſe commendat, evertunt XENOPHONTIS ac HERODOTI teſtimonia, *Perſas in nunciis Regum perferendis nec camelis, nec mulis, ſed equis fuiſſe uſos*, evincentia. Ut brevitati litem, poſterioris duntaxat verba, in Latinum tranſlata ſermonem, exhibebo. Quot ex diebus, ſcribit HERODOTUS, *Lib. VIII.* tota via conſtat, *totidem equos ac viros* fe-

runt eſſe diſtinctos ad ſingulorum dierum iter faciendum, quos neque vis nivium, neque imber, neque æſtus, neque nox diſtinet, quin propoſitum ſibi curſum celerrime conficiant. Quorum curſorum primus mandata tradit ſecundo, ſecundus idem tertio: & ita deinceps illa mandata in alium atque alium pertranſeunt. Hanc *equorum curſitationem* Perſæ *Angarenon* vocant. vid. BARN. BRISSON. *l. c. p.* 312. *ſqq.*

§. 3.

Hos itaque autores, qui procul dubio in Perſicorum rituum notitia utramque faciunt paginam, ſecutus, per אחשתרנים *equos* innui certo perſuaſus ſum: cum præſertim etiam textus ſacer nuncios illos רצים בסוסים appellet: in eo autem adhuc hæſito, qualenam præciſe equorum genus voce iſta ſignificetur. Id enim nomen haud quibusvis competere equis, ex noſtri textus circumſtantiis perſpectu eſt proclive. Quis vero ambigat, *velociſſimos equorum* hiſce negotiis fuiſſe deſtinatos? Liceat mihi breviter exponere, quid ego ea de re conjecerim. Nimirum per אחשתרנים *Aſturcones*

nes potiſſimum deſignari auguror. Hi enim ſunt, ut POLLUCIS verbis utar, εὔδρομοι καὶ εὐθύδρομοι, ὀλίγον αἴροντες ἀπὸ τῆς γῆς ἐν τῷ τρέχειν τὰ σκέλη, *pernices & ad curſuram habiles, qui inter currendum crura parum attollunt a terra.* Aſturcones Græci dicebant ὀξυποδεῖν, i. e. *minuto citatoque gradu ire* & quaſi pedibus argutari : nec non σακκάζειν, elegantiſſima tralatione; quia eorum gradus in ambulando perinde minutus ac creber fuit, quaſi ſacco colatus fuiſſet & eliquatus vid. JO. JAC. HOFMANNUM in *Lexici Univerſalis Continuatione* : qui præterea annotat, *Aſturcones* mollem & ad delicias compoſitam vecturam, magna ſedentium commoditate ac voluptate, exhibuiſſe : deque molli eo & delicato greſſu per excellentiam βαδίζειν dixiſſe Græcos, ut Latinos ambulare. At veriſimile eſt, Perſas in equis ad curſus publicos deligendis tam velocitatis, quam commoditatis habuiſſe rationem : ut ſic & Regis mandata citiſſime quibuscunque ſubditis denunciarent, & itinerum moleſtias delicato mollique equorum greſſu fallerent. Prius tam certum eſt, quam quod certiſſimum : de poſteriori nos dubitare

tare non ſinit Perſarum ut in aliis rebus, ita & in equitandi ſtudio perſpecta mollities, de qua conferri iterum meretur BRISSONIUS, *p. 663. ſq.* Hinc etiam *Aſturcones* divitibus Romanis fuere in deliciis: unde CICERO, oſtentatorem pecunioſum deſcripturus, *L. III. ad Herennium p. 39. edit. Ald.* præter alia de eo ita fatur: *Cum puerum reſpicit hunc unum, quem ego novi, vos non arbitror noviſſe, alio nomine appellat, deinde alio atque alio. Heus tu, inquit, veni Sannio, ne quid iſti barbari perturbent, ut ignoti qui audiunt, unum putent eligi de multis: ei dicit in aurem, aut ut domi lectuli ſternantur, aut ab avunculo rogetur Æthiops, qui ad balneas veniat: aut Aſturconi locus ante oſtium ſuum detur, &c.* Sic & SUETONIUS *in Neron. Cap. XLVI.* mentionem inſtituit *Aſturconis*, quo eum maxime lætatum eſſe refert.

§. 4.

Nunc, ſi placet, penitus aſpice voces noſtras אחשתרנים & *Aſturcones*: ac deprehendes, niſi me omnia fallunt, eas exaſſe inter ſe convenire, hoc tantum diſcrimine, quod in Latina unica literula ח ex loco

ſuo

ſuo alio trajecta ſit. Quid autem iſtâ metatheſi frequentius? Ipſos Perſas ea delectari, variis exemplis BOCHARTUS demonſtrat *Geogr. S. P. I. L. IV. C. X. p. 253.* Chaldæos transpoſitione literarum Ebræorum voces facere ſuas, in confeſſo eſt. Nec Hebræos hanc μεταστοιχείωσιν in ſuis vocibus reſpuere, vel triviales pueri norunt. Sed & hoc extra dubitationis aleam poſitum eſt, originem vocum peregrinarum haud raro feliciter inveſtigari, literarum trajectione inſtituta. Millies & millies hac via veræ vocum radices ſunt detectæ. Exhibebo ὡς ἐν παρόδῳ paucula hujus rei exempla ex multis, neſcius, an jam ab aliis obſervata ſint: quanquam non adeo mihi ſuffenus ſim, ut me ſemper rem acu tetigiſſe arbitrer. NONIUS ex *Varronis Eudæmonibus* citat hæc verba: Divitum Aphocaſchias ad communem revocat matellam. Matellio & matella, interprete Nonio, eſt *vas aquarium*, quas voces forte non incommode darivaveris ab Hebræo דלה, hauſit aquas e puteo. *Aphocaſchia* fluxiſſe mihi videtur ex Chaldaico אספקא per metatheſin, quo nomine indigitant *vas argenteum*. vid.

Aruch.

Aruch. Hic porro ex Hebraico סכף, quod Job. XX. 22. extat: unde aliam *Scyphus* σκύφος, σκύφις &c. rurſus per tranſpoſitionem originem ducunt. *Laliſionem*, onagri pullum, quo ut cibo delicatiori delectabantur Apitii. (vid. Plin. H. N. L. VIII. C. 44.) derivo per metatheſin ex Hebr. זלל *in luxu vixit*, comeſſatus eſt. *Tesqua* vocantur loca deſerta, aſpera & inculta, Deo alicui ſacra, forſitan a קדש per tranſpoſitionem. βλαςός *ſurculus* deſcendere videtur a שבלים ejusdem notionis voce. *Colocynthus* ab Hebr. קיקלון. Sed hæc ſpeciminis loco ſufficiant, ne omnino extra oleas vagari dicar.

§. 5.

Agedum! jam videamus, quomodo integer textus commode reddi queat. Ego pace tua eum ſic transfero: *Et miſit literas per manus curſorum in equis, equitantium animalia magni pretii*, (ita enim reddit JOH. AVENARIUS in *Lexico* vocem רֶכֶשׁ, quæ deſcendit a radice רכש, comparavit opes & facultates) *Aſturcones, genus equorum.* Nam בני הרמכים hoc ſenſu eleganter uſurpari autumo. Sic Nehem. III. 8.

Hana-

Hanania בן הרקחים *filius pigmentariorum*, i. e. unus ex pigmentariis vel pigmentarius appellatur: & Joel. III. 6. Græci בני היונים πλεοναστικῶς audiunt. conf. B. GLASSII *Philol. S. L. III. Tr. I. Can. XXXVIII. p. m. 671.*

§. 6.

Sed ſubolet mihi, huic expoſitioni objectum iri, quod, cum *Aſturcones fuerint equi*, ex Aſturia, Hiſpaniæ regione, oriundi, cui etiam nomen ſuum acceptum tulerint, vix veriſimile ſit, Perſas ex Provincia, tanto intervallo a ſe disjuncta, accerſiſſe equos, & eorum nomen adoptaſſe. Equidem haud ignoro, PLINIUM *H. N. L. VIII. C. 42.* ac poſt eum PEROTTUM, CALEPINUM, FABRUM, HOFMANNUM, & forte omnes alios Criticos ac Lexicographos, qui in hujus vocis originem inquiſivere, eam ab *Aſturia* derivaſſe, verum, ſi conjecturæ locus detur, *ego potius regioni iſti ab equis nomen impoſitum eſſe* putaverim. Phœnicium & Punicum ſermonem magna ex parte Hebrææ linguæ, & dehinc etiam aliis orientalibus in nonnullis, conformem fuiſſe, a viris doctis, & præcipue BOCHAR-

TO

TO, abunde jam demonſtratum eſt. Novimus quoque vetuſtiores Phœnices, ac deinde etiam Carthaginenſes, nomina terrarum vel urbium, quas in poteſtatem ſuam redegerant, aut coloniis impleverant, ſubinde immutaſſe. Sic v. g. quæ priſcis *Cotinuſſa* audiit, Tyriis *Tarteſſus*, Pœnis *Gadir* (unde *Gadis*) vocata fuit. Inſulæ Græcis *Gymneſiæ* dictæ, Punico nomine *Baleares* ſunt. Junonis promontorium ab *ovium frequentia Erythiæ* nomen accepit, (BOCHART. *p. 679.*) de *Malacha* AVIENUS:

Malacha flumen urbe cum cognomine,
Menace priori quæ vocata eſt ſeculo.

vid. l. c. p. 683. Ita & Corduba, Calduba, Salduba, Sonoba, Hiſpalis, Meneſthei portus, Ebura, Calpe, Suel, Selambina, Abdara, Baria, Setabis, & innumeræ aliæ vel provinciæ vel urbes aut Phœnicibus aut Punis nomina ſua debent, ſi BOCHARTUM audias, qui ſummo ingenii acumine has res indagavit. Sic pariter *Aſturia* vel Aſturica, quam Græci, fabularum parentes, ab *Aſtyre* Memnonis armigero dictam finxere, priſcis temporibus alio gavíſa fuiſſe nomine videtur. Ca-

Caput regionis, AUGUSTO imperante, *Aſturica Auguſta* audiit. HOLSTENIUS de ea nummum recenſet, cum hac epigraphe: *Col. Aſturica Ama Kur Auguſta*, quod vel nomen priſtinum urbis, vel gentium minorum alicujus, in quas Aſtures diviſi erant, fuiſſe CHRISTOPH. CELLARIUS in *Notitia Orbis Antiqui*, *L.* II. *C. I. p. 106.* ſuſpicatur, ſimulque obſervat, PTOLEMÆUM Aſturicam Auguſtam in gente Ἀμακῶν, *Amacorum*, ſcripſiſſe, quod proxime accedit ad nomen in nummo HOLSTENII ſignificatum.

§. 7.

Minime vero abſonum eſt, *ab equis Aſturconibus* nomen provinciæ, quæ iſtorum ferax erat, inditum. Ipſos Perſas & Parthos ab equitatu vel equis nomen ſuum hauſiſſe WILH. SCHIKARDUS *in Tarich. p. 101.* aſſerit, quia ſcilicet Perſæ ſemper boni fuerunt equites, & equeſtris rei præ aliis nationibus peritiſſimi. Eandem ſovet ſententiam Vir doctiſſimus, quem ſæpe laudavimus, SAM. BOCHARTUS *in Phaleg. L. IV. C. X. p. 253. ſq.* Arabice enim פרס eſt *equus*, ut Hebraice פרש. Ante CYRI

vero ætatem aliis nominibus veniebant. conf. etiam J. H. HOTTINGERUM in *Topographia Eccleſiaſtica*, quæ *Archæologiæ ejus Orientalis* alteram partem conſtituit, *Cap. IV. p.* 113.

§. 8.

Quin & Petronius Arbiter Satyric. Cap. 86. *Aſturconis Macedonici* his verbis meminit: pro hac felicitate cras puero aſturconem Macedonicum optimum donabo. Ubi equidem GONSALIUS DE SALAS, Aſturcone expuncto, ejus in locum *Struthionem* ſubſtituit, ſed eum depexum dedit GRONOVIUS, *Lib. II. Obſervat. Cap. X. conf. edition. Petronii Burmannian. p.* 419. *ſq.*

§. 9.

Antequam finem dicendorum faciam, memoraſſe adhuc juvabit MARCI PAULI VENETI de *Regionibus Orientalibus* L. II. Cap. XXIII. p. 82. edit. ANDREÆ MULLERI, Magnum Tartarorum Chamum ejus tempore eundem fere in nunciis emittendis cum priſcis Perſis tenuiſſe morem. En! illius verba: *Extra civitatem Cambalu multæ patent publicæ viæ ad viciniores ducen-*

tes provincias, & ſingulis caſtra ſeu diverſoria ſunt extructa cum pulcherrimis palatiis, viginti quinque diſtantia milliaribus ab urbe Cambalu, ubi divertunt emiſſarii & nuntii regis. Vocantur autem manſiones illæ JANLI, id eſt, manſiones equorum. Nam expectant ibi trecenti aut quadringenti equi regis nuntios. Qui hinc ſolventes poſt viginti quinque milliaria alia inveniunt diverſoria prioribus haud diſſimilia: & ea hoc ordine & diſtantia continuantur usque ad extremos regni limites; ita ut per univerſum imperium in publicis viis circiter decem millia inveniantur regia hoſpitia. Equorum vero numerus, qui in illis diverſoriis nuntiorum officiis ſunt deputati, eſt circiter ducenta millia. In locis quoque deſertis & ſylveſtribus, ubi alioquin nulla eſt humana habitatio, hujusmodi regia diverſoria inveniuntur, triginta aut quadraginta milliariis a ſe invicem diſtantia.

Igitur quando Rex nova ex remotis partibus cito audire cupit, deſtinat equites dicto ſuo quantocius parentes, qui uno die ducenta aut trecenta conficiunt milliaria, & paucis diebus immenſum terræ peragrant ſpatium: quod

in hunc modum fit. Emittuntur duo cum equis, qui concitatiſſimo curſu ſine ulla mora ad proximum declinant diverſorium: ubi demiſſis feſſis equis duos alios aſcendunt, & ad ſequens citiſſime ſe transferunt diverſorium: ſicque fit, ut continue curſum ſuum eundo & redeundo continuent, & mandata Regis ad remotiſſima loca pauculis diebus perferant, & rurſum ex remotiſſimis partibus nova ad Regem portent.

Obſervatio CCXIV.

M. JOH. ERDMANN BIECK,

Verbi Divini Miniſtri Eislebienſis.

de

Arbore non eradicanda.

Ad Deuteron. XX. v. 19.

CUm oppidum multis diebus obſidebis, ut id oppugnes, & capias, *non corrumpes ejus arbores, immiſſa in eas ſecu-*

ſecuri; Ex eis veſceris, neque eas ſuccides; כי האדם עץ השדה לבא מפניך במצור: Variis hic locus interpretationibus obnoxius eſt. Verſio *Vulgata* verba hebræa ſic reddit: *Quoniam lignum eſt, & non homo, nec poteſt bellantium contra te augere numerum.* At vero prius comma non eſſe negativum, ſed *affirmativum*, perfacile eſt ad intelligendum. Ad comma poſterius quod attinet, expoſitionem illam nemo divinaverit, niſi qui ellipſi, valde tamen contorta & plane inſolita, ſequentem in modum ſenſui ſuccurrat: *Quoniam lignum eſt, & non homo, ad veniendum* (in numerum) *contra faciem tuam pugnantium.* Certe ubi per Ellipſin explicandus locus eſt, non longe illa petita, ſed voci ac rei conveniens ſit oportet, id quod cuivis liquido conſtabit, qui elegantem de Ellipſibus græcis tractatum LAMBERTI BOS attentis oculis perluſtraverit. Addatur etiam GLASSII *Philolog. L. IV. Tract. II. p. 695.* Ut taceam, vocem מצור non pugnantes & obſidentes, ſed *obſidionem & propugnaculum* denotare.

Idem judicium eſto *de verſione Belgica*, quæ pariter ac vulgata Ellipſin vocat in

ſubſidium, hoc modo verba transferens: *Quoniam hominis* (eſca eſt) *arbor agri*: Miſſis aliis explicationibus JOHANNEM CLERICUM conſulamus. Ita vero ille in translatione ſua Pentateuchi: *Arbores non ſuccides; Eſtne enim homo arbor agri, qui in obſidione obviam tibi procedat.* Obſtant hic mihi duo, quo minus verſioni, alioquin planæ ac dilucidæ pollicem premam. Primo enim CLERICUS vocem האדם interrogative exponit: *Num homo?* Cum tamen ה interrogativum ante gutturalem hamezatam non ᅮ ſed communiter ∴ ſub ſe habeat; *a)* Nec facile quis exemplum objiciat in contrarium. Sed finge, anomaliam eſſe

---

a) Ita Pſalm LXXVII, 9. האפס לנצח חסדו nunquid deſiit in æternum miſericordia ejus. Sic Eccleſ. II, 14. החכם עיניו בראשו Cl. H. B. STARCKIUS in Ebraiſmis Etymolog. p. 197. ita vertit: *Sapientem* (quod attinet) *oculi ejus ſunt in capite ejus.* Sed quid fingimus Ellipſes, ubi non opus eſt? Rectius: *Nonne ſapienti* (ſunt) *oculi ejus in capite ejus?* Num. XI. 12. האנכי הריתי העם Nonne ego concepi populum?

eſſe punctationis, quæſo te, illationem hanc eſſe firmam? *Noli arborem ſuccidere, arbor enim non eſt homo, quem exſcindere jure potes?* Inverto potius argumentum: ſi hominem licet occidere in legitimo bello, multo magis licitum mihi erit, arborem, ſi quod exinde in me redundet commodum, extirpare, quandoquidem arbor infra dignitatem humanam conſtituta, imo in uſum hominis creata eſt. Excipit quidem CLERICUS, in bello hominem pugnare, non item arborem, imo vero arborem frugiferam & amico & inimico eſſe proficuam, ut ſenſus ſit: *Num arbor homo eſt, qui hoſtiliter tibi inſultet? Nonne arbor fructus tibi porrigit, quibus te ipſum privas, eandem exſcindens?* Sed vero nondum res eſt in vado. Etſi enim non arbor, ſed homo homini lupus eſt, homo tamen uti aliis, ita etiam arbore utitur, hoſti damnum illaturus. Quod quisque juris ergo in alium ſtatuit, eo ipſe jure quoque utatur. Et ſi omnimoda arboris exciſio ob fructus inde ſperandos vetita eſt, quid cauſæ eſt, quamobrem Deus non prohibuerit devaſtationem aliarum rerum, ex quibus fructus capi poſſunt magis

neceſſarii & uberiores, ut ſunt agri? His fructibus enim utimur ad vitæ conſervationem, frugibus vero, quas arbor fert, ad voluptatem.

Ipſe HUGO GROTIUS etſi eandem ac JOH. CLERICUS expoſitionis viam ingreditur, nihilominus arborem maxime frugiferam extirpari poſſe ſcribit, ſi impediat teli jactum, aut alia ratione pugnanti mihi contra hoſtem officiat *Conf. Jus B. ac P. P. III. Cap. XII. p. m. 712. Edit. D. Simon.* Hæc de translatione CLERICI, qui tantopere illi confidit, ut vix alium ſenſum eſſe poſſe, prætetea LXX ſe inſimul prædeceſſores habere pronunciet. Verum enim vero nondum deſperata ſunt omnia, prout ex ſequentibus fiet manifeſtum.

כי Primam hanc vocem JOH. PISCATOR reddit *quamvis*, eandem cum ſequentibus parentheſi includens. Mihi vocula hæc ſenſu communiſſimo eſt cauſativa per *quia* reddenda. Poſtquam enim in antecedentibus devaſtationem arborum Deus interdixerat, jam ſequitur ratio, ob quam prohibitio illa ſit facta.

האדם Caſum hic eſſe vocativum, ut

ſenſus

ſenſus ſit: *O homo*, ex ה demonſtrativo non male colligitur. Conf. Devter. XXXII. 1. האזינו השמים, Audite o cœli. Judic. III. 19: דבר־ סתר לי אליך המלך verbum arcani mihi ad te, o Rex. Idem habetur Eſth. VII. v. 3. Cant. V. 9. היפה בנשים; o pulchra in mulieribus.

עץ השדה, Significant hæc arborem agri, ſeu agreſtem immitem, ſterilem: Hinc LXX. τὸ ξύλον τὸ ἐν τῷ δρυμῷ, Lignum quod eſt in ſylva quei na vel glandifera. Huic arbori agreſti opponitur עץ פרי עשה פרי arbor fructus, faciens fructum, Geneſ. I. v. 11. Item העץ אשר בו פרי עץ arbor, in qua eſt fructus arboris v. 29. vel juxta Pſalmum primum: עץ אשר פריו יתן בעתו arbor, quæ fructum ſuum dat in tempore.

In textu noſtro eleganter vocatur *arbor urbis* in oppoſitione ad *arborem agri*, quam ſterilem dicas עץ אשר בוא במצור arbor quæ venit in obſidionem, i. e. quæ *adhibetur* ad obſidionem. Pari modo explicanda verba Jacobi ſunt: Anima mea non *veniat* in conſilium impiorum, Gen. 49. 5. Hic mens Jacobo non eſt, neminem venire poſſe ac debere in domicilium,

in quo mala cuduntur conſilia, ſed hoc innuere vult diviniſſimus Patriarcha: Nunquam patiar animam meam adhiberi ad mala conſilia cum impiis & excogitanda & exequenda. In eandem fere ſententiam Cicero: Res, inquit, *venit* in controverſiam, id eſt, res *adhibetur* ad ventilandam controverſiam. Huc pertinet phraſis Medicorum, qua flores dicuntur *ingredi* in medicamentum, qui adhibentur ad pharmaca conficienda.

His ita poſitis ſeqvens fluit expoſitio: Noli arborem frugiferam evellere; *Nam o homo* (quicunque es) *arbor agreſtis* ſeu ſterilis (tibi eſt,) *ut veniat* ſeu adhibeatur *ante te in obſidionem.* Ex quibus omnibus conficitur, non omnem frugiferæ arboris eradicationem heic loci interdictam, ſed *certum tantummodo evellendæ arboris ordinem a Deo fuiſſe conſtitutum.* Nam quæſo te, ſi Iſraelitæ in commodum ſuum arboribus pepercilſent, quid de illis poſtea fuiſſent facturi, ſi urbem totamque regionem in poteſtatem ſuam non redegiſſent? Fructibus enim hoc pacto veſci non poterant, quæ unica eſt ratio, ob quam Deus *legem de non*

cæden-

cædendis arboribus condebat. Ceſſante autem ratione legis, ceſſat lex ipſa.

Quod ſi quis *objiciat*, arbores frugum feraces ideo non fuiſſe evellendas, ut hoſti ſuperſtiti aut aliis potuerint eſſe uſui, *reſpondeo*: Qui concedit quod majus eſt, concedet etiam quod minus eſt. Quandoquidem igitur Deus O.M. Iſraelitis totam regionem Cananitarum clementiſſime donaverat, rectiſſime etiam illis donaſſe dicitur arbores frugiferas, ut, ſi alia ratione urbis non potuerint potiri, eas exſcinderent. Porro ſi Deus juſſit oppugnari urbem, eo ipſo etiam uſum mediorum (quo extirpatio fertilis arbuſti jure refertur) oppugnantibus conceſſiſſe præſumitur, ita tamen, ut ſteriles arbores præcedant, fœcundæ ſequantur. Qua in re inſigne encomium meretur Alexander M. qui Tyrum oppugnaturus arbores apportari jubebat *ex monte Libano*, quas totas cum ingentibus ramis in altum jaciebat, *ut mare in ſylveſtrem ſaltum* dixeris *eſſe mutatum*; Cernens vero arbores ſylveſtres in profundum dari, laborem hunc irritum ac inanem non continuat, aut arbores frugiferas exſcindit, ſed aliud obſidendæ

dendæ & expugnandæ urbis medium excogitat. *Curt. L. IV. C. II. III.*

Obſervatio CCXV.

TOBIÆ ECKHARDI, Gymnaſii Quedlinburg. Rectoris,

Siſtens Epiſtolam ad

Virum Nobiliſſimum ampliſſimumque

DN. CAROLUM FRIDERICUM PEZOLDT,

Facult. Philoſ. Lipſ. Aſſeſſorem, & Scholæ Thomanæ Collegam meritiſſimum,

de

Præmaturo obitu V. Cl. God. Hechtii.

PErtriſtis allatus eſt nuncius de obitu præmaturo *Viri Clariſſimi*, M. GODOFREDI

DOFREDI HECHTII, *Rectoris Lycei Luccauienſis in Luſatia inferiori meritisſimi.* Graui dolore hic me caſus affecit, nec dubito, quin par, vel non multo minor, Te moleſtia ceperit. Sunt cauſæ nobis communes, cur viri, utriusque noſtrum amantiſſimi, obitum lugeamus ac deploremus; ſunt tamen & mihi propriæ quædam ac peculiares. Virum amiſimus doctrinæ elegantioris hiſtoriæque peritiſſimum, & de re literaria optime jam meritum, magisque, ſi vixiſſet, meriturum.

Latine ſic ſcribebat, vt nihil inſolens, barbarum ac peregrinum haberet oratio, ſed puritate elegantiaque ſtructurae veterum optimae aetatis Romanorum vſum ac conſuetudinem referret. In peruolutandis legendisque hiſtoriarum monumentis, antiquis aeque ac recentioribus, aſſiduus erat, & quicquid commentaretur, idoneis documentis confirmabat. Accedebat vis ſingularis iudicii, vt vera a falſis, genuina a ſubditis, ſincera a fucatis probe diſcerneret, ac diiudicaret, nec praeiudicatis opinionibus inhaereret, vel oblata quaeuis arriperet & amplecteretur. Sententiarum caſtam

caſtam ſeruabat grauitatem, eamque ſingulari perſpicuitate lectori inſinuabat. *Has* ingenii dotes magis fuiſſet explicaturus ad magnum rei literariæ ornamentum, ſi morte non fuiſſet ei praereptus, illique in campo ampliore contigiſſet verſari. Ingenii monumenta, quæ reliquit, teſtes erunt doctrinae ſolidioris, nomenque HECHTII oblitterari non ſinent, ſed perpetuum ſervabunt, et commendabunt poſteritati. Amicitias omni officio fideque coluit, nec commiſit, vt fidem quis, vel integritatem, vel officium in eo deſideraret. Haec, Vir ampliſſime, mecum, ſcio, in eo agnouiſti mentis animique bona, recteque, vt fas eſt, æſtimaſti, et erepta iam nobis eſſe mecum doles grauiter.

Sunt vero cauſae mihi ſingulares ac propriae, cur viri iacturam deplorem, eumque deſiderem. Communem vterque habuimus patriam, IüTREBOCUM, *oppidum* in finibus Saxoniae, Marchiae, atque Luſatiae perantiquum, & vel *Tezelii* indulgentiarum mercatu, nec vno Principum *atque* Theologorum conuentu illuſtratum, cuius ille non vulgare ornamentum fuit, maius-

maiusque additurus fuiſſet, ſi *hiſtoriam patriæ*, quam meditabatur, ei licuiſſet perficere. Eſt grata ſemper patriae, qualiscunque etiam fuerit, recordatio, quam clariorem fieri atque illuſtrari, peſſimus ſit, qui non optaverit. Haec nunc ſpes concidit, habetque patria imprimis, cur aegerrime ferat doleatque civis doctiſſimi obitum præmaturum, ſuaeque illuſtrandae hiſtoriae ſpem amiſſam.

Nunc contenti ſimus iis ingenii monumentis, quae, dum vixit, ab eo ſunt edita, et ſingularem hiſtoriæ et antiquitatis doctrinam, et orationis elegantiam ſpirant. Nullum facile erit, cuius beatus vir mihi copiam non fecerit, quodque non poſſideam, niſi fuerit interceptum. Liceat hic mihi pace Tua, Vir Clariſſime, ea commemorare, vt viri ingenium doctrinamque magis cognoſcamus, et vel hac ratione dolorem leuemus, memoriamque conſeruemus. In Academia Vitebergenſi quos edidit diſputationes, ſequentes ſunt:

1. Res memorabiles perantiquæ Saxonum vrbis Jutreboci, *Praeſide* CONR. SAM. SCHURZFLEISCHIO, Witteb. 1707.

2. Vita

2. Vita Johannis Tezelii, nundinatoris ſacri, prior, ibid. a. 1707.

3. Poſterior, eod. anno.

4. De formula: *impraeſentiarum*, 1709.

5. De Wicmanno, antiſtite Magdeburgico, Viteb. 1710. Cuius res geſtas vel propterea dignas, quas exponeret, habuit, quod patriam vrbem coniunxit cum Metropolitana Magdeburgenſi eccleſia.

6. JOHANNIS SCHURZFLEISCHII, magni, dum viueret, Polyhiſtoris, CONR. SAM. SCHURZFLEISCHII, parentis Diſſertationes varii argumanti recenſuit ac edidit, vitamque auctoris a ſe compoſitam praemiſit, Viteb. 1710. 8.

Ex quo *Lycei Luccauienſis* in Luſatia ſuſcepit moderamen, a. 1711. menſe Nouembri, varia edidit *Programmata*, quibus ad exercitationes iuuenum publicas inuitauit auditores, quorum nonnulla, certits inſcripta titulis, recitabo. Sunt autem

7. Progr. de *Judæis impulſore Chreſto Romae tumultuantibus*, 1712.

8. Pr. *Memoria Titi Pomponii Attici*, 1712.

9. Pr.

9. Pr. de *dignitate et praeſtantia Criti-ces*, 1713.

10. Memoria *Johannis Lucani*, ICti, fama meritisque illuſtris, 1714.

11. De *rei heraldicae inter Germanos, ſpeciatim Saxonas, auſpiciis*, 1717.

12. De *epigrammatum in oratione civili vſu*, 1718.

13. Memoria *Philippi Melanchthonis, literarum inter Saxonas reſtauratoris ſummi*, 1718.

14. De *Gerone*, *Luſatiae Marchione*; quod ad me miſſum intercidit.

15. Progr. alterum de *eodem Gerone*, 1720. quibus Marchionis iſtius, *ex Comitibus Stadenſibus prognati*, hiſtoriam perquiſivit, & opiniones dubias excuſſit, vt veram erueret, ac ſiſteret orbi literato. Miſcellaneis etiam Lipſienſibus, quae laudabili exemplo, quod alii ſequendum ſibi putarunt, collegiſti, Vir Clariſſime, inſeruit doctiſſimas quasdam obſeruationes, quae ſunt:

16. De *Macedonia deuicto Andriſco in prouinciam redacta*, Tom. I. Obſerv. VI. p. 54. ſeqq.

Tom. X. Obſ. CCXVI.

17. De *elogio Ludouici Primi Imp.* quod a *pietate* accepit, Tom. II. Obſerv. 45. p. 649. ſeqq.

18. *Memoria Ambroſii Berndtii, Iütrbocenſis*, Prof. P. Vitemb. renouata, Tom. V. Obſ. 119. p. 354. ſeqq.

19. De *duobus nummis argenteis rarae antiquitatis*, Tom. VI. Obſ. 142. p. 320. ſeqq.

20. *Buſtum Luſatiae antiquiſſimum*, ex ſuperiorum memoria temporum illuſtratum, quae variam antiquitatis doctrinam ſpirat, exteris etiam eo nomine laudata, Tom. VII. Obſ. 153. a p. 158. ad 265.

Edidit interea etiam Tractatus quosdam. Sunt illi:

21. De *Henrici Guelfi Boioariae et Saxoniae Ducis inſignibus gentilitiis*, vnde *Leonis* tulit elogium Commentarius: cui accedit Diſſertatio de *coenobiis Germaniae rerum in ea geſtarum tabulariis*, Witteb. 1715. 4.

22. *Germania ſacra et literaria*, Witteb. 1717. 8.

23. *Vi-*

23. *Vita Tezelii*, Witteb. 1717. 8. quam tam copioſe, ſolide nitideque deſcriptam dedit, vt ante eum haud facile quisquam alius.

24. *Reformations-Hiſtorie*, quam *anonymus* vernaculo ſermone edidit, Witteb. 1717. 8.

Haec memoriae Clariſſimi viri, et civis, et amici, dare volui. Tu, vir ampliſſime, benigne ea accipies. * Quedlinburgi, Cal. Martii, cIↄIↄccXXI.

* Reſponſionem ad *Ampliſſimi* ECKHARDI epiſtolam Præfatio futuri Tomi XII. exhibebit, ubi de præmaturo obitu Clariſſimi Viri, GODOFREDI HECHTII, *ejusque meritis*, ſi Deus vitam ac vires conceſſerit, prolixius agetur.

Obſervatio CCXVI.

ſiſtens Orationem

D. CHRIST. Gotthülff BLUMBERGII,

Paſtoris & Superint. Cygnenſis,

recitatam cum

DN. M. CHRISTIAN. FRIDEMANNUS MARTINI,

Con-Rector Cygneus,

d. 3. Jan. 1720.

publice introduceretur,

de Diverbio:

Omnis mutatio periculoſa

Omnis mutatio periculoſa. Hunc in modum tritum illud, & in omnium ore verſans loquitur Diverbium. Hujus tenorem ſi rite excuſſeris, facile diſpaleſcet, Proverbium iſtud a Veritatis canone haudquaquam abire, imo ipſam *Experientiam*, eu dubiorum eventuum *Clavem*, exactiſſime reſpondere. Utut enim extra omnem Controverſiæ aleam poſitum ſit,

fit, ſingulas res, ſingula hominum negotia, ſuas pati viciſſitudines, ſuas ſubire Eclipſes, quamdiu Vanitatis mundanæ umbris inerramus, ita; ut, interprete CHRYSOSTOMO, *nobis nunc triſtitia, nunc Voluptas, nunc Ægritudo, nunc ſanitas obviet*, vel, ut BASILII effatur ſvada, ut videamus, *nullam rem humanam fixam, nullam ſtabilem, nullam perpetuam eſſe*, res imo mortalium, monente QUINTILIANO, *merum evadere Circulum*; evidens tamen eſt, Proverbio noſtro longe alium innatum eſſe ſenſum.

Mortales quippe, quibus peccati maculam exoſam adſperſam eſſe ſcimus, indoles adverſa eo abripit, ut ſe nunquam ſatis felices, nullibi ſatis ſecuros credant, niſi ex erronea ipſorumet Opinione ad vopimioris fortunæ faſtigia aſcendant. Hinc profunda miſceri Conſilia, dubios enaſci conatus, inanes variarum meditationum umbras obrepere, anxios & inexplicabiles curarum nexus emergere, advertimus eheu! Cui effato & protritum ſuccinit Diverbium: *Nemo ſua ſorte contentus.* Hujus Veritas ſuam ex eo lucratur evidentiam, quod perpauci mortalium ſortem ſuam ea, qua par eſt mentis rectitudine excutiant.

Cum enim labis naturalis ſordes homines in miſerrimam infimamque dejecerint ſortem, adeo, ut nemo mortalium, in ſe & natura ſua conſideratus, aliquid vel dignitatis, vel honoris ac felicitatis mereatur, non apparet inde, qua fronte, quo niſu, quo auſu ſemper auguſtiora appetere, & ſtatus tranquillioris blanditias ambire vel poſſit, vel debeat. Hinc ſæpius contingit, ut homines lautioris fortunæ deliciis inhiantes duriora incurrant fata, quæ, vel nunquam ſperaſſent, vel ſperare potuiſſent. Provide igitur hac in re & cirumſpecte agendum eſſe, certum eſt, ne ſpes concepta imponat. Fata quippe ad nutum haudquaquam obſequuntur, ſed rerum eventus divinæ Pronoeæ unice committendus eſt. *Multum* ſane periculi ſubeſt, ſi quis vel ſtatus, vel officii ſui mutationem meditatur, dubiam ſortem ſubit.

Hæc tamen, quæ jam aſſerui, non eo tendunt, ac ſi quis nutui divino ad alias officii partes ſubeundas invitanti obicem ponere, & moroſe reniti teneatur, *præſertim* cum ad officium in Eccleſia aliquis vocatur. Hoc caſu, ſi omnia ſe legitime habent, quis Mutationem diſſvaderet? quis abloqveretur?

tur? quis reſiſteret? Cumque ejusmodi mutationes haud infrequentes eſſe ſoleant, maxime quando *e pulvere ſcholaſtico* quis ad ſacras functiones in Eccleſia ſubeundas evocatur, juvat paucis hac de re jam diſſerere. Eo fine Vos, *Auditores honoratiſſimi*, etiam atque etiam obteſtor, ut ediſſerenti mihi benevolas patulasq; velitis præbere aures. Id benevolentiæ, ſi a Vobis impetravero, lucrum non exiguum in me redundaſſe exiſtimabo.

In limine Diſſertatiunculæ hujus hærens adhuc, operæ pretium exiſtimo, paucis oſtendere, varias obviare mutationes inter mortalium genus, e quibus non una emergunt pericula. Eſt genus hominum, quod, divina prælucente Pronœa, certam vivendi, vitamque ſuſtentandi rationem elegit. In hoc vitæ genere Numen, quod omnes venerari decet, cuilibet, quod neceſſe eſt, admetitur, ita, ut querulandi anſa præſcindatur. Sed quid accidit? petit, appetit homo, cum ſuppetit, opimiora crepat, ad ſtatum contendit ſublimiorem, vitæ genus mutando. Verum dum aſcendit, deſcendit ſæpius: dum ad blandientis fortunæ

amplexum tendit, laqueos funes; ſibi tendit. Nubem exemplorum proferre in promtu eſſet, niſi temporis anguſtiæ conatui obloquerentur.

Ad Officia Civilia oculos vertentibus quamplurima ſe ſiſtunt exempla, talium hominum mutationes, præſertim ſubitaneas, voto ac ſpei haudquaquam reſpondiſſe. Permultos quippe vana adigit Ambitio, plures auri divitiarum; ſacra fames, blanda quiete privat, aliis honoris umbræ imponunt. Ut adeo haud mirum ſit, tantum Mortalium numerum, lubricæ fortunæ veſtigiis inhiantem, in mera ejusdem ludibria transformari.

Longe aliter ſe res habet cum *officiis eccleſiaſticis* juxta & *ſcholaſticis*, eorumque mutationibus. Hæc enim non ex hominum nutu ac voluntate mera, dependent, ſed manum Dei ſapientiſſimi directricem agnoſcunt ac venerantur. Hæc mira manus directrix & vocantium & vocandorum arbitrium moderatur toties, quoties ex inexorabili Libitinæ lege illi, qui officia ejusmodi ornarunt antea, terrenis valedicunt, aliique iſtis vacuefactis ſunt admovendi.

vendi. Quemadmodum enim *Mors omnia mutat*: Ita & illos, qui in officiis publicis ſibi invicem ſuccedere ſolent. Et ſicuti frequentiores officiorum mutationes ipſa præcipit neceſſitas. Ita ſine periculi metu ſæpius quidem contingunt, eventus tamen declarat, illos non parum incurriſſe periculi, quorum humeris officia iſta ſunt concredita, idque nequaquam ſine permiſſione divina, quam quilibet devote agnoſcat, neceſſe eſt. Suppetunt ſane exempla eorum, quos ſine dubio divina vocatio ad officia eccleſiaſtica pariter & ſcholaſtica admovit, penes quos tamen *mirabiles fatorum luſus* advertere licuit.

Conſtat inter omnes, Theologum magni nominis, cujus cineres univerſa veneratur Saxonia, Doctorem G. F. SELIGMANNUM, mox in officii limine, cum *Concionatoris Aulæ Dresdenſis primarii* partes ſubiiſſet, diris calculi doloribus afflictum vitam cum morte commutaſſe. De inclytæ famæ Theologo, Doctore BALTHAS. BEBELIO, prolixiori immorari enarrationi nunc ſuperſedeo, cum neminem lateat, iſtam officii mutationem vel hoc nomine

lugubrem funeſtamque fuiſſe, quod irrevocabili parcarum legi ſubſcribere, non ſine magna Eccleſiæ evangelicæ jactura coactus ſit. Quid de PAULO HULSIO dicam? Quid de I. H. HOTTINGERI triſti foto? quorum prior in via *ad Academiam Gröningenſem* abiturus, quo eum fata invitabant, non tantum vitæ periculum incurrit, ſed & Bibliothecæ jacturam ſubiit; poſterior miſere ſubmerſus in itinere obiit? Quem fugit *periculoſa mutatio* NICOLAI COETSAU in Gallia, qui jam *Epiſcopus Maſſil.* erat deſignatus, antequam vero Epiſcopatum adiret, morte præventus ſeculo valedixit. Unicum adhuc admetiri juvat memorabile exemplum GOLERTHI MARTII, qui in Galliam vocatus, ut ſplendido præeſſet officio, vix Lutetiam Pariſiorum ingreſſus, nemine opinante, ad plures abiit, vel, ut NAUDANAE ultima Fata ſiſtunt, p. 67. il tomba, & mourut ſur le champ eteuffé de lá Graiſſe, hoc eſt, *in terram cecidit derepente moriens obeſitate ſuffocatus.* Bone Deus! quis talem fatorum nexum, ſeriemque, non admiraretur! quis ad tantas officiorum vitæq; ipſius inſperatas & improviſas non obſtupeſceret mutationes!

nes! Mutationes inquam, ad quas morta-
les plene planeque obmuteſcunt, eheu!

At vero, quis præcocem fatorum compeſcere poteſt curſum? Quis, quæſo, ideo omnes Officiorum mutationes ejuraret? Ita enim verſamur in ſeculo, ut ſeculi anguſtiæ & calamitates nos, ceu umbra corpus, comitentur, ne fragilitatis humanæ oblivio nobis obrepat. Nutamus inde toties, quoties mutam9, & nos & noſtra officia, quæ quando adimus, abimus. Præterea nemo inficias iverit, ſæpius multos officiorum mutationes meditari, cum videant, plures anguſtias, plures labores in officio concredito ipſis eſſe exantlandos. Hinc *intolerabilia officii ſcholaſtici onera* plerumque accuſantur. Hinc *a pulvere ſcholaſtico* non pauci abhorrent, quem tot ærumnæ, tot calamitates, contemtus, imo paupertas comitari ſolent, adeo quidem, ut Vir quidam, ad pulverem ſcholaſticum damnatus, triſte hoc effatum vice reiterata ingeminarit: *Hoc munus, mihi funus!* Teſtatur quippe experientia, Scholarum Præceptoribus ſæpius rem eſſe cum juventute, quæ non ſemper morigera, ſed ad indolem Cyclopi-

cam

cam declinat, fræna𝑞; reſpuit, ac diſciplinæ jugum excutit. Quando ad frugem *reducitur*, & verbis & verberibus illudit, recalcitrat, murmura miſcent parentes, minas exſpuunt, & dira quævis minitantur.

Ut ſilentio involvam tot odia, tot ſcommata, tot calumniarum plauſtra, & infinita alia. Hinc MICHAEL PROSSELIUS, *Conrector Ilfeldenſis* (v. Kinder-Vater *Nordhuſ. illuſtr. p. 112.*) Albo Amicorum, quod ARNOLDUS Zeitfuchs, *Archi-Diaconus Stolbergenſis*, ſibi adornari curarat, Hieronymi inſeruit verba in Apologia ad Pammadrum: *Miſeriæ deliciis, & deliciæ miſeriis commutantur, in arbitrio noſtro eſt, vel divitem ſequi vel Lazarum.* Hinc illæ lacrimæ! Hinc tam frequentes, inquam, emergunt officiorum mutationes! Exempli vice ſiſto JOHANNEM OSWALDUM, *Medicinæ Doctorem*, (v. Kinder-Vater *Nordhuſ. illuſt. p. 109.*) haud infimi commatis, qui anno milleſimo ſexcenteſimo primo *Nordhuſæ Rectoris Scholæ* ſuſcipiebat munus; verum, cum pulveris ſcholaſtici tædia vix primis, quod ajunt, labiis deguſtaſſet, altero mox anno officii partes deſeruit. Accidit

dit imo exinde, ut non pauci extiterint, qui pulveris ſcholaſtici pertæſi munus ſcholaſticum ſeculari alio commutarint. Quem fugit quæſo, permultos pulveris ſcholaſtici anguſtais eo adegiſſe, ut functiones ſuas cum *ſtatu Senatorio* permutarint?

Et ne fruſtra hæc aſſeruiſſe, videar, in ſcenam producere juvat, JOHANNEM FüHRERUM, *Scholæ Nordbuſanæ primo Rectorem*, (*id. p. 66.*) qui cum vix per tres annos huic officio præfuiſſet, mox ad Senatoris officium advolavit. Tale quid imitatus eſt CHRISTIANUS STANGE, *Conrector* (*ejusdem Lycei .p .103.*) Alius vero ejusdem nominis Collegæ Tertii partes adimplens (*p.296.*) officium cum Miniſterii eccleſiaſtici munere permutans id fati eſt expertus, ut dira lues ipſum mox abripuerit. Non eſt quod multis verborum inerrem ambagibus, qua ratione muneris ſcholaſtici tædia, quibus cum JOHANNES LASMANNUS, *Rector Scholæ Wurcenſis*, (*v.* Schöttgen *Hiſt. Wurc. p. 368.*) conflictatus eſt, ipſum exſtimularint, ut officium Senatoris ibidem ambiverit & conſecutus fuerit. Brevibus annecto ſingulare ABRAHAMI KIRSTENII, (*id. p. 376.*) exemplum, cui in prædicta Schola

Bac-

Baccalaurei functio erat concredita; cum vero per quatuordecim annos veluti *in piſtrino* vires corporis miſere conſumſiſſet, anno tandem milleſio ſexcenteſimo octogeſimo in ordinem Senatorium adoptatus, ad *Conſulis* dignitatem ſecundo greſſu adſpiravit. Quæ hac in parte in urbe noſtra *Cygnea* contigere, ſicco pede tranſilio.

Sole itaque meridiano dilucidius evadit, haud omnem officii ſcholaſtici mutationem evadere periculoſam. Quos enim via legitima ſummum numen evocat, eos profecto nutum vocemque cœleſtem ea, qua decet ac par eſt, animi ſubmiſſione exoſculari decet. Hinc vix ac ne vix quidem mirari licet, plurima obviare exempla eorum, qui vitam academicam deſeruerunt, & ad Gymnaſiorum vel Scholarum gubernacula atque officia advolarunt.

Agmen ducat ABRAHAMUS CALOVIUS, magnum Theologos inter nomen, quem ex *Profeſſore Theologo Regiomontano* Rectorem *Gymnaſii Gedanenſis* factum eſſe, notius eſt, quam ut verborum ampullis declaretur. De JOHANNE KIRCHMANNO

NO conſtat, eum ex *Profeſſore Poëſeos*, in inclyta Academia, Roſtochienſis patriæ Rectorem factum eſſe. Quid de ANDREA LIBAVIO ediſſeram? Hic Philoſophum pariter & Medicum, *Hiſtoriarum & Poëſeos apud Jenenſes Profeſſorem* agebat, mox tamen ad *Caſimiriani*, quod *Coburgum* alit, Gymnaſii gubernacula, ceu *Director*, eſt admotus. Paucis attingere liceat quoque JOHANNEM MANZELIUM, qui ex *Græcarum literarum in Academia Roſtochienſi Profeſſore Rector Guſtrovienſis* extitit. Sicco, quod ajunt, pede tranſeo PHILIPPUM MARBACHIUM, THOMAM SAGITTARIUM, CHRISTOPHORUM SCHEIBLERUM, ÆGIDIUM STRAUCHIUM, ENOCHUM SVANTENIUM, & plures alios, quos haudquaquam pœnituiſſe conſtat, *penulam* induiſſe *Grammaticalem*. Et quoniam ejusmodi mutationes ſine periculo, ſine horrore, ſine tædio ſubire fas eſt, quidni & illos, quibus cum palæſtra ſcholaſtica rixæ ſatis diutinæ interceſſere, citra periculi metum officiorum ſcholaſticorum partes tandem deſerere deceret?

Hinc

Hinc infinita ſuppetunt exempla eorum, qui *Rectorum* in ſcholis *munera cum Miniſterii eccleſiaſtici officiis* commutarunt? Juvat in medium proferre ANDREAM FABRICIUM, Chemnicenſem, *Georgii & Jacobi* FABRICIORUM *Germanum Fratrem*, qui antea *Rector Nordhuſanus* Diaconi partes in ſe ſuſcepit poſtea. Siſto & JOHANNEM CLAIUM, Herzbergenſem, quem cum per annos aliquot munus *Rectoris Scholæ Goldbergenſis in Sileſia* ornaſſet, *Paſtoris* officium in *Bendeleben* amplexum eſſe, neminem latere arbitror. In æquitatis leges delinquerem, ſi ſilentio tegerem ſummi, dum viveret, Theologi NICOLAI GALLI exemplum, qui *Rectoris Mansfeldenſis* Scholæ officium deſerens ad Miniſterium eccleſiaſticum adſpiravit tandemque magnæ famæ Theologi axioma eſt indeptus.

Verum enim vero ne id, quod maxime memorabile, indecoro involvam ſilentio, audire quoque juvat, Auditores honoratiſſimi exempla eorum, qui *officium Correctoris cum Miniſterio eccleſiaſtico* permutarunt. His ex merito accenſendum arbitror

PHI-

PHILIPPUM EHRENREICH WIDERUM, qui ex *Conrectore Scholæ Nordhuſ.* ad eccleſiaſticum mun9 ita aſcendit, ut Auditorum ſuorum animos blanda ſua devotaque eloquentia ſibi reddiderit. Hunc excipiat JOHANNES STANGIUS, qui ex *Conrectore Scholæ Walkenſiedenſis* tandem Paſtor in Furra emerſit. Sic de CASPARO HELMSDORFFIO conſtat, illum primum *Conrectoris Scholæ Stolbergenſis* munere defunctum ad officium Paſtoris zum Hermanns-Acker advolaſſe. Quid de JOHANNE SANDHAGENIO commemorem? Is primo *Conrector Ilefendenſis* Scholæ mox ad officium Diaconi Nordhuſani adſpiravit. Unum adhuc addo, PETRUM ROSINUM, Virum non proletariæ eruditionis, qui *Conrectoris* munere primo ornatus, mox tamen ex rixarum ſcholaſticarum tædio Paſtor in Canitz evaſit, non ſine adblandiente fortuna, cum per multorum annorum ſpatium munere iſto ſit defunctus.

Quilibet exinde agnoſcit, *non omnem mutationem periculo obnoxiam eſſe*, ſiquando Deus, fatorum auriga, eas dirigit & mode-

ratur. Deus quippe fatorum, ut ſic loquar, ordinem ſeriemque ita diſponere ſueſcit, ut non quivi mortalium mox dignitatum officiorumque culmina attingat, ſed ut per *gradus* aſcendat divinum moderamen, quoties mutationes contingunt, devote agnoſcat & miretur. Hinc ſcite vir quidam ſolida eruditione ornatus dicere eſt ſolitus: *Deus Poſitivo, Comparativo & Superlativo certa determinavit temporis momenta, quæ nulla humana vel ratio vel ſapientia mutare vel evertere poteſt* magna profecto Dei gratia eſt, quando mortalium quis id fortunæ *lucratur*, ut officio cuidam admoveatur. *Major*, cum majori, *maxima, ſi maximo* ac ſplendido defungitur officio.

Sed cum horulæ lapſus aures vellicet, vela contrahenda arbitor, ne multiloquio ulteriori aures veſtras, Honoratiſſimi Auditores, defatigare videar. Audiviſtis, *ſæpius mutationem periculo haud carere.* Audiviſtis quoque, plurimas emergere *mutationes officiorum, quæ minus periculi, minus incommodi*, imo *plurimum potius emolumenti ſuppeditare ſolent.* Deo hoc in negotio rerum moderatori ſunt committenda ſingula

gula & relinquenda, prout ille voluerit, fatis obſequemur.

Verum, ut ad rem ipſam deſcendamus, notius eſt, quam ut cumulatis verborum plauſtris enunciemus, *pl. Reverendum, Clariſſimum, Doctiſſimumque* DN. M. MICHAELEM EHRENFRIED KRAUSIUM, inclutæ hujus muſarum ſedis antea *Conrectorem*, haud ſine nutu divino ad aliam ſpartam ornandam evocatum eſſe. Poſtquam enim ille *pulveris ſcholaſtici* anguſtias ad tempus deguſtavit, ac per aliquot annos *non ſine ſudore*, non ſine ardore, non ſine virium jactura ſaxum quaſi Siſyphicum volvit, contigit tandem, ut *Dux Sereniſſimus DN. FRIDERICUS, Dux Holſatiæ* in Wieſenburg / &c. poſt fata beati DN. JOHANNIS PARSKY, *Paſtoris Parochiæ Schönavienſis*, ad ſacra ibidem obeunda ipſum vocarit.

Cumque exinde ſparta ſcholaſtica hujus loci vacuefacta requirat, ut iſti vir alius dotibus neceſſariis inſtructus admoveatur, factum eſt, ut *Ampliſſimus urbis noſtræ Senatus*, miſtis conſiliis, præviaque deliberatione facta, *Virum Præclariſſimum, Doctiſſimumque*

mumque DN. M. CHRISTIANUM FRIDEMANNUM MARTINI, *Gymnaſii Corbacenſis ante Conrectorem*, exhibita ſueta vocatione, ſpartæ huic præfecerit. Et poſtquam ille, volente ſic ordine, *Reverendiſſimo Synedrio Lipſienſi* per me ad obtinendam confirmationem præſentatus fuit, ſignificavit modo laudatum ſynedrium, dotes prædicti Domini Candidati, inſtituto examine, ſpei conceptæ omnino ſatisfeciſſe. Imo dato quoque reſcripto mandavit, ut ego ipſum ex introducta conſvetudine publice introducerem, cœtuique ſcholaſtico ſiſterem, cujus reſcripſi tenor ita habet, &c.

Ut autem prælecto huic Reſcripto, ceu par eſt, morem geram, me ad Te, Domine M. MARTINI, nunc converto, Tibique autoritate epiſcopali, Cathedræ conſcendendæ copiam facio. Ex illa ea, qua decet, fidelitate juventutem ſcholaſticam inſtrues, in ſolidæ doctrinæ & eruditionis adyta introduces, morumque elegantia ipſi prælucebis. Cum primis autem te plus quam paterne admoneo, ut pietatis hoc exulcerato ſeculo neceſſariæ, & in plurimis exulantis, eheu! ac proſcriptæ fundamenta cœtui ſcholaſtico

in-

inculces, et ſi nonnulli forte in vitiorum ſyrtes abrepti fuerint, temperata caſtigatione ad obedientiæ cynoſuram revoces.

Superioribus quorum ex nutu pendes debitam obedientiam, Dominis Patronis decentem honorem & reverentiam haud deneges quæſo; Et quoniam *aurea concordia*, in quo ſtatu quis degerit utramque paginam conſtituat, firma ſpe nitor, fore ut cum Dominis Collegis tuis pacis & concordiæ fraternæ delicias ſincero ſtudio exerceas. Quantum in Te eſt, ad concordiæ canonem decurre.

Hiſce ergo rite peractis, quod felix fauſtumque ſit, ego Te, Clariſſime Domine M. Martini, Scholæ hujus Conrectorem jam renuncio, cœtumque ſcholaſticum inſimul fidei tuæ comitto. Deus Te robore ex alto induat, gratiæ ſuæ luce colluſtret, viribus Te inſtruat, ut officio tuo rite defungaris, fructusque doctrinæ longe lateque ſpargas, in honorem ſummi numinis, & in ſcholæ hujus perpetuum emolumentum!

Vos autem, qui muſarum hanc ſedem frequentatis, iterum iterumque adhortor, ut ſæpius dictum *Dn. Conrectorem veſtrum*

debito obſequio proſequamini, patulas aures illius monitis ac doctrinæ præbeatis, vosque morigeros exhibeatis. Hæc ſi feceritis, æternum, quod veneramur lumen, gratiæ ſuæ radiis corda veſtra ornabit, cœpta fecundabit, quo aliquando eccleſiæ atque reipublicæ non ſine fructu atque emolumento ſervire poſſitis.

Obſervatio CCXVIII.

JOHANN. MARTINI SCHAMELII, Eccleſ. Numburg. Paſt. Primarii, de Chriſto ſubridente.

Marc. X, 21.

Fleviſſe Chriſtum Scriptura aliquoties commemorat, Luc. XIX, 41. Joh. XI, 35. Ebr. V, 7. *ridentem* vero nunquam viſum eſſe CHRYSOSTOMUS perhibet *Hom. 6. in Matth.* quem SALVIANUS ſequitur: *Tale,* inquiens, *Chriſtus reliquit exemplum, quem fleviſſe legimus, riſiſſe non legimus,*

gimus, *l. 6. de Gub. Dei p. 111. (ed. Brem.)* Fortaſſis operæ pretium facturi ſumus, ſi paucis in iſtam hiſtoriæ Evangelicæ particulam inquiſiverimus.

Tria autem momenta nobis percurrenda erunt. Quorum eſt:

(1) *An nullibi apud Evangeliſtas legitur, Chriſtum riſiſſe?*

Ita equidem arbitrantur, quos modo allegavimus, Patres antiqui, Scripturæ S. ſilentio inducti. Res ipſa tamen hoc modo nondum nobis videtur confecta. Multa enim ab optimo Salvatore fieri potuerunt, imo facta etiam ſunt, quæ tamen expreſſis verbis nullibi commemorantur, juxta *Joh. XX, 30.* Atque hoc eſt illud argumentum, quod JOHANNES LAUNOIUS peculiari libro executus eſt, quod in tritiſſimo Thologorum Canone rejici ſolet: *Argumenta ſc. negativa in re hiſtorica exiguam vel nullam prorſus habere probandi vim.* Et ſane horum argumentorum vis ad dubitandum quandoque valet, non ad decidendum. conf. *Biblioth. Brem. T. 4. p. 55.* Diſpiciamus igitur, an locum aliquem biblicum indagare queamus, ubi *ridentem viſum eſſe Chriſtum*

referatur. Hunc reperiſſe nos putamus Marc. X, 21. ubi Evangeliſta ſcribit:

Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἐμβλέψας αὐτῷ, ἠγάπησεν αὐτόν.

In hoc Textu dicitur: Chriſtum juvenem aliquem accedentem *amaſſe*. Jam quæritur: An communis verbi Gr. ἀγαπᾷν ſignificatio locum hic habere queat? Sane quo minus id credamus, facit ipſa Hiſtoriæ ſeries, quæ ſignificatum iſtum vel eam ob cauſam non admittit, quia animus hominis illius Chriſtum alloquentis Phariſaicis opinionibus totus erat imbutus. Abſonum vero erit aſſerere: *Chriſtum ejusmodi hominem adamaſſe*. Quod ſi dicas: Chriſtum hunc hominem adamaſſe propter docilitatem; non refragabor equidem: quia tamen Sacer Hiſtoricus non nude ait: quod hominem adamaverit, ſed quod *adamaverit* ἐμβλέψας αὐτῷ, *eum intuens*, hinc latius evagari, *vultumque* benigniſſimi Salvatoris ſimul depingere ipſum voluiſſe reor, hoc quidem ſenſu: quod Chriſtus juvenem illum intuens, *ſubriſerit*. Atque hic ipſe ſenſus vel ideo mihi perplacet, quia alias quoque vox Græca ἀγαπᾷν non affectum duntaxat animi, ſed *geſtum etiam oris ac corporis*

poris ſolet exponere, id quod exemplis ex autoribus profanis deſumtis prolixius oſtendit G. E. HEUPELIUS, *Not. Gram. Hiſt. Crit. in Marc.* p. 273. qui inter alia locum ex HOMERI *Odyſſ.* υ. 214. allegat, ubi τὸ ἀγαπᾶν ab Autore brevium ſchòliorum per *amplexum* exponitur.

Sane celeberrimus apud Reformatos Theologus DN. D. CUNRADUS MEL in *Homil.* ſuis ſuper *Eccleſ. Salomonis* p. 86. probaturus, quod Chriſtus ipſe riſerit, ad LUTHERUM noſtrum provocat, qui conceptis verbis in Verſione ſua German. Salvatorem optimum ridentem introduxerit, ita alicubi Textum ſacrum reddens: Und er liebelte. Ipſa MELLII verba hæc ſunt: Zugeſchweigen, daß auch Chriſtus / der ſeinen Brüdern in allen gleich worden/ doch ohne Sünde, auch offt bey einer heiligen Freude wird gelachet haben. Wie denn ausdrücklich ſtehet, daß er gelächelt. LUTHERUS giebts: er liebelte. Nemlich über die Thorheit des Phariſäers, da er meinte, das Geſetz erfüllet zu haben. Locum noſtrum reſpexiſſe virum doctiſſimum, vix dubium eſt. Enimvero verba

iſta in verſione B. Megalandri non apparent, ſed verbum gr. ἀγαπᾷν redditur: Und liebete ihn. Neque ab iſta tranſlatione diſcedit antiquior, quæ Anno 1524. prodiit. Interim favere noſtræ expoſitioni videtur *Verſio Bibliorum Germ. Tiguri Anno 1530.* publicata, de qua judicium tulit DN. D. DIECMANNUS in Teutſchen Schrifft. p. 104: Hæc enim verba loci præſentis hunc in modum tranſtulit: Und JEſus ſah ihn an, und mit Freundlichkeit ſprach er zu ihm. Sed quicquid ſit de iſtis Verſionibus.

Vel ſola Salvatoris converſatio inducere nos poteſt, ut *ſubridentem illum aliquando viſum eſſe* credamus, de qua B. SCRIVERIUS ita diſſerit: Einige Scribenten berichten, daß der HErr JEſus in den Tagen ſeines Fleiſches ſo liebreich geweſen, daß ihm die Freundlichkeit aus den Augen geleuchtet, mit welcher er nicht nur die Hertzen derer, die ihn höreten, ſondern auch derer, die ihn nur ſahen, kräfftig geneiget und an ſich gezogen. Dannenhero ihm die Jüden den Nahmen der Freundlichkeit gegeben, alſo daß ſie geſagt: Laſt uns zur Freundlichkeit gehen, wenn ſie ſich zu ihm nähern wol-

wollen: Ja daß betrübte Leute allein durchs Anſchauen ſeines göttlichen Angeſichts getröſtet worden. vid. Seelen-Schatz T. 2. f. 662. Ipſe B. LUTHERUS in *Joh. XIV*, 27. commentaturus collaudata Chriſti manſvetudine tandem hæc ſubjicit: Alſo lieſet man von dem Apoſtel S. Petro, daß er nach des HErrn Himmelfarth ſchier Tag und Nacht geweinet habe, biß ihn auch das Fleiſch gefreſſen habe, daß er die Augen hätte ſtets müſſen mit einem Tüchlein trocknen und geſagt, daß ers nicht könte laſſen, wenn er gedächte an das freundliche Weſen und die ſüſſen lieblichen Worte Chriſti. Und ich kan wohl gläuben, daß es wahr ſey. *T. 7. Altenburg. fol. 125. a.* Sunt præterea nonnulli, qui Dominum noſtrum more Ebræorum Magiſtris alias uſitato Apoſtolos ſuos plerumque *dato oſculo excepiſſe* perhibent, (v. JO. LIGTFOOT. *Hor. Hebr. in Matth. f. 382.* nec non B. CARPZOV. *Strict. in Ruth p. 128.*) Judam itaque Jſchariotem, *teſſera benevolentiæ* in nocendi materiam converſa, *oſculo dato* ipſum prodidiſſe, Luc. XXII, 48. Quæ quidem omnia non ſine veroſi-

mi-

militudine proferuntur, itaque illud, *quod ſupra in quæſtione erat*, abunde confirmant.

Interim (2.) alia oritur quæſtio?

An conſummata Chriſti ſanctitas ac innocentia cum geſtu ridentis poſſit conſiſtere?

Ad hanc quæſtionem pariter affirmando reſpondeo. * Etenim riſus in ſe ſpectatus non ſaltem eſt indifferens, ſed propria etiam hominis actio, ſi ARISTOTELEM audias. conf. VOSSIUS *de Idol. Gent. l. 3. c. 46.* Quid? quod Scriptura de Deo plus vice ſimplici perhibeat, *eum ridere*, *Pſ. II, 4. XXXVII, 13. Prov. I, 26. &c.* Sed dicat aliquis. Neminem ridere, niſi lætabundum. Quodſi de Chriſto ſtatuamus, ipſum ideo riſiſſe, quod juvenem Phariſaicum ex mentis coecitate magna loquentem audiret, conſequi omnino, eum tantopere *de coecitate hominis gaviſum eſſe*, ut neque celare affectum potuerit. Jam vero æquum fuiſſe, miſerrimum iſtum homuncionem commiſeratione potius, quam riſu perſequi. Hæc omnia ſpecioſe quidem proferuntur, ſed fruſtra. Abſit enim, ut optimum Redemtorem gaudio undique perfuſum: *inſolenter riſiſſe* aſſeramus, ut

poti-

potius eum *aliquantulum ſaltem ſubriſiſſe* probaverimus: **daß er gelächelt habe.** Subridere autem idem eſt, ac *riſum temperatum* tollere. Hac ratione riſus Chriſti, utpote dolore & *commiſeratione temperatus*, ſanctitati ipſius obeſſe nullatenus potuit.

Si porro inſtes: Juvenem Phariſaicum, cum ad quæſtionem v. 17. propoſitam derideretur, in eam induci potuiſſe ſententiam, Chriſtum deriſui habere curam de ſalute æterna maximopere neceſſariam; reſpondeo: ipſum hiſtoriæ nexum oſtendere, non curam ſalutis, ſed errorem Phariſaicum, curæ huic adhærentem Chriſtum commoviſſe.

Si adhuc oggeras: ad minimum videri, quaſi ludibrio expoſitus fuerit miſer ille juvenis, velim conſideres parentum atque liberorum commercia. Parentes quandoque ridibundi adſtant, cum vident, liberos crepundia ſua oſtentantes. Quis quæſo diceret, illos propterea liberos ſuos explodere aut deſpicatui habere? Facilis erit in rem præſentem applicatio.

Silentium cæterorum Evangeliſtarum ſi tandem aliquis urgeat; ſciat ille, neutiquam huic argumento tantum ineſſe pondus, ut noſtra cogitata invertere queat.

Quis

Quis obſecro ignorat *hiſtoriam adulteræ*, pariter ab Evangeliſta *Johanne tantum cap. 8.* conſignatam eſſe? Num vero de ea dubitandum erit propterea, quod cæteri Evangeliſtæ ſilent? Hoc vero idem eſſet ac exemplarium antiquorum fidem totiusque Eccleſiæ conſenſum elevare.

Maneat itaque aſſertioni noſtræ locus, quod omnino ex l. c. Evangeliſtæ MARCI confici poſſit: *Salvatorem noſtrum innocentisſimum aliquando ſubriſiſſe.* Enimvero adhuc ſupereſt quæſtio

(3) *An illis, qui hodienum riſu delectantur, ad exemplum Chriſti provocare liceat?*

Sed prona eſt ad iſtam quæſtionem reſponſio. Ita enim legimus *Eccl. III. 4. Tempus eſt ad plorandum & tempus ad ridendum.* In ea tamen reſervati ſumus tempora, ubi cumprimis audiendus eſt Apoſtolus *Jacobus c. IV, 9.* inquiens: Ὁ γέλως ὑμῶν εἰς πένθος μεταςραφήτω, καὶ ἡ χαρὰ εἰς κατήφειαν.

Obſervatio CCXXIX.

CHR. SCHöTTGENII,

Rector. Scholæ Francofurt. ad Viadrum, ſiſtens

SPICILEGIUM Obſervationum criticarum ad Juſtinum.

Multa

Multa & magna eſt opera quam, viri docti *in emendando Juſtino*, Trogi epitomatore, hactenus poſuerunt, non tanta tamen, ut non quædam in eodem emaculanda ſuperſint. Non adeo magna eſt copia codicum manu exaratarum, quod mirum, quum mediis temporibus ubique ferè lectus ſit Juſtinus. Teſtantur quidam medii & ultimi ævi ſcriptores, quos jam proferemus; ii oſtendunt Juſtinum ubique fere lectum eſſe, & variationes quoſdam ſuppeditabunt, emendando contexui aliquando conducentes. Nos minutiſſima quævis adnotabimus, quæ forte viris doctis occaſionem ſubminiſtrabunt, veram ex eorum veſtigiis lectionem inveniendi.

Libro I. cap. 3.

Citat hinc quædam JO. SARESBERIENSIS *Policrat.* 6. 14. non Juſtinum ſed Trogum nominans, quod indicio eſt, Juſtinum omnia fere Trogi verba retinuiſſe.

2. *Præfectus.*) Voces quæ ſequuntur: *ipſius, Medis præpoſitus, nomine Arbactus*, non habet Saresberienſis. *Colo nentem*) Sar. *colo nentem muliebri habitu.* Is omittit copulam, & hæc nonnectit: bono ſenſu. *Mollitia*) Sar. *mollitie.* 3. *Tantum virorum ſubjectum*) Sar. *iri ſubjectum. Tractantique lanam*) Sar. *tractantesque ferrum & arma habentes parere:* quod multo melius eſt, quam vulgo legitur, aut emendare conatur SCHEFFERUS & TAN. FABER. Quid enim obſtat, quo minus latine ſatis dicatur, *arma habere*? *Malit*) Sar. *mallet.*

4. *Sit igitur*) Sar. *ergo. Bellum ſardanapalo infertur*) Omittit Saresb. & gloſſam olere videntur. Sequitur: *qua* (ſubaudi *conjunctione*) *ille audita. Non ut ſit*) Hæc omnia abſunt, uſque ad verbum victus: adeoque ſic legit Sar. *qua ille audita in aulam regiam ſe recepit; ubi exſtructa &c.* Tò *ubi* ex codd. Anglicanis calculo ſuo comprobant GRÆVIUS & SCHEFFERUS.

Libro XX. cap. 5.

Et hoc capite idem Saresberienſis quædam profert 8. 17. his verbis: *Apud Trogum Pompejum in Viceſimo reperitur,*

quia